CORPUS
STATUTORUM
UNIVERSITATIS
OXONIENSIS:

SIVE

PANDECTES CONSTITUTIONUM
ACADEMICARUM, E LIBRIS PUBLICIS
ET REGESTIS UNIVERSITATIS
CONSARCINATUS.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,
MDCCLXVIII.

CORPUS
STATUTORUM
UNIVERSITATIS
OXONIENSIS:

FH
MVSEVM
BRITANNICVM

OXONII,

ADDENDA.

Appendix ad Statut. Tit. XV. Sect. 5.

MODIS iiſdem mulctator punitorque, ſi quis Oppidanus Scholari cuivis epulas pretio præbuerit, vel cibos ad menſam apparatos in Scholaris cujuſvis uſum in quodlibet Collegium ſive Aulam quamlibet, vel in domum aliam quamcunque, intulerit vel immiſerit; niſi veniam Collegii vel Aulæ Præfecti, cui ſibi ex Legibus Academicis parendum eſt, idem Scholaris prius impetraverit.

[De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos Die ſexto menſis Novembris; publicatum eſt in Domo Congregationis Die decimo tertio menſis prædicti; tandem in domo Convocationis publicatum et comprobatum Die viceſimo quarto ejuſdem menſis, Anno Domini 1767.]

CORRIGENDA.

Pag. 30. lin. 8. *pro* bis *leg.* binas. P. 98. l. 3. *l.* poſtpoſitis. P. 106. l. 24. *l.* admitto te. P. 124. l. 7. *poſt* ſuffragaturi, *inſer.* Procuratoribus vel eorum Deputatis exigentibus, et &c. P. 156. l. 4. *l.* Statuta. Append. P. 36. l. 13. *l.* applicandum. P. 60. l. 1. *l.* Sect. 1.

ADDENDA.

Appendix ad Statut. Tit. XV. Sect. 5.

PRAEFATIO

AD LECTOREM.

CUM decurſu Temporis fieri ſoleat, ut non ſolum a Legibus paulatim deflectant Mores, ſed et ipſa etiam tandem vitientur Remedia; non minoris conſilii atque induſtriæ rem eſſe cenſuit Academia, Legum vitia ſanare, quam Hominum. Quod enim hic cernitis Conſtitutionum Academicarum Corpus, ſuos jam digeſtum in Titulos et ſectum in Paragraphos, nihil aliud fuerat, quam ſparſa hic illic et lacera membra; Decreta ſitu ſquallida, ἀντινομίαις *perplexa; quibus quæ Mens foret, quid vetarent juberentve, haud facile divinare poterant ſeri Nepotes. Ne igitur ſub Tripode adeo ancipiti et obſcuro periclitarentur mores, haud longe ab Artis Typographicæ exortu, ad Statuta ſua recognoſcenda tum primo ſe accinxit Academia: Sed accinxit tantum; irrito molimine, et unicam in tam pulchro Inſtituto palmam ſortita,* Voluiſſe. *Et quidem fortaſſe, ut ſe e laqueis iſtis et caſſibus Statutorum extricarent, non erat iis magnopere laborandum; quibus ad manum eſſet* εὐπόριστον *et parabile remedium, pateretque, pro arbitrio, ad innocentiam receptus. Illis ſiquidem temporibus,* [1] *Papa, innocentiæ loco, peccandi impunitatem comiter ac benigne indulgebat; Noxamque omnem, quaſi Lepram, aſſidua pejerandi neceſſitate contractam, Jordanis ſuccedaneus, Tybris eluebat.*

[1] *Bulla* Sixti IV. A. D. 1479.

PRÆFATIO.

Sub Henrici *octavi faſcibus in eoſdem conatus denuo incubuit. Cum vero tentata quæ ſubſidio eſſe poterant omnia nil profeciſſent, dignus viſus eſt, qui* Wolſæo *vindici committeretur, Nodus; Datæ Literæ, aſciti ſelectiores ex Academicis; quos Ille huic unice vacantes negotio ſecum detinuit, Romam etiam ſuper hac re tranſmiſſurus. Quos autem fecerint progreſſus, incertum: et, an ingens illa Negotiorum facies, aſſidue nova, tam dignum Opus impediverit; an, aliqua demum ex parte elaboratum, inter exauctorata deturbati* Cardinalis *Bona et ipſum ſuppreſſum, non conſtat. Sublato vero tanti nominis Patrono, de expoliendis modo Statutis ſollicitos, jam de conſervandis cepit anxietas; et Academia tutelæ ſuæ potius quam ornamento invigilandum cenſuit.*

Edoardo *ſexto ad clavum ſedente, novo ſudatum eſt molimine; Dati Vindices, ſed e Senatu Regio, non Academico; qui Statutorum ſpecimen (ut paribus muſculis uterque oculus moveretur) utrique Academiæ commune exhibuerunt. Præſcribente Rege, et lenocinante Novitate, primo viſum Opus admitti: ſed quia conſtrictum nimis et anguſtum erat, Illo extincto, ſtatim et ipſum conclamatum eſt; et illud ſolummodo præſtitit, quantum ſatis eſt, ut memoretur* Fuiſſe.

Paulo poſt, potiente rerum Maria, *ſub* Cardinalis Poli *auſpiciis, idem recruduit labor; deſignati qui in publici Regiminis exceſſus et defectus animadverterent. Novæ exinde datæ Leges, ſed pari cum prioribus anguſtia; idemque fere Jugum, tantum aliis manibus, impoſitum. Interim tamen, inter incerta vacillans Statuta, viguit Academia, colebantur Studia, enituit Diſciplina; et optanda Temporum felicitate, Tabularum defectus reſarcivit innatus*

tus candor; et quicquid Legibus deerat, Moribus ſuppletum eſt.

Decurrente Temporum ſerie, et vitiis et Legibus pariter laboratum eſt: malo igitur indies gliſcenti, eadem quæſita Remedia; crebræ exinde Delegationes; collectæ undique Notæ; ſed adeo infeliciter omnia, ut palam fieret tanto molimini quam impares eſſemus.

Tandem, ſero licet, ſub Illuſtriſſimo Comite Pembrochiano, *ex integro lacertos movere cæpit Academia, et ſpes aliqua perficiendi Operis ſub illo renovata; ſed (tanquam conſpirantibus omnibus, ut quicquid eſt facinorum altiorum tam conſummato Viro ſe deberet) Reverendiſſimo* Archipræſuli Cantuarienſi *fæliciter reſervatum eſt.*

Sed et Manus etiam Auguſta ſacro huic labori non defuit. Ipſe multus in eo CAROLUS; *hortatus eſt, acceleravit, exegit; animoque vere Heroico, Errores, quos in Academicis facile præterit, in Academicorum Tabulis non tulit.*

Neque vero Honoratiſſimum Cancellarium *noſtrum (acerrimum alioquin* ἐργοδιώκτην*) quotidiano fere convitio extimulare, Operiſque moras (quas variæ antehac fruſtrationes merito ſuſpectas fecerant) ac lentitudinem objurgare ſatis habuit; quin et conſilio ſuo Opus juvare dignatus, adverſus præciptem novandi libidinem (quæ, permiſſa utique, licentius graſſatur) præſentiſſimum Remedium propinavit; ne ſcilicet ab antiquis Statutis longius abiremus, quam vel neceſſitas vel diſpar Sæculi Genius requirit. Id quod ſedulo ac religioſe cautum eſt; ac adeo reverenter habita Antiquitas, ut (præter expuncta pugnantia quædam, et adverſis inter ſe cornibus quaſi arietantia; aut longa deſuetudine, et tacito quodam conſenſu, jam olim abrogata, nec præſentis Sæculi Genio quoquo modo attemperanda; aut ſimilia, eoque ſupervacua; aut demum temporaria Sta-*

tuta) etiam curioſiſſimo cuivis reliqua Antiquitatis Scita ac Decreta omnia annumerare parati ſimus: Niſi forte (ut fit) in Opere vermiculato, variis hinc inde comportatis Emblematis apto atque conſerto, teſſellæ quæpiam inſciis nobis ac imprudentibus humanitus exciderint.

Utcunque vero religionem ac fidem, quam in hoc Opere præſtitimus, aliis approbaturi ſumus, illud certe ſuperſtitioni nimis anxiæ tribuerit non nemo, quod ipſiſſima veterum Statutorum verba plerumque αὐτολεξεὶ *repræſentare ſategimus; id quod phraſis ipſa, horrida, impexa, et Barbariſmis ac Solœciſmis ſcatens, ſatis per ſe arguit. Sed et hoc ipſum, Antiquitatis reverentia factum, apud alios veniam, apud alios laudem inveniet. Superſunt enim etiamnum, in tanta luce Literarum, quibus uſque adeo obbrutuit palatum, inventis jam frugibus uſque* βαλανοφαγεῖν *ut malint.*

Denique in gratiam eorum qui ſuis oculis quam fide aliena credere malunt, in Margine teſtes advocavimus Libros publicos, et Regeſta Univerſitatis, unde corrogatæ ſunt ſymbolæ ex quibus conſarcinatum eſt hoc Statutorum Corpus.

Siglæ in Margine appoſitæ deſignant Libros publicos Univerſitatis, hunc in modum.

A	ſignific.	Lib. Vice-Cancellarii.
B		Lib. Sen. Procuratoris.
C		Lib. Jun. Procuratoris.
D		Lib. Statutorum in Archivis Biblioth. Bodl.

Reliquæ deinceps Literæ indicant Regiſtra hujuſmodi Literis inſignita.

Admonitio ad Lectorem de veteri Calendario omiſſo.

In veteri Calendario, ſingulis Vice-Cancellarii et Procuratorum Libris antiquitus præfixo, notabantur dies quaſi nefaſti Univerſitatis (in quibus legere, aut diſputare, nefas foret) olim hunc in modum ſignati; LE. LE FE. NON LE. DIS. NON DIS. Quoniam vero ad hodiernas Lecturas commodius ordinandas, neceſſe habuit Academia Dierum LE. et NON LE. diſcrimen tollere; Dierum vero DIS. et NON DIS. diſcrimen jam olim in uſu eſſe deſiit (præterquam quoad Diſputationes Quodlibeticas;) ſupervacuum fore videbatur, aliquot Paginas onerare Calendario χῦ πλάδος expanſo. Sufficere igitur viſum eſt, Dies NON DIS. qui in ſingulis Terminis occurrunt, in ſequenti Tabella καθ' ὁμάδα exhibere.

TERMINO

Michaelis
OCTOBR. 12. 17. 27. 31.
NOVEMBR. 5. 7. 10. 15. 19.
DECEMBR. 5.

Hilarii
JAN. 19. 24.
FEB. 1. 11. 21. 23. 27.
MART. 6. 11. 16. 19. 24.
APR. 3.

Paſchatis
APR. 3. 22. 24. 28. 30.
MAII. 2. 5. 14. 18. 23.
JUN. 7.

Trinitatis
MAII. 23.
JUN. 7. 10. 15. 23. 28.
JUL. 1.

ELENCHUS TITULORUM

ET PARAGRAPHORUM,

QUI IN

HOC CORPORE STATUTORUM

CONTINENTUR.

TIT. I.

DE TERMINIS ET VACATIONIBUS.

§. 1. *De Terminorum numero, initio, et fine.* Pag. 1
2. *De Precibus ſolennibus, et Concionibus Latinis, initio cujuſque Termini habendis.* 2

TIT. II.

DE MATRICULA UNIVERSITATIS.

§. 1. *De Matricula Univerſitatis cuſtodienda.* Pag. 4
2. *Matriculæ diſtributio in Capita.* *Ibid.*
3. *De Tempore et Conditionibus Matriculationis.* 5
4. *De Officio Bedellorum circa Scholares matriculandos.* *Ibid.*
5. *De Officio Præfectorum circa Scholares matriculandos.* 6
6. *De Laicis ad Privilegia Univerſitatis admittendis.* *Ibid.*
7. *De Studioſorum et Privilegiatorum Servientibus matriculandis.* 7
8. *De Burgenſibus ad Privilegia Univerſitatis admittendis.* *Ibid.*
9. *De Privilegiis Univerſitatis, et Civitatis, ſimul non fruendis.* † *Ibid.*
10. *De Feudis matriculandorum.* 8
11. *De Diſtributione Reditus e Feudis Matriculationis provenientis.* *Ibid.*

† Vid. Append. P. 59.

TIT.

ELENCHUS TITULORUM.

TIT. III.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

§. 1. *De Scholarium Admiſſione in Collegia et Aulas. Nequis in Domibus Privatis victitet, aut hoſpitetur.* Pag. 9
2. *Quales Tutores Scholaribus præficiendi ſint.* 10
3. *De non migrando ſine venia ab uno Collegio ſive Aula ad aliud.* 11

TIT. IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

Statuta ſpecialia ad Lectores pertinentia. †

§. 1. *De Lectoribus ad Lecturas adhuc indotatas deſignandis.* Pag. 12
2. *De Prælectore Grammaticæ.* 13
3. *De Prælectore Rhetoricæ.* 14
4. *De Prælectore Dialecticæ.* *Ibid.*
5. *De Prælectore Moralis Philoſophiæ.* *Ibid.*
6. *De Prælectore Geometriæ.* 15
7. *De Prælectore Aſtronomiæ.* *Ibid.*
8. *De Prælectore Muſicæ Doctoris Heyther.* *Ibid.*
9. *De Prælectore Naturalis Philoſophiæ inſtituto per ſpectabilem virum Dum. Guliel. Sedley.* *Ibid.*
10. *De Prælectore Metaphyſicæ.* 16
11. *De Prælectore Hiſtorices per celeberrimum virum Guil. Camdenum inſtituto.* *Ibid.*
12. *De Linguæ Græcæ Profeſſore Regio.* 17
13. *De Linguæ Hebraicæ Profeſſore Regio.* *Ibid.*
14. *De Regio Juris Civilis Profeſſore.* *Ibid.*
15. *De Prælectore Anatomices.* 18
16. *De Regio Profeſſore Medicinæ.* *Ibid.*
17. *De Prælectore S. Theologiæ, Dominæ Margaretæ Comitiſſæ Richmondiæ, Matris Regis Henrici Septimi.* *Ibid.*
18. *De Regio S. Theologiæ Profeſſore.* 19

† Vid. inſuper Appendicem.

SECTIO

ELENCHUS TITULORUM.

SECTIO II.

Statuta Lectores in genere ſpectantia.

§. 1. *Quod Lectores in propriis perſonis legant. De ſubſtituendis aliis loco ægrotantium; aut abſentium. De Mulctis.* Pag. 19
2. *Nequis Lectorum quicquam, cum fide Catholica vel bonis moribus pugnans, doceat.* 20
3. *De philoſophica Doctrina Veritati theologicæ conformanda, et attemperanda.* *Ibid.*
4. *Prælectores ſermonem, inter legendum, ne præcipitent: Auditorum dubiis, ſi quæ fuerint, finita lectione ſatisfaciant.* 21
5. *De eligendis publicis Lectoribus.* *Ibid.*

TIT. V.

DE LECTIONUM PUBLICARUM AUDITORIBUS.

§. 1. *Quod ſinguli Scholares peculiaribus Scholis contribuantur.* Pag. 22
2. *Quod ſinguli Scholares Lectores ſuos (ſi qui fuerint ejuſdem Domus) ad Scholas deducant.* *Ibid.*
3. *De modo, quo Auditores in Scholis ſe gerent, inter audiendum.* 23
4. *De Mulctis Auditorum, a Lecturis publicis abſentium.* *Ibid.*

TIT. VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO, ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

De Tempore et Exercitiis requiſitis ad Gradum Baccalaurei in Artibus.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Artibus.* Pag. 24
2. *De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.* 25
3. *De diſputationibus in Parviſo tum habendis, tum frequentandis.*
4. *De tempore intra quod creandi ſunt Sophiſtæ Generales. Formula creandi Generales.* 27

5. *De*

5. *De Scholis ſortiendis, et Quæſtionibus publicandis.* Pag. 27
6. *De Reſponſionibus Quæſtioniſtarum ſub Baccalaureis determinantibus.* 28
7. *Leges reſpondendi ſub Baccalaureo Determinante.* 29

SECTIO. II.

De Tempore et Exercitiis requiſitis ad Gradum Magiſtri in Artibus.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Magiſtri in Artibus.* Pag. 29
2. *De Exercitiis præſtandis pro Gradu Magiſtrali in Artibus.* 30
3. *De Determinatione Quadrageſimali.* *Ibid.*
4. *De Collectoribus Quadrageſimalibus deſignandis.* *Ibid.*
5. *De Officio Collectorum.* 31
6. *De Diſputationibus in die Cinerum, ſive Carnis-privii.* 32
7. *De Precibus habendis unoquoque die Saturni, durantibus Quadrageſimalibus Diſputationibus, in Choro Templi B. Mariæ. Et de Junioris Procuratoris Oratione ad Determinatores habenda.* 33
8. *De Claſſibus Determinantium ordinandis: Et de tempore Diſputationibus Quadrageſimalibus præſtituto.* *Ibid.*
9. *De Forma in Determinatorum Diſputationibus obſervanda.* 34
10. *De Diſputationibus apud Auguſtinenſes.* 35
11. *De Officio Magiſtrorum Scholarum quoad Diſputationes apud Auguſtinenſes. Et de Collectoribus Auguſtinenſibus.* 36
12. *De Baccalaureorum Diſputationibus Quodlibeticis.* 37
13. *De ſex Lecturis ſolennibus habendis ante Licentiationem in Artibus.* *Ibid.*
14. *De Regimine Scholarum in genere, quoad Exercitia in Artibus ibidem præſtanda.* 38

SECTIO. III.

De Tempore et Exercitiis requiſitis ad Gradus in Muſica capeſſendos.

§. 1. *Quot anni ponendi ſint in ſtudio vel praxi Muſices, pro Gradu Baccalaureatus in Muſica.* Pag. 39
2. *De Exercitiis pro Gradu Baccalaurei in Muſica præſtandis.* *Ibid.*
3. *Quot anni ponendi ſint in ſtudio vel praxi Muſicæ, pro Gradu Doctoris in Muſica.* *Ibid.*
4. *De Exercitiis per Inceptorem in Muſica præſtandis.* 40

ELENCHUS TITULORUM.

SECTIO IV.

De tempore et Exercitiis requisitis ad Gradus in Jure Civili capessendos.

§. 1. *Quot anni, in audiendo Professore publico Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili.* Pag. 40
2. *Exercitia pro Gradu Baccalaureatus in Jure Civili præstanda.* 41
3. *Quot anni, in audiendo Publico Professore Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Doctoris in Jure Civili.* *Ibid.*
4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Jure Civili præstanda.* 42

SECTIO V.

De Tempore et Exercitiis requisitis ad Gradus in Medicina capessendos.

§. 1. *Quot anni, in audiendo publico Professore Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.* Pag. 42
2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Medicina præstanda.* 43
3. *Quot anni, in audiendo publico Medicinæ Professore ponendi, ad incipiendum in Medicina requirantur.* *Ibid.*
4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Medicina præstanda.* *Ibid.*

SECTIO VI.

De Tempore et Exercitiis requisitis ad Gradus in Theologia capessendos.

§. 1. *Quot anni, in audiendo Publico Theologiæ Professore ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia.* Pag. 44
2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Theologia præstanda.* *Ibid.*
3. *Quot anni, in audiendo publico Theologiæ Professore ponendi, ad incipiendum in Theologia requirantur.* 45
4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Sacra Theologia præstanda.* *Ibid.*

SECTIO VII.

Quomodo, et unde computandum sit Tempus, singulis Gradibus capessendis præstitutum. 46

TIT.

ELENCHUS TITULORUM.

TIT. VII.

DE GENERALI INCEPTIONE IN SINGULIS FACULTATIBUS, SIVE DE VESPERIIS ET COMITIIS.

SECTIO I.

Statuta ſpecialia, ad Veſperias et Comitia pertinentia.

§. 1. *De Tempore Comitiorum.* Pag. 48
2. *De Prælectionibus in Veſperiis, et quod Inceptores circumeant ſingulas Scholas.* *Ibid.*
3. *De Diſputationibus Veſperialibus.* 49
4. *De Diſputationibus Veſperialibus in Philoſophia.* 50
5. *De Concluſione Veſperiarum Philoſophicarum: et de Juramento Inceptorum.* *Ibid.*
6. *De Diſputationibus Veſperialibus Juriſtarum.* 51
7. *De Diſputationibus Veſperialibus Medicorum.* *Ibid.*
8. *De Diſputationibus Veſperialibus Theologorum.* 52
9. *De Cæna Veſperiali.* † *Ibid.*
10. *De Concionibus in die dominico inter Veſperias et Comitia habendis.* 53
11. *De Precibus ſolennibus, et Oblationibus, in die Comitiorum.* *Ibid.*
12. *Quem locum in Comitiis ſingulæ Facultates ſortiantur.* *Ibid.*
13. *De Diſputationibus Philoſophicis in Comitiis.* 54
14. *De Actu Muſico.* *Ibid.*
15. *De Diſputationibus Comitialibus in Medicina.* *Ibid.*
16. *De Diſputationibus Comitialibus in Juriſprudentia.* 55
17. *De Diſputationibus Comitialibus in Theologia.* 56
18. *De Concluſione Comitiorum.* *Ibid.*
19. *De Congregatione, finitis Comitiis, habenda.* *Ibid.*
20. *De Concione Latina, habenda die proximo poſt Comitia.* 57

SECTIO II.

Statuta generalia ad Veſperias et Comitia ſpectantia.

§. 1. *Deſignatio Actorum in Veſperiis et Comitiis penes Procuratores eſt.* Pag. 57
2. *Quæſtiones in ſingulis Facultatibus, diſcutiendæ in Veſperiis et Comitiis, Judicio Congregationis approbandæ.* 58

† Vid. Append. Pag. 63.

§. 3. *De compeſcendis contumeliis in Exercitiis Veſperialibus et Comitialibus.* Pag. 58
4. *Habitus Veſperiales et Comitiales Inceptorum in Artibus.* 59
5. *Habitus Inceptorum in aliis Facultatibus.* *Ibid.*
6. *De Senioritate Inceptorum in quaque Facultate.* 60
7. *De Sedilibus Inceptorum et Extraneorum non occupandis.* *Ibid.*
8. *De Veſperiis et Comitiis a B. Virginis Mariæ Templo transferendis ad Ædificium ſeu Theatrum publicum, impenſis et munificentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris Gilberti Archiepiſcopi Cantuarienſis extructum; aliiſque capitibus negotium illud concernentibus.* 61

TIT. VIII.

DE DISPUTATIONIBUS ORDINARIIS.

§. 1. *De Diſputationibus Ordinariis in S. Theologia.* Pag. 63
2. *De Diſputationibus Ordinariis in Medicina.* 64
3. *De Diſputationibus Ordinariis in Juriſprudentia.* *Ibid.*
4. *De Diſputationibus Quodlibeticis habendis vice Ordinariarum, in Artibus.* 65
5. *De Diſputationibus per Bedellos præmonendis.* *Ibid.*
6. *Diſputantium Habitus. Præfandi Leges.* 66
7. *De Officio Vice-Cancellarii et Procuratorum, circa has Diſputationes.* 67
8. *De mulctandis delinquentibus circa has Diſputationes.* *Ibid.*

TIT. IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO I.

De Tempore et Negotiis Congregationum, et de Perſonis ad eas ſpectantibus.

§ 1. *De Tempore Congregationum habendarum.* Pag. 68.
2. *De Negotiis in Domo Congregationis tractandis.* 69
3. *De Perſonis ex quibus conſtat Congregatio: et penes quos ſit poteſtas negandi quæ proponuntur.* *Ibid.*

4. *De*

§. 4. *De Magiſtris neceſſario Regentibus.* Pag. 69
5. *Formula admittendi Magiſtros ad Regendum.* 70
6. *Qui ſunt Magiſtri Regentes ad placitum.* 71

SECTIO II.

De examinandis Graduum Candidatis per Magiſtros neceſſario Regentes.

§. 1. *De examinandis iis qui Gradus in Artibus capeſſunt; aut in Juriſprudentia, priuſquam in Artibus inceperint.* Pag. 71
2. *De Examinatoribus deſignandis et Juramento onerandis per Procuratorem Seniorem.* 73
3. *De mulctandis Delinquentibus circa Examinationes; et de Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa eaſdem.* 74
4. *De Examinandis Graduum Candidatis in aliis Facultatibus.* 75

SECTIO III.

De Gratiis petendis.

§. 1. *Conditiones prævię ad petitionem Gratię ex parte Supplicis.* Pag. 76
2. *Conditiones proponendi Gratias.* 77
3. *Formula generalis petendi Gratias.* 78
4. *Formulæ ſpeciales Gratiarum ad ſingulos Gradus pertinentium.* *Ibid.*
Pro Baccalaureo in Artibus. *Ibid.*
Pro Gradu Inceptoris in Artibus. 79
Pro Gradu Baccalaurei in Muſica. *Ibid.*
Pro Gradu Inceptoris in Muſica. 80
Pro Gradu Baccalaurei in Medicina. *Ibid.*
Pro Gradu Inceptoris in Medicina. *Ibid.*
Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis. *Ibid.*
Si non Inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii ſui Juris ſtudio deputatus fuerit. 81
Si non Inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii ſui, ſtatim a primo ad Academiam adventu, Juris ſtudio deputatus fuerit. *Ibid.*
Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili. *Ibid.*
Si non Inceperit in Artibus, priuſquam Baccalaureus in Jure foret. 82
Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia. *Ibid.*

Pro Gradu Inceptoris in Theologia. Pag. 82
Si in aliqua Facultate quis Gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupit. *Ibid.*
5. *De Gratiis ſimpliciter concedendis vel negandis.* 83
6. *De ſuffragiis, in concedendis vel negandis Gratiis, non revelandis.* *Ibid.*
7. *De cauſa Gratiæ ter negatæ oſtendenda, ſtatim poſt tertiam Congregationem finitam.* *Ibid.*
8. *Formula pronuntiandi Gratias conceſſas.* 84

SECTIO IV.

De Diſpenſationibus.

§. 1. *De Diſpenſationibus in Venerabili Domo Congregationis proponendis. Formula ſupplicandi.* Pag. 85
2. *De Materia Diſpenſabili, in qua Congregationi Diſpenſare permiſſum eſt.* *Ibid.*

SECTIO V.

De Præſentationibus Graduandorum.

§. 1. *De Circuitione et Viſitatione, a Præſentandis obeunda.* Pag. 88
2. *De ſolenni proceſſu Præſentandorum ad Domum Congregationis.* 89
3. *De Subſcriptione ante Præſentationem exigenda.* 90
4. *De Conſuetudine quæ vocatur, Nemo ſcit, ante Præſentationem Inceptoris in Jure Civili.* *Ibid.*
5. *Ceremoniæ, ſive Ritus Præſentationum.* 91
6. *Peculiares Formulæ præſentandi ad ſingulos Gradus.* *Ibid.*
Ad Baccalaureatum in Artibus.
Ad Determinandum. 92
Ad Incipiendum in Artibus. *Ibid.*
Ad Baccalaureatum in Muſica. *Ibid.*
Ad Incipiendum in Muſica. *Ibid.*
Ad Baccalaureatum in Medicina. *Ibid.*
Ad Incipiendum in Medicina. *Ibid.*
Ad Baccalaureatum Juris Civilis. 93
Ad Incipiendum in Jure Civili. *Ibid.*
Ad Baccalaureatum in S. Theologia. *Ibid.*
Ad Incipiendum in S. Theologia. *Ibid.*
7. *De Depoſitionibus pro præſentandis.* *Ibid.*

ELENCHUS TITULORUM.

SECTIO VI.

De Juramentis Præsentandorum.

§. 1. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Junior Procurator. Et Admonitio de Habitu Gradui competente.* Pag. 95

Forma Juramenti admittendorum ad Publicam Bibliothecam. 96

Admonitio pro habitu Gradui competente. 97

2. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Senior Procurator.* *Ibid.*

Pro Baccalaureo in Artibus. 98

Pro Inceptore in Facultate Artium. 99

Pro Baccalaureo in Musica. 100

Pro Inceptore in Musica. *Ibid.*

Pro Baccalaureo in Jure Civili. *Ibid.*

Pro Inceptore in Jure Civili. 101

Pro Baccalaureo in Medicina. 102

Pro Inceptore in Medicina. *Ibid.*

Pro Baccalaureo in S. Theologia. 103

Pro Inceptore in Sacra Theologia. 104

Pro cumulante Gradus in S. Theologia. *Ibid.*

3. *Communis Formula singulos Præsentatos Juramento obstringendi; et de Juramento Primatus Regii, et Fidelitatis, a singulis exigendo.* 105

SECTIO VII.

De Creatione et Licentiatione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda. 105

SECTIO VIII.

De Incorporatione.

§. 1. *De Incorporandis Studiosis, ab aliis Academiis huc adventantibus.* Pag. 108

2. *Conditiones incorporandi alumnos Academiæ Oxonienſis, vel Cantabrigienſis, apud exteras Academias Gradus capeſſentes.* 109

3. *Quo Loco et Statu Incorporati esse debent.* *Ibid.*

SECTIO

SECTIO IX.

De Licentiis Concedendis.

§. 1. *De Qualitate eorum, qui ad Concionandum per Universam Angliam licentiandi sunt.* Pag. 110
2. *Formula petendi Licentiam ad Concionandum per Universam Angliam.* *Ibid.*
3. *Formula Literarum Testimonialium.* 111
4. *De Qualitate eorum, qui ad Praxin in Medicina licentiandi sunt.* 112
5. *Formula petendi Licentiam ad Practicandum in Medicina.* *Ibid.*
6. *Formula Literarum Testimonialium.* *Ibid.*
7. *De Qualitate et Conditione licentiandi ad Praxin Chirurgiæ.* 113
Formula supplicandi. *Ibid.*
8. *Formula Literarum Testimonialium.* 114

TIT. X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO I.

De Personis ex quibus constat magna Congregatio, sive Convocatio Magistrorum Regentium et non Regentium.

2 *De modo indicendi Convocationem Magnam, et ad eam conveniendi.* 117

SECTIO II.

De Negotiis in Domo Convocationis tractandis.

§. 1. *Enumeratio Negotiorum, quæ ad Domum Convocationis spectant.* Pag. 118
2. *De Statutis et Decretis in Domo Convocationis condendis et interpretandis.* 119
3. *De Statutis Universitatis transcribendis, et custodiendis.* 120
4. *De materia dispensabili, in qua Convocationi dispensandi potestas permissa est.* 121
5. *De materia indispensabili, in qua Convocationi dispensare non permittitur.* 122

§. 6. *De Electionibus in Domo Convocationis habendis.* Pag. 123
Juramentum Procuratorum. *Ibid.*
7. *De Delegatorum nominatione et munere.* † 125
8. *De Degradatione.* 127

TIT. XI.

DE CONGREGATIONIBUS ET CONVOCATIONIBUS STATUTA GENERALIA.

§. 1. *Congregationibus alii necessario, alii libere, intersunt; Convocationibus singuli, rite moniti, tenentur per fidem intereſſe.* Pag. 128
2. *De Ordine sedendi in Convocatione et Congregatione.* *Ibid.*
3. *In Domo Congregationis et Convocationis Latino idiomate utendum. Loquendi modus et vices servandæ. A Contumeliis abstinendum.* 129

TIT. XII.

DE ASSIMILATIONIBUS PARVIS, SEU SIMILE-PRIMO.

Negotia huic conventui permissa, item interdicta. Pag. 130

TIT. XIII.

DE HEBDOMADALI ET ORDINARIO CONVENTU PRÆFECTORUM COLLEGIORUM ET AULARUM.

Pag. 131

TIT. XIV.

DE VESTITU ET HABITU SCHOLASTICO.

§. 1. *De Vestitu Præfectorum, Sociorum, et Scholarium Collegiorum; Et de modo in Vestibus servando a cæteris.* Pag. 132
2. *De reprimendis et puniendis novos et insolitos Habitus invehentibus.* 133
3. *Habitus Academici, singulis Gradibus et Facultatibus competentes.* *Ibid.*

† Vid. App. P. 63.

ELENCHUS TITULORUM.

TIT. XV.

DE MORIBUS CONFORMANDIS.

§. 1. *De Reverentia Juniorum erga Seniores.* Pag. 136
2. *De coercendis otiosis et male feriatis Scholaribus in Civitate oberrantibus.* 137
3. *Quod Scholares Conventibus Juridicis, qui Sessiones et Assissæ vocantur, non interssint.* *Ibid.*
4. *De Domibus Oppidanorum non frequentandis.* 138
5. *De Oenopoliis, seu Tabernis vinariis, Popinis, et Diversoriis non frequentandis.* *Ibid.*
6. *De Nocturna Vagatione reprimenda.* 139
7. *De Ludis prohibitis.* 140
8. *De famosis Libellis cohibendis.* 141
9. *De contumeliis compescendis.* 142
10. *De Vi et Injuria prohibenda.* *Ibid.*
11. *De Armis non gestandis.* 143
12. *De Conventiculis illicitis reprimendis.* 144
13. *De Auctoribus et Fautoribus Dissensionis puniendis.* *Ibid.*
14. *De Oppugnatoribus et Violatoribus publicæ Auctoritatis, et Manutenentibus, coercendis.* *Ibid.*
15. *De Vehiculis.* 145

TIT. XVI.

DE CONCIONIBUS.

§. 1. *De Concionibus ante meridiem, diebus Dominicis intra Terminum, habendis.* Pag. 147
2. *De Concionibus habendis ante meridiem, diebus Dominicis extra Terminum, et diebus Festis ante meridiem, ac Dominicis post meridiem per totum Annum.* 148
3. *De Concionibus Quadragesimalibus ad Divi Petri in Oriente.* *Ibid.*
4. *De Concionibus quibusdam extraordinariis ad Ecclesiam B. Mariæ.* 149
5. *De Concionibus Anniversariis habendis extra Templum Beatæ Mariæ.* 150
6. *De Concionatoribus approbandis.* *Ibid.*
7. *De præmonendis Concionaturis, et pœna eorum qui deficiunt.* *Ibid.*

8. *De*

8. *De Commemoratione publicorum Univerſitatis Benefactorum, præ Concionibus ſolennibus intra Univerſitatem habendis.* Pag. 151
9. *De Offenſionis et Defenſionis materia in Concionibus evitanda.* 152
10. *De Officiis Divinis ſeu Precibus ſolennibus juxta Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, et Concionibus publicis, frequentandis.* 153

TIT. XVII.

DE OFFICIARIIS UNIVERSITATIS.

SECTIO I.

De Cancellario.

§. 1. *De Cancellarii Electione et Admiſſione.* Pag. 154
2. *De Officio, Poteſtate, et Auctoritate Cancellarii.* 155

SECTIO II.

De Seneſchallo et Sub-Seneſchallo Univerſitatis.

§. 1. *De Electione et Officio eorum.* Pag. 157

SECTIO III.

De Vice-Cancellario.

§. 1. *De Cancellarii Commiſſario Generali, ſive Vice-Cancellario, ejus Nominatione, et Admiſſione; ac de Deputatis ipſius.* Pag. 158
2. *De Auctoritate et Officio Vice-Cancellarii.* 159
3. *De computo Vice-Cancellarii et Salario.* 161

SECTIO IV.

De Procuratoribus Univerſitatis.

§. 1. *De Priſtina Procuratores eligendi Forma abrogata, et nova per Sereniſſimum Regem* CAROLUM *invecta.* Pag. 161
2. *De novorum Procuratorum ad Officia ſua Admiſſione.* 162
3. *De Officio et Auctoritate Procuratorum.* 163
4. *De Famulis Procuratorum.* 164
5. *De Computo Procuratorum.* 165

ELENCHUS TITULORUM.

SECTIO V.

De Electione et Officio Magistrorum Scholarum. Pag. 165

SECTIO VI.

De Magistris Vicorum designandis, et eorum Officio. Pag. 166

SECTIO VII.

De Publico Universitatis Oratore. Pag. 167

SECTIO VIII.

De Clericis Mercatus. Pag. 168

SECTIO IX.

De Publico Archivorum Universitatis Custode designando. Pag. 170

TIT. XVIII.

DE MINISTRIS ET SERVIENTIBUS UNIVERSITATIS.

SECTIO I.

De Registrario Universitatis. Pag. 172

SECTIO II.

De Bedellis.

§. 1. *De Bedellorum Electione.* Pag. 173
2. *De Bedellorum Officiis.* 174
3. *De Bedellorum Baculis sive Columnis quotannis deponendis et resignandis.* 176

SECTIO III.

De Stationario, seu Virgifero Universitatis. Pag. 178

SECTIO

ELENCHUS TITULORUM.

SECTIO IV.

De Clerico Universitatis, et de Tintinnabulario ejusdem, vulgo, *Le Bell-Man.* Pag. 178

SECTIO V.

De Typographis Universitatis. Pag. 180

SECTIO. VI.

De Ballivo Universitatis. Pag. 181

TIT. XIX.

DE FEODIS, AD UNIVERSITATEM, OFFICIARIOS, ET SERVIENTES PERTINENTIBUS. Pag. 183

TIT. XX.

DE BONIS ET LOCIS PUBLICIS UNIVERSITATIS.

§. 1. *De Communi Ærario, et Bonis Universitatis in tuto custodiendis.* Pag. 184
2. *De Chartis et Munimentis Universitatis custodiendis.* *Ibid.*
3. *De Sigillis Universitatis.* 185
4. *De Scholis Publicis.* 186
5. *De Bibliotheca.* 188
6. *De Platearum Regimine.* 189

TIT. XXI.

DE JUDICIIS.

§. 1. *De Jurisdictione Universitatis tuenda.* Pag. 191
2. *De Curia Commissarii sive Vice-Cancellarii Universitatis.* 192
3. *De Assessore, sive Deputato Vice-Cancellarii.* *Ibid.*
4. *De Registrario Curiæ Vice-Cancellarii.* 193

5. *De*

ELENCHUS TITULORUM.

§. 5. *De Procuratoribus ad Lites.* Pag. 194
6. *De Contumacia coercenda.* *Ibid.*
7. *Cum Reus comparuerit in Judicio, quid agendum.* 195
8. *De modo procedendi in Cauſis levioribus: et in Cauſis quæ pecunia æſtimandæ non ſunt.* *Ibid.*
9. *De modo procedendi in Cauſis gravioribus.* 196
10. *De modo procedendi in Cauſis Criminalibus.* *Ibid.*
11. *De Incarceratione, Cuſtodiæ cauſa.* *Ibid.*
12. *De iis qui majorum Criminum Suſpicione tenentur.* 197
13. *De Reis, majorum Criminum convictis.* *Ibid.*
14. *De iis qui de ſe Juſtitiam fieri non permittunt.* 198
15. *De iis, qui Univerſitatis Juribus ac Privilegiis adverſantur, diſcommunicandis, vel diſprivilegiandis.* 199
16. *De Perturbatoribus Pacis, ſive iis quorum Appellationes recipiendæ non ſunt.* *Ibid.*
17. *De Cauſis in quibus dubitatur, utrum Appellatio admittenda ſit, necne.* 201
18. *De Appellationibus admittendis in Cauſis Civilibus, Perturbationi Pacis annexis.* *Ibid.*
19. *Quo ordine Appellandum ſit.* 202
20. *De Judicibus Delegatis, in Cauſis Appellationum.* *Ibid.*
21 *De Cautionibus ab Appellantibus deponendis penes Procuratores Univerſitatis, priuſquam inhibitionem obtineant.* 203
22. *De modo procedendi in Cauſis Appellationum.* 204

APPENDIX STATUTORUM,

In quo ſpeciales Ordinationes a variis Fundatoribus et Benefactoribus editæ, Statuta Carolina de Cyclo Procuratorio, et Statuta Aularia, continentur.

Ordinatio D. Margaretæ Comitiſſæ Richmundiæ, circa Lectorem Theologiæ a ſe inſtitutum, A. D. 1502. Septembris 8°. e Fundatione ipſius deprompta. Pag. 1

Statuta Bibliothecæ publicæ Bodleianæ, promulgata et confirmata in Domo Convocationis, Anno Dom. 1610. Junii 20mo.

Præfatio. 5

§. 1. *De Bibliothecario eligendo, quibuſque eum Dotibus inſtrui et adornari deceat.* 6

2. *De Forma eligendi.* *Ibid.*

3. *De*

§. 3. *De Cauſis, propter quas libere recedere vel amoveri debeat.* Pag. 7
4. *De Officio et Munere ejuſdem.* 8
5. *De Tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam.* 9
6. *De Modo ſtudendi: necnon de Libris in Quarto et Octavo.* 11
7. *De Hypo-Bibliothecario; ejus Qualitas, et Munus.* 12
8. *De Libris extra Bibliothecam non ferendis, aut ullo pacto commodandis.* *Ibid.*
9. *Quo tempore, quibuſque de Cauſis, Proto-Bibliothecarius licite abeſſe poſſit. De ſubſtituendo idoneo aliquo Viro in locum abſentis.* 13
10. *De annuo Salario aſſignato ad renumerandum Bibliothecarium, Hypo-Bibliothecarium, et Janitorem. Janitoris Munus. Penes quem ſit poteſtas eligendi inferiores Miniſtros.* 14
11. *De ferrea quadam Ciſta, pro firmiori cuſtodia Redituum Bibliothecæ.* 15
12. *De iis, quos ſtudendi cauſa ad Bibliothecam admittere licet.* *Ibid.*
13. *De Curatoribus Bibliothecæ, et de Bibliotheca ſingulis Annis perluſtranda.* 18

Statuta et Ordinationes quædam editæ per Curatores Bibliothecæ, publice lectæ, et publicatæ in Domo Convocationis, et per eandem approbatæ, Decimo Tertio die Novemb. Anno Dom. 1613. 22

Ordinationes quædam editæ per Curatores Bibliothecæ, publicatæ in Domo Convocationis, et per eandem approbatæ Viceſimo Septimo die Julii. Anno Dom. 1615. 25

Ordinationes editæ per Venerabiles Viros Curatores Bibliothecæ, et confirmatæ in Venerabili Domo Convocationis, Primo die Auguſti. Anno Dom. 1621. 27

1. Fundatio Duarum Lecturarum in Diſciplinis Mathematicis, per Henricum Savile, Collegii Mertonenſis Cuſtodem. Publicata et confirmata in Venerabili Domo Convocationis, Anno Dom. 1619. Auguſt 11. 28
2. *De utriuſque Profeſſoris Munere et Officio.* *Ibid.*
3. *De Temporibus Ceſſationum; quoties teneantur legere in Septimana; et ſub quibus Forisfacturis.* 30
4. *De Auditoribus in utraque Profeſſione.* 31
5. *Qui et Quales eligi debent in Mathematicos Profeſſores.* 32
6. *De Electoribus et Electione: de Admiſſione et Juramento Electi.* *Ibid.*

7. *De*

7. *De Stipendiis utriuſque Profeſſoris.* 33
8. *De Locationibus Prædiorum.* 34
9. *De cauſis propter quas uterque Profeſſor amittet omne jus ſuum in Profeſſione ſua.* 35
10. *De Cauſis Expulſionis Profeſſorum.* *Ibid.*
11. *De Annuo Computo per Vice-Cancellarium faciendo: et de Ciſta Mathematica inſtituenda.* Pag. 36
12. *De Licentia danda Profeſſoribus pro abſentia a Conventibus publicis.* *Ibid.*
Finis et Concluſio Statutorum. 37

De Fundanda Lectura in Philoſophia Naturali Dom. Gulielmus Sedley Miles in Supremis Tabulis ſic cavit. *Ibid.*

Ordinationes Thomæ White, S. Theologiæ Doctoris, circa Lecturam in Morali Philoſophia a ſe inſtitutam, editæ ac confirmatæ in Venerabili Domo Convocationis, Anno Dom. 1621. Auguſti 1mo. 38

Statuta et Ordinationes factæ et ſtabilitæ per Cancellarium Magiſtros et Scholares Univerſitatis Oxonienſis, una cum Conſenſu Richardi Tomlins, de Civitate Weſtmonaſterii Armigeri, de Lectura Anatomica fundata, et conſtituta, per eundem Richardum Tomlins, in eadem Univerſitate. Januarii 15°. Anno Dom. 1623. 41

Statuta Doctoris Heyther, de Muſices Praxi Hebdomadali. Publicata et confirmata in Domo Convocationis, Anno Dom. 1626. Novemb. 16. 45

Statuta Lecturæ Arabicæ fundatæ per Reverendiſſimum Guilhelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Cancellarium Univerſitatis Oxonienſis. 46

Statuta et Ordinationes factæ et ſtabilitæ per Cancellarium Magiſtros et Scholares Univerſitatis Oxoniæ de Lectura Poetica, per Henricum Birkhead, Collegii Omnium Animarum olim Socium, fundata et conſtituta in eadem Univerſitate. 48

Forma Statutorum Diſpoſitionem Pecuniarum et Proventuum, a Benefactione ſpectatiſſimi Viri Caroli Viner Armigeri oriundorum, concernentium. 50

CAP. I.

De Rationibus ſervandis et annuo Computo faciendo. *Ibid.*

CAP.

APPENDIX STATUTORUM.

CAP. II.

De Prælectoris Electione, Conditionibus, et Stipendio. 51

CAP. III.

De Officio Prælectoris. *Ibid.*

CAP. IV.

De Cauſis amovendi Prælectorem. Pag. 52

CAP. V.

De Stipendio et Numero Sociorum et Scholarium. 53

CAP. VI.

De Electione et Conditionibus Sociorum. *Ibid.*

CAP. VII.

De Electione et Conditionibus Scholarium. 54

CAP. VIII.

De Cauſis amovendi Socios et Scholares. *Ibid.*

CAP. IX.

De Tempore Electionum, et de Stipendiis Munerum vacantium debite diſtribuendis. 55

† Statuta Carolina de Cyclo Procuratorio, edita Auctoritate Sereniſſimi Regis Caroli I. Confirmata in Domo Convocationis, Anno Dom. 1628. 56

Ad Statutorum Tit. II. Sect. 9.

De Privilegiis Univerſitatis et Civitatis ſimul non fruendis. 59

Ad Statutorum Tit. VI. Sect. 1. §. 1.

De Indulgentia Baronum filiis ex Gente Scotica vel Hibernica concedenda, &c. 60

Ad Statutorum Tit. VI. Sect. 2. §. 13.

De binis Declamationibus habendis ante Inceptionem in Artibus. *Ibid.*

Ad Statutorum Tit. VII. Sect. 1. §. 9.

De ulteriori Explicatione Statuti De Cœna Veſperiali. 63

Ad Statutorum Tit. X. Sect. 2. §. 7.

De Delegatorum Preli nominatione et munere. *Ibid.*

† Vid. App. P. 85.

APPENDIX STATUTORUM.

SECTIO I.

De Scholaribus in Aulas admittendis. 65

SECTIO II.

De Divinis Officiis ab Aularibus obſervandis. Pag. 66

SECTIO. III.

De Scholaſticis Exercitiis ab Aularibus præſtandis. 67

SECTIO IV.

De Converſatione honeſta et Moribus Aularium. 70

SECTIO V.

De Principalibus Aularum eorumque Subſtitutis. 74

SECTIO VI.

De Impoſitore et Seneſchallo. 76

SECTIO VII.

De Obſonatore, Promo, Coquo, et aliis Servientibus. 77

SECTIO VIII.

De Rebus et Locis communibus. 79

SECTIO IX.

De Cameris et earum Diſpoſitione. 80

SECTIO X.

De Communiis et earum Diſtributione. 81

SECTIO XI.

De Solutione Debitorum. 82

SECTIO XII.

De Statutorum Cuſtodia, et Pœnis Delinquentium. 83

Ordo Procuratorius. 85

ΕΠΙΝΟΜΙΣ. 87

GUILIELMUS

Divina Providentia Archiepiſcopus Cantuarienſis, totius Angliæ Primas ac Metropolitanus, et Univerſitatis OXONIENSIS Cancellarius,

UNIVERSIS et ſingulis tam Laicis quam Clericis Salutem in Domino ſempiternam. Cum ex imperato Sereniſſimi Potentiſſimique Domini noſtri CAROLI Regis, ad affectatam inceptamque a nobis Reformationem Statutorum Univerſitatis prædictæ (quæ varias ex decurſu ſeculorum ſibi difficultates contraxerant, atque inſtauratione explicatione etiam et novorum adjectione indiguerant) accelerandam perimplendamque enixius nuper accingeremur, ut Prudentiſſimi Optimique Principis voto atque ſingulari ejus vereque Regio erga bonas artes ac dictæ Univerſitatis regimen amori ejuſmodi, qua fieri potuit, ſatisfaceremus; Cumque res ea quidem perquam ardua (id quod exinde ſatis deprehenſum eſt, quod ſeculis anterioribus eadem toties fruſtra tentata ſit) ex auctoritate et decreto Convocationis dictæ Univerſitatis, mandaretur primo Viris egregiis ad hoc ſpecialiter deputatis, qui Statuta tum vetera tum recentia, ac inſuper de novo addenda, quæ præſenti dictæ Univerſitatis regimini magis accommoda viderentur, in unum Corpus conjicerent; quod illi diligenter etiam præſtiterunt: Cumque, poſtquam Corpus illud denuo ſub incudem Præfectorum Collegiorum et Aularum dictæ Univerſitatis vocatum, in Conventu ipſorum Præfectorum hebdomali, fido et ſevero examine fuiſſet ventilatum, Vice-Cancellarius dictæ Univerſitatis Convocationi dictæ Univerſitatis viceſimo die Auguſti Anno Salutis MDCXXXIII habitæ ſignificaret id totum quod hac in re ut præfertur præſtitum eſt, ultimamque mei manum ſeu recenſionem et confirmationem Corpus illud tum ſolummodo deſiderare; Unde dictæ Convocationi tunc placuit me dictæ Univerſitatis nomine rogandum

eſſe, ut dictum Statutorum corpus recenſerem, atque ſigillo firmarem; Cumque ita dictæ Univerſitatis nomine rogatus, matura in dicto Statutorum Corpore recenſendo deliberatione habita, atque aliis in eodem mutatis, aliiſque ſecundum id quod præſenti dictæ Univerſitatis regimini magis idoneum mihi viſum eſt, adjectis, ipſum Corpus dictorum Statutorum typis excudi, atque ejuſdem exemplaria excuſa per ſingula Collegia et Aulas dictæ Univerſitatis diſpergi, atque omnia et ſingula Statuta in eodem contenta, in probationem præviam, obſervari curarem, ut ſcilicet tam ex temporario ejuſdem Corporis ac Statutorum uſu ac praxi in dicta Univerſitate regenda, quam ex omnium Academicorum recognitione et examine, cui ita expoſitum eſt dictum Corpus, eorumque judicio libero, ab ipſis commodius reſcirem, utrum in dicto Corpore Statutorum errores aliqui defectuſne hactenus reſtarent: Unde etiam evenit, ut poſt annuum amplius dicti Corporis in dicta Univerſitate regenda uſum et praxin, correctis et ſuppletis corrigendis ſupplendiſque, dictum Statutorum Corpus, quantum fieri potuerit aut in opere hujuſmodi expectari debuerit, limatum omnino et repurgatum atque regimini dictæ Univerſitatis accommodum conſummatum perfectumque redderetur: Cumque dictum Corpus, ita limatum repurgatum conſummatum perfectumque, in Codicem tranſcribi curaverim membranaceum, ut Corporis Statutorum jam dicti Exemplar ſeu Codex eſſe ipſe authenticus, atque norma ſeu index perpetuus quarumcunque variarum in aliis quæ fuerint exemplaribus Lectionum habeatur; Cui quidem Codici authentico, in Archivis dictæ Univerſitatis nunquam non aſſervando, Titulus ſeu Inſcriptio eſt, *Corpus Statutorum Univerſitatis* Oxoñ: *ſive Pandectes Conſtitutionum Academicarum e Libris publicis et Regeſtis Univerſitatis conſarcinatus:* Numerus vero Titulorum particularium in eodem Codice contentorum ſunt xxi; quorum Primus eſt, De Terminis et Vacationibus; Secundus, de Matricula Univerſitatis, et de Scholaribus aliiſque ad Privilegia Univerſitatis admittendis; Tertius, de Scholaribus in Collegia et Aulas compellendis; Quartus, de Lectoribus publicis; Quintus, de Auditoribus Lectionum publicarum; Sextus, de Tempore ad Gradus capeſſendos requiſito, et de Exercitiis pro Forma præſtandis; Septimus, de generali Inceptione in Facultatibus, ſive de Veſperiis et Comitiis; Octavus de Diſputationibus Ordinariis; Nonus, de Congregationibus Magiſtrorum Regentium; Decimus, de Magna Congregatione, ſive Convocatione Magiſtrorum Regentium et non Regentium; Undecimus,

Statuta

Statuta generalia ad Congregationes et Convocationes ſpectantia; Duodecimus de Aſſimilationibus parvis, ſeu Simile-primo; Decimus tertius, de Hebdomadali et Ordinario Conventu Præfectorum; Decimus quartus, de Veſtitu et Habitu Scholaſtico; Decimus quintus, de Moribus conformandis; Decimus ſextus, de Concionibus; Decimus ſeptimus, de Officiariis Univerſitatis; Decimus octavus, de Miniſtris et Servientibus Univerſitatis; Decimus nonus, de Feodis ad Univerſitatem, Officiarios, et Servientes pertinentibus; Vigeſimus, de Bonis, et Locis publicis Univerſitatis; Vigeſimus primus, de Judiciis: Atque adjicitur etiam eidem Codici Appendix Statutorum quæ complectitur 1. Ordinationem Margaretæ Comitiſſæ Richmondiæ, circa Lectorem in S. Theologia. 2. Statuta Bibliothecæ publicæ Bodleianæ. 3. Statuta Saviliana de Profeſſoribus Matheſeos. 4. Dotationem Lecturæ in Philoſophia Naturali per D. Guil. Sedley. 5. Statuta Doctoris White, de Lectore Moralis Philoſophiæ. 6. Statuta Lecturæ Anatomicæ. 7. Statuta Doctoris Heyther de praxi Muſices hebdomali: 8. Statuta CAROLINA de Cyclo Procuratorio. 9. Statuta Aularia: Denique coronidis loco ſubjicitur Explanatio Juramenti, quod de obſervandis Statutis Univerſitatis a ſingulis præſtari ſolet; quatenus ſcilicet ſeu quouſque obligare jurantes cenſendum ſit: Foliorum autem dicti Codicis ſimul cum Appendice prædicta numerus, ſunt Ducenta minus uno, præter Titulum Operis, Conſpectum Erratorum, Præfationem et Elenchum Titulorum, Operi præmiſſa; ut et vacua aliquot folia in fine Codicis: Ut igitur dictus Codex ſeu Corpus Statutorum dictæ Univerſitatis prædictum, atque omnia et ſingula Statuta dictæ Univerſitatis in dicto Codice ſeu Corpore comprehenſa, vim legitimam et firmitudinem ad omnimodum juris effectum impoſterum perpetuo ſortiantur habeant et obtineant; Nos ex auctoritate, tam ea quæ ex officio Cancellariatus noſtri dictæ Univerſitatis, quam ea quæ ex decreto Convocationis dictæ Univerſitatis hac in parte habito nobis competit, ex certa ſcientia noſtra dictum Codicem ac Corpus Statutorum dictæ Univerſitatis prædictum, et omnia et ſingula Statuta dictæ Univerſitatis in dicto Codice ſeu Corpore contenta, per has Literas noſtras Sigillo noſtro tam Archiepiſcopali quam Cancellariatus noſtri prædicti munitas, quantum in nobis eſt approbamus, confirmamus, et ratificamus in perpetuum. In Cujus rei teſtimonium præſentibus Sigilla noſtra prædicta appenſa ſunt. Dat: Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto, Menſis Junii die ſecundo.

CAROLUS

Dei Gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor, &c.

OMNIBUS ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem. Cum ob multiplicem in celeberrima Univerſitate Oxoñ. Statutorum varietatem, atque ingentem, quæ per anteriora ſecula excrevit, congeriem tam obſervationis eorum quam interpretationis, difficultates non exiguæ nec infrequentes dudum evenerint, neque fuerint ipſa recentiori ævo ſatis accommoda omnia aut conſentanea; Cui malo ut tempeſtiva Reformationis medela adhiberetur, atque ut nova etiam, ubi res exigeret, quæ regimini dictæ Univerſitatis maxime utilia forent, conſtituerentur; Nos ipſi ſummo quo dictam Univerſitatem Scientias Facultates bonaſque Artes proſequimur amore ducti, atque ut poſteritas ibi Statutis ac Legibus omnimoda confuſione, contrarietate, et quantum fieri poſſet difficultate liberis ac abſolutis gauderet et frueretur, prædilectum et perquam fidelem Conſiliarium noſtrum Reverendiſſimum in Chriſto patrem Guilielmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Cancellarium dictæ Univerſitatis, inſtantius hortati ſumus etiam et in mandatis ei dedimus, ut id, quod ipſe in hanc rem feliciter antea inceperat, enixius acceleraret; ita tamen ut ab antiquis Statutis longius non abiretur quam vel neceſſitas vel diſpar ſeculi genius requireret; Cumque dictus Cancellarius dictæ Univerſitatis inter ſumma et felicia conamina ſua alia, quibus dictam Univerſitatem, non ſolum tam diſciplinæ quam morum inſtauratione, ſed etiam munificentia eximia, indies beare impenſius nititur, ſumma cum gravitate et prudentia fieri juxta curaverit ut Statuta præſenti dictæ Univerſitatis regimini idonea in unum Codicem membranaceum ſimul conjicerentur, quem quidem Codicem et omnia et ſingula Statuta in eodem contenta, poſtquam ex annuo amplius ejuſdem in dictæ Univerſitatis regimine, uſu, morum ac diſciplinæ Magiſtrorum ac Scholarium

ibidem

ibidem bono perquam conſonum illum eſſe atque utilem ſatis haberet exploratum, Literis ſuis Sigillo tam Archiepiſcopali ſuo quam Cancellariatus ſui dictæ Univerſitatis munitis confirmaverit, quas quidem Literas Nos inſpeximus in hæc verba, GUILIELMUS *divina Providentia Archiepiſcopus Cantuarienſis, totius Angliæ Primas*, &c: Cum inſuper humillime nobis ſupplicaverit dictus Cancellarius dictæ Univerſitatis ut omnia et ſingula ut præfertur circa dictorum Statutorum Compilationem ac Reformationem acta, prout in Literis Confirmationis dicti Cancellarii continentur, grata et rata haberemus ipſi, et regiam eis adjiceremus Confirmationem: Sciatis igitur quod Nos ex gratia ſpeciali certa ſcientia et mero motu noſtris pro Nobis Heredibus et Succeſſoribus noſtris acceptavimus approbavimus ratificavimus et confirmavimus, et per has Literas noſtras Patentes acceptamus approbamus ratificamus et confirmamus, Codicem ac Corpus Statutorum prædictum ita ut præfertur a Cancellario prædicto confirmatum, et omnia et ſingula Statuta dictæ Univerſitatis in eodem Codice ac Corpore contenta, totumque illud quod, ut prædictum eſt, ſive a Reverendiſſimo Cancellario ſive a Convocatione prædicta ſive a Delegatis ſive a Præfectis in dictis Cancellarii Literis confirmatoriis memoratis hac in parte ut præfertur eſt præſtitum, ratum et gratum habuimus et per has Literas noſtras Patentes ratum et gratum habemus; Dantes et concedentes, pro Nobis Hæredibus et Succeſſoribus noſtris, dicto Cancellario Magiſtris et Scholaribus Univerſitatis prædictæ eorumque Succeſſoribus imperpetuum, tum quod omnia et ſingula Statuta dictæ Univerſitatis modo et forma eiſdem quibus in dicto Codice ſeu Corpore deſcribuntur contexuntur reformantur inſtaurantur ordinantur ſupplentur et dictæ Univerſitatis regimini accommodantur, et ſecundum intentionem in dicto Codice expreſſam ſeu habitam, vim omnimodam et effectum in dicta Univerſitate perpetuo impoſterum ſortiantur et obtineant, tum quod omnia et ſingula anteriorum ſeculorum Statuta dictæ Univerſitatis quæ aut Statutis in dicto Codice comprehenſis ullatenus aut eorum alicui omnino repugnaverint aut contraria fuerint, aut ex intentione dicti Codicis ſeu alicujus ejuſdem Clauſulæ pro ſupervacuis, abolendis, aut reſecandis ſint habita, pro abolitis reſecatis abrogatis et reſciſſis habeantur et aboleantur abrogentur et reſcindantur imperpetuum. Atque ulterius etiam volumus et firmiter injungentes præcipimus ut omnes et ſinguli Collegiorum et Aularum dictæ Univerſitatis Præfecti, eodem ipſo die quo hæ Literæ noſtræ Patentes in Convocatione dictæ Univerſitatis apertæ et promul-

promulgatæ fuerint, ad Calcem dicti Codicis ſeu alibi in eodem Codice (loco et modo et forma a dicto Cancellario ejuſque arbitrio deſignandis) aſſenſum ſuum dicto Codici et Statutorum Corpori et omnibus et ſingulis Statutis in eodem contentis ejuſque atque eorundem auctoritati in Scriptis præbeant, atque hujuſmodi aſſenſum nominum ſuorum ſubſcriptione (loco modo et forma ejuſmodi ſubſcriptionis itidem a dicto Cancellario deſignandis) reſpective declarent et confirment. Ac pro meliore et conſtantiore dictorum Statutorum impoſterum obſervatione præterea volumus etiam et firmiter injungentes præcipimus, ut omnes et ſinguli dicti Præfecti eodem ipſo ſimiliter die prædicto, et omnes et ſinguli Magiſtri et Scholares dictæ Univerſitatis qualiſcunque fuerint conditionis gradus ſeu nominis (modo ætatis ejuſmodi fuerint qua Juramentum ad dictæ Univerſitatis Statuta obſervanda ex recepto dictæ Univerſitatis more præſtari ſolet) intra Sex Menſes a die prædicto Juramentis ſe reſpective denuo obſtringant ad omnia et ſingula dicta Statuta, in dicto Codice ſeu Corpore comprehenſa, obſervanda et perimplenda eodem modo eademque verborum conceptorum formula qua Juramenta ad obſervationem Statutorum dictæ Univerſitatis temporibus retroactis præſtari ſolita ſunt; aliquo Actu, Statuto, Ordinatione, ſeu aliqua alia re quacunque, in contrarium præmiſſorum ſeu eorum alicujus exiſtente aut uſitata, non obſtante. In Cujus rei teſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus Patentes, Teſte Me ipſo apud Weſtmonaſterium Tertio die Junii anno regni noſtri duodecimo;

Per ipſum Regem.

WOLSELEY.

TITULUS I.

DE TERMINIS ET VACATIONIBUS.

§. 1. *De Terminorum numero, initio, & fine.*

ORDINATUM eſt, quod Annus Academicus, prout ſequioris Ævi conſuetudo obtinuit, quatuor Terminos, in quibus omnes Actus Scholaſtici exercendi ſunt, et totidem Vacationes contineat.

E quibus [1] primus Terminus incipiet in craſtino S. Dionyſii, ſcilicet decimo Octobris, (in quo antiquitus Magiſtri Lectiones ſuas reſumere ſolebant;) et octavo die ante Natalem Domini, ſcilicet decimo ſeptimo Decembris, in craſtino diei qui O Sapientia dici ſolet, terminabitur.

Secundus autem in craſtino S. Hilarii, hoc eſt, decimo quarto Januarii, inchoabitur; et in Vigilia Dominicæ Palmarum deſinet; Ita tamen, quod Lectores ſeu Profeſſores non teneantur legere tempore Quadrageſimali.

Tertius autem die Mercurii poſt Dominicam in Albis, hoc eſt, decimo die poſt feſtum Paſchatis, initium ſumat; et in feria quinta, hoc eſt, die Jovis proxime ante Pentecoſten, exeat.

1 A. 102. b. C. 26. b. D. 7. b.

Quartus feria quarta, ſive die Mercurii poſt feſtum Sanctæ Trinitatis, auſpicetur; et continuetur ex prorogatione, virtute præſentis Statuti (abſque præjudicio vel incommodo Statutorum vel Conſuetudinum alicujus Collegii vel Aulæ) in diem Sabbati Comitia proxime ſequentem; et ulterius, ſecundum beneplacitum Vice-Cancellarii, Procuratorum, et Magiſtrorum Regentium.

Quod ſi forte initium vel finis alicujus Termini in diem Feſtum inciderit, inchoatio vel terminatio ejuſdem in diem immediate ſequentem differatur.

Plenus autem Terminus, quoad exercitia in pleno Termino per Statuta neceſſario præſtanda, inchoari intelligendus eſt primo die Hebdomadis ſequentis primam Congregationem; utpote, ſi prima Congregatio fuerit die Lunæ, Dominica proxime ſequens habeatur primus dies in pleno Termino.

§. 2. *De Precibus ſolennibus, ac Concionibus Latinis, initio cujuſque Termini habendis.*

QUO auſpicatius ſimul et ſolennius Terminus quiſque inchoetur, [1] ordinatum eſt, quod poſt Preces publice ſecundum Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ in Eccleſia B. Mariæ Virginis celebratas, Concio Latine ad Clerum habeatur.

[2] Quam concionem S. Theologiæ Profeſſores, et alii in Theologia Graduati Sacris Ordinibus initiati, ſeriatim obeant; aut alii illorum loco ſubſtituti, per Vice-Cancellarium approbandi. Proviſo ſemper, quod nullus ad muneris prædicti functionem obeundam vice alterius quoviſmodo admittatur, niſi Sacris Ordinibus initiatus, quique in Theologia graduatus fuerit; aut ſaltem Artium Magiſter per quatuor annorum ſpatium a ſuſcepto Magiſterii gradu; quique inſuper Facultati Theologiæ nomen ſuum dederit.

Preces autem has publicas, tunc atque etiam quacunque alia occaſione habendas, ipſe Cancellarius, aut ejus Vice-Cancellarius, ſive Deputatus, aut aliquis alius e publicis S. Theologiæ Prælectoribus, aut (aliquo ipſorum concionante) quicunque alius S. Theologiæ Doctor, Collegii alicujus aut Aulæ Præfectus, a Cancellario, Vice-Cancellario, aut ejus Deputato, ſubſtitutus perlegat, et reliqua ibidem in Officiis Divinis præſtanda celebret ac peragat.

1 KK. 9. b. 2 KK. 308. a. B. 112. b.

[1] Duo

[1] Duo autem e Magiſtris neceſſario Regentibus, aut etiam non Regentibus, qui adfuerint, a Procuratoribus perſonaliter deſignati, et per Bedellum requiſiti, Litaniam ſolenniter ac devote cantent; Chorus autem reſpondeat. Quod ſi quis requiſitus recuſaverit, mulctetur quinque ſolidis in uſum Univerſitatis; et Procuratores e præſentibus alios uſque deſignare teneantur, donec aliqui in ſe recipiant. Quod ſi neminem deſignare voluerint Procuratores, ipſi ad cantandum teneantur.

Demum poſt peractas Preces, finita etiam Concione, ad ſacram Synaxin decenter et reverenter celebrandam ſe accingant. Cui melioris notæ Academicos frequentes adeſſe, præter conſcientiæ dictamen, publici exempli intereſt; ſicut et ſingulos ceremoniis et Canonibus Eccleſiæ conformes ſe præſtare intereſt Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, contra quam ne quid peccetur ſedulo curabit Vice-Cancellarius.

1 A. 104. a. B. 51. b. C. 23. b.

TITULUS

TITULUS II.

DE MATRICULA UNIVERSITATIS.

§. 1. *De Matricula Universitatis custodienda.*

CUM [1] multis eisdemque graviſſimis de cauſis ſanctiſſimæ noſtræ Univerſitati non minus neceſſarium quam operæ pretium exiſtimatum ſit, ut certa aliqua ratio ineatur, qua facillime nulloque negotio intelligi ſemper perſpicique poſſit omnium eorum cum numerus tum conditio, quos ſuo aliquando ſinu complexa ſit atque foverit; Idcirco conceptis verbis ſtatuendum, novaque lege ſanciendum eſſe duxit, ut perpetuis poſthæc temporibus ſit et conſervetur penes Cancellarium, vel ejus Commiſſarium qui pro tempore exiſtet, unum Regiſtrum ſive Liber Matriculationis omnium Perſonarum tam Studentium, quam Servientium, aut Miniſtrorum eorundem; omniumque aliarum Privilegiatarum perſonarum, juribus ſive libertatibus ejuſdem Univerſitatis, quocunque titulo ſive prætextu, utentium.

§. 2. *Matriculæ diſtributio in Capita.*

VOLUMUS [2] ut hoc Regiſtrum, ſive liber Matriculationis, in tot Capita, quot ſunt Collegia et Aulæ, dividatur; quibus etiam adjungatur aliud Caput continens omnes et ſingulas alias perſonas Privilegiatas intra præcinctum Univerſitatis habitantes et commorantes.

1 P. 1. 2 P. 1. §. 2.

§. 3.

§. 3. *De tempore et conditionibus Matriculationis.*

OMNES et ſinguli Studentes ſeu Scholares, cujuſcunque conditionis, intra quindenam poſtquam ad Univerſitatem acceſſerint, coram Cancellario ejuſve Commiſſario matriculandos ſe ſiſtant; nec, priuſquam in Matriculam Univerſitatis relati fuerint, ullis Univerſitatis privilegiis aut beneficiis gaudeant. Quod ſi a Præfecto Domus ſuæ, ejuſve Deputato, legitime moniti, nihilo ſecius matriculandos ſeſe non ſiſtant, pro qualibet quindena ſuæ dilationis ſex ſolidis et octo denariis ad uſum Univerſitatis mulctentur.

[1] Quotquot autem in Matriculam Univerſitatis redigendi accedunt, ſi decimum ſextum ſuæ ætatis annum attigerint, Articulis Fidei & Religionis ſubſcribant; et de agnoſcendo Primatu Regiæ Majeſtatis, nec non de fidelitate Univerſitati exhibenda, Statutis, Privilegiis, et Conſuetudinibus ejuſdem obſervandis, juxta formam hactenus uſitatam, corporale juramentum præſtent.

Quod ſi infra decimum ſextum et ſupra duodecimum ætatis annum extiterint, Articulis Fidei et Religionis duntaxat ſubſcribent, et in matriculam redigentur.

Quod ſi duodecimum non exceſſerint, in matriculam duntaxat referentur; utrique tamen poſtmodo, ubi ad maturam ætatem pervenerint, qua cætera requiſita præſtare poſſint, tum demum ea præſtare teneantur, ſub pœna non ſiſtentium ſe matriculandos.

§. 4. *De officio Bedellorum circa Scholares Matriculandos.*

ITEM [2] ut Ordinationes de Matriculandis omnibus et ſingulis, tam Scholaribus, quam aliis, debitum effectum ſortiantur; Statutum eſt, quod duo ſuperiores Bedelli Theologiæ et Juris, qui pro tempore exiſtent, omnia Capita tam Collegiorum quam Aularum æqualiter inter ſe habeant diviſa; et ſub finem cujuſlibet menſis ſingula Collegia ſive Aulas, ſuæ ſorti deſignata, perſonaliter adeant, et, diligenti ibidem examinatione habita tam libri Batellarum, quam Obſonatoris cujuſlibet Collegii et Aulæ, omnium et ſingulorum eodem menſe in idem Collegium ſive Aulam admiſſorum, necdum matriculatorum, nomina in ſchedulas redigant, et Præfecto cujuſque Collegii vel Aulæ exhibeant.

1 P. 2. §. 1, 5. KK. 340. b. 2 P. 3. §. 3.

Quod

Quod ſi aliquos intra debitum tempus matriculandos ſeſe haud ſtitiſſe reperiant, eoſdem Cancellario vel ejus Deputato infra quindenam denuncient, ſub pœna amiſſionis, pro ſingulis non denunciatis, denariorum, qui e proventibus, quos ex feudis Matriculationis prædicti percepturi ſunt, ſubtrahantur.

§. 5. *De officio Præfectorum circa Scholares Matriculandos.*

DEcretum [1] eſt, quod omnes et ſinguli Præfecti ſive Magiſtri Collegiorum aut Aularum, (ſive quocunque alio titulo ac nomine cognoſcantur, aut cenſeantur) aut, ipſis abſentibus, eorum Deputati, teneantur et obligentur, infra quindenam à tempore quo aliquis Scholarium ſive Studentium in ſuum Collegium ſive Aulam fuerit admiſſus, eundem Scholarem ſive Studentem coram Cancellario, vel ejus Commiſſario qui pro tempore fuerit, perſonaliter ſiſtendum curare, ut in Matriculam Univerſitatis nomen ejus debite referatur.

Una cum Matriculando accedat ipſius Tutor, qui, fide ſua data Univerſitati, conditionem Matriculandi, (utrum ſcilicet Nobilis, Equitis, Doctoris, Armigeri, Generoſi, an Plebeii filius ſit,) Vice-Cancellario bona fide prodere tenebitur. Quod ſi Tutor recuſaverit, Tutoris munere ipſi interdicatur.

[2] Quod ſi quis Præfectus aut Magiſter, aut ejus Deputatus (poſtquam ipſi per Bedellum ſuperiorem ſive Theologiæ, ſive Juris Civilis, innotuerit, Scholarem vel Studentem ſuum infra tempus prædictum in Matriculam Univerſitatis relatum non eſſe,) eum ad comparendum, et ad cætera quæ requiruntur præſtanda, non compellat (qui, vigore hujus Statuti, compellendi poteſtatem habeat) pro qualibet quindena ſuæ dilationis poſt monitionem ſibi per Bedellum factam, tribus ſolidis et quatuor denariis ad uſum Univerſitatis mulctetur.

§. 6. *De Laicis ad Privilegia Univerſitatis admittendis.*

STatutum eſt, quod quilibet Laicus ad privilegia Univerſitatis admittendus curet ſe in Matriculam Univerſitatis referendum; et tempore admiſſionis ſuæ idem Juramentum præſtet, quod Studentes et Scholares; et [3] inſuper juret, quod nunquam aliquam Cauſam ſuam coram Majore aut Ballivis attemptabit, nec coram eorum aliquo, tanquam ſuo Judice, reſpondebit, quamdiu in Univerſitatis obſequio permanſerit.

1 P. 2. §. 4. KK. 340. b. 2 P. 3. §. 1. 3 B. 102. a.

§. 7.

§. 7. *De Studioſorum et Privilegiatorum Servientibus Matriculandis.*

ITEM [1] cum indignum ſit, ut Univerſitatis Privilegiis, ſummo nobis Principum favore conceſſis et indultis, ad alicujus fraudem aut injuriam quiſquam abutatur; ſerio inhibemus, ne Collegio aut Aulæ cuicunque, aut alicui Scholari ſive Studenti in aliquo Collegio ſive Aula commoranti, aut cuicunque alii Perſonæ privilegiatæ ubicunque degenti, permittatur, Servientem aliquem doloſe ſibi adſciſcere aut retinere, quem non in ordinario aut neceſſario ſuo famulitio alat, et annuo ſtipendio citra fraudem donet: Statuentes quod, [2] ſi quis aliter adſcitus fuerit, nullis omnino privilegiis Univerſitatis gaudeat; et qui adſciverit, pœnam viginti ſolidorum Univerſitati numerandorum, toties quoties, incurrat.

§. 8. *De Burgenſibus ad Privilegia Univerſitatis admittendis.*

DEcretum [3] eſt, ne in poſterum liceat alicui Burgenſium ad Privilegia Univerſitatis admitti, aut eiſdem ullo modo gaudere, niſi prius innoteſcat Vice-Cancellario et Procuratoribus tunc exiſtentibus, per Teſtes idoneos, aut aliquod publicum Inſtrumentum, hujuſmodi Burgenſem coram Majore et Ballivis plane et clare omnibus Libertatibus Villæ Oxonienſis renunciaſſe. Et ſi quis in poſterum ſecus admiſſus fuerit, ejus admiſſio irrita et nulla habeatur.

§. 9. *De Privilegiis Univerſitatis et Civitatis ſimul non fruendis.*

STatutum eſt, ne quiſpiam Officiarius Univerſitatis, aut alius quivis, Libertatibus et Privilegiis Univerſitatis et Civitatis ſimul gaudeat, aut fruatur. [4] Et quod, cum primum innotuerit hujuſmodi Officiarium, aut alium aliquem, Libertates et Privilegia Civitatis Oxoniæ obtinuiſſe, aut ſerio ambiiſſe, e veſtigio Officiarius hujuſmodi Officio ſuo privetur; alius vero quivis omnibus Libertatibus in perpetuum excludatur.

1 P. 4. §. 1. 2 P. 4. §. 1. B. 102. a. 3 KK. 207. b.
4 B. 103. b. C. 142. a. KK. 14. b.

§. 10.

§. 10. *De Feudis Matriculandorum.*

ORdinatum [1] eſt, quod quilibet Scholaris ſive Studens, aut quivis alius cujuſcunque ætatis aut conditionis, tempore Matriculationis, juxta ſanguinis et conditionis ſuæ qualitatem, perſolvat: prout exprimitur in Tabula penſili, palam ac publice, in Apodyterio Domui Congregationis vicino, proponenda.

§. 11. *De diſtributione Reditus, e feudis Matriculationis provenientis.*

STatutum eſt, quod proficua et emolumenta, ex Matriculatione Scholarium et aliorum quorumcunque provenientia, in [2] quatuor partes æquales dividantur. De quibus, ſuperior Bedellus in facultate Theologiæ duas partes percipiet; tertiam vero partem ſuperior Bedellus in facultate Juris; quartam Cancellarius pro certificatorio Matriculationis, et cuſtodia libri Matriculationis.

1 P. 3. §. 4. K. 73. b. 2 P. 5. §. 5. KK. 341. a.

TITULUS

TITULUS III.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

§. 1. *De Scholarium admiſſione in Collegia & Aulas. Ne quis in domibus privatis victitet, aut hoſpitetur.*

CUM ad eruditionem et ingenuam Diſciplinam promovendam plurimum conducat, ut Scholares non ſolum ſub publico ſed etiam ſub privato regimine contineantur; [1]Statutum eſt quod omnes Scholares cujuſcunque conditionis, intra ſeptimanam a primo ipſorum adventu ad Academiam, in aliquid Collegium aut Aulam admittantur; ubi continue victum ſumere ac pernoctare teneantur, nec ullo modo ultra tempus prædictum (niſi ex cauſa per Cancellarium aut ejus Vice-Cancellarium approbanda) in Domo privata cujuſquam (ſive Privilegiati, ſive non) hoſpitentur aut victitent: ſub [2]pœna quod ſi quis in hoc deliquerit, pro eo tempore quo ſic deliquerit, Univerſitatis Privilegiis non fruatur, et, creſcente contumacia, pro arbitrio Cancellarii aut Vice-Cancellarii incarceretur, aut banniatur.

[3]Quicunque vero alius (ſive Privilegiatus, ſive non) ultra tempus prædictum, Scholarem in domo ſua commorari, victitare, vel pernoctare permiſerit (ſi prius admonitus fuerit) pro qualibet ſeptimana, Vice-Cancellario ad uſum Univerſitatis decem ſolidos perſolvere teneatur. Quod ſi quis per tres menſes Scholarem in domo ſua hoſpitari aut victum ſumere permiſerit; ſi Privilegiatus fuerit, Privilegiis Univerſitatis privetur: ſi Oppidanus, commercio cum Privilegiatis ei interdicatur.

1 B. 113. a. 2 A. 29. b. 3 A. 64. b. C. 109. b.

Proviſo tamen, quod liceat Scholaribus in Domibus quibuſvis et Tenementis, Collegiis vel Aulis annexis vel annectendis, in quibus oppidani familiam non alunt, hoſpitari: dummodo in annectendis ſervetur hæc cautio; ut ita ſitæ ſint, ut ad eas nullus pateat ingreſſus, niſi per commune Oſtium Collegii, vel Aulæ. Cujus rei arbitrium et cura penes Cancellarium ſeu Vice-Cancellarium eſto.

§. 2. *Quales Tutores Scholaribus præficiendi ſint.*

STatutum eſt, quod Scholares in quolibet Collegio vel Aula, ſtatim a primo eorum ad Academiam adventu, ſinguli ſuos Tutores habeant, donec ad Gradum aliquem promoti fuerint; vel ſaltem quatuor annos (ut in Jure Civili Studentes) in Academia compleverint.

Et quod nullus pro Tutore ſe gerat, niſi qui ſit in aliqua Facultate Graduatus; Vir probitate et eruditione perſpecta, Religione ſincerus, [1] judicio Præfecti Collegii ſive Aulæ, in qua degit, comprobatus: vel, ſi circa hoc controverſia orietur, judicio Vice-Cancellarii approbandus.

Proviſo inſuper quod, ſi per probationes legitimas innoteſcat Vice-Cancellario, cuiquam minus idoneo Tutoris munus fuiſſe demandatum, liceat Vice-Cancellario eidem Tutoris officio omnino interdicere.

Tutor vero Scholares tutelæ et regimini ſuo commiſſos probis moribus imbuat, et in probatis autoribus inſtituat; et maxime in rudimentis Religionis, et Doctrinæ Articulis in Synodo Londini anno 1562 editis: ac pro virili ſuo Diſciplinæ in Eccleſia Anglicana publice receptæ eos conformes præſtabit. Quod ſi quis in aliquo prædictorum deliquerit, arbitrio Cancellarii vel Vice-Cancellarii coerceatur.

Tutoris etiam muneri incumbit, quoad ea quæ ipſius oculis quotidie ſeſe ingerere neceſſe eſt (qualia ſunt Veſtes, Ocreæ, Capillitium, &c.) Pupillos ſuos intra modum a Statutis præſcriptum continere; quem ſi exceſſerint Pupilli, Tutor pro prima, ſecunda, et tertia vice, qua deliquiſſe Pupillus deprehenſus fuerit, ſex ſolidis et octo denariis mulctabitur: quarta vero vice, Tutoris munere ipſi interdicet Vice-Cancellarius.

1 KK. 340. b.

§. 3.

§. 3. *De non migrando ſine venia ab uno Collegio vel Aula ad aliud.*

STatutum eſt [1] quod non licebit alicui Collegii vel Aulæ Præfecto quenquam Scholarem ſponte ſua ab alio Collegio vel Aula, ſine venia Præfecti ejuſdem ſub Chirographo obtenta, diſcedentem, aut alias bona Præfecti cum venia recedentem, nullo tamen ſub Chirographo ipſius obtento teſtimonio de honeſta ac laudabili ſua converſatione, in Collegium vel Aulam ſuam admittere, niſi cauſa receſſus et migrationis ſuæ per Cancellarium Univerſitatis qui pro tempore fuerit (vocato et audito Præfecto Domus a qua diſcedere cupit) primitus fuerit approbata; ſub pœna XLs, pro admiſſione cujuſque Perſonæ ſic admiſſæ, a Præfecto Collegii ſive Aulæ exigendorum.

[2] Quod ſi quis a Collegio aliquo vel Aula expulſus fuerit, (id quod ante cujuſquam admiſſionem explorare tenentur Præfecti Ædium ſub eadem pœna) nemo in Collegium vel Aulam ſuam eum admittat, donec Cancellarius, (cauſa expulſionis cognita, et pœna eidem pro arbitrio ſuo prius irrogata) admittendum cenſuerit, ſub pœna XLs, pro quolibet Scholari contra intentionem hujus Statuti admiſſo, Univerſitati a Præfecto, vel ejus Deputato, qui in hoc caſu deliquerit, ſolvendorum; et ſub pœna bannitionis infligenda Scholari, quem Vice-Cancellarius legitime expulſum judicaverit; quive (priuſquam pœnam a Cancellario impoſitam ſubierit) in aliquod Collegium vel Aulam ſe admittendum procuraverit.

1 A. 41. b. B. 101. a. C. 127. a. 2 A. 32. b.

TITULUS

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA AD LECTORES PERTINENTIA.

§. 1. *De Lectoribus ad Lecturas adhuc indotatas designandis.*

CUM [1] Magistris Regentibus universas Facultates seu Scientias, in quibus Magistrali decorantur honore, pro graduandorum forma in eisdem, in Scholis publicis ordinarie, de consuetudine antiqua, necdum abolita, legere ac docere incumbat; Statutum est, quod etiamsi, ex speciali quorundam Benefactorum munificentia, Lectores publici in quibusdam scientiis et facultatibus, secundum speciales Ordinationes per Universitatem jamdudum approbatas, non sine liberalibus salariis instituti sint; in cæteris facultatibus et scientiis (quoad in iis etiam Lecturæ consimili Benefactorum munificentia dotatæ fuerint) videlicet in Grammatica, Rhetorica, Logica, Metaphysica, Prælectores idonei ex Magistris Regentibus vel non Regentibus, illico post Comitia promulgationem Statutorum proxime subsequentia, de biennio in biennium eligantur: quorum electio, Venerabili Domui Congregationis permissa, ne forte sopitas jam dudum factiones et studia partium in posterum accendere et resuscitare possit; utque nihilo secius potestas eligendi, in publico non permissa, ad singulos in privatis Ædi-

1 A. 89. b. B. 42. a. C. 117. a. 121. b

bus

bus perveniat, conſultius viſum eſt poteſtatem Lectores iſtos eligendi eſſe penes quatuor Collegia, ſcilicet duo illa unde præſentis anni Procuratores fuerint, et duo alia unde ſequentis anni Procuratores futuri ſint. Ita quod duo illa Collegia, unde fuerint Præſentis anni Procuratores, ſecundum ſenioritatem Procuratorum; reliqua duo, ſecundum ordinem ſenioritatis, quo ad concionandum citantur, permiſſa Lecturæ optione, ſingula unum Lectorem eligant ſeu deſignent. Quod ſi horum Lectorum quempiam fato fungi, aut Academia excedere, vel alias quoquo modo harum Lecturarum aliquam vacare contigerit, Electio Lecturæ ſic vacantis eſto penes Principales et Magiſtros Aulares. In ſingulis autem Ædibus pro electo habeatur is, in quem conſenſerint Præfectus Domus et major pars ſuffragantium; quos ejuſdem conditionis eſſe oportet, quam Statuta Cycli Procuratorii requirunt. Quod ſi Præfectus, vel eo abſente, aut ſede vacante, ejus vices gerens, et major pars omnium ſuffragantium, intra ſeptimanam Comitia proxime ſequentem in unum aliquem non conſenſerint, nec eam ob cauſam Electio abſoluta fuerit, et die Saturni proximo poſt Comitia ante horam nonam veſpertinam Vice-Cancellario renuntiata; Collegium iſtud jus eligendi Lectorem iſta vice amittet, et ad Vice-Cancellarium ſpectabit nominatio; qui intra triduum aptam et habilem Perſonam ex Aularum aliqua aſſumendam in Lectorem cooptabit. Qui ſic electi in Scholis eiſdem facultatibus et ſcientiis deſtinatis, temporibus inferius aſſignandis, diligenter legere teneantur.

Et quo alacriori ſtudio Magiſtri in his facultatibus et ſcientiis hoc legendi munus obeant, ordinatum eſt, quod (ultra penſionem a Procuratoribus pendi ſolitam, et partem mulctarum abſentibus irrogandam) a ſingulis Inceptoribus (quibus antiquitus ordinarie legendi onus incubuit) tempore Comitiorum, ſuperior Bedellus in Artibus duos ſolidos recipiet: a ſingulis item Auditoribus (exceptis Servientibus ſive pauperibus Scholaribus) vice Collectæ quæ antiquitus pendi conſuevit, Bedelli in fine cujuſque Termini exigent ſex denarios, capiti cujuſque in libro Promptuarii irrogandos, et per Præfectos alioſve Officiarios cujuſque Collegii et Aulæ, ipſis requirentibus, ſine mora aut dilatione numerandos. Quas Summas ſic collectas Bedelli protinus Vice-Cancellario in manus tradent, per ipſum inter præfatos Lectores in fine cujuſque Termini æqualiter dividendas; niſi quid, mulctæ nomine, ab eorum quovis ſubtrahendum habeat Vice-Cancellarius.

§. 2.

§. 2. *De Prælectore Grammaticæ.*

PRælector Grammatices bis in qualibet ſeptimana, videlicet die Martis et Veneris, hora octava matutina, publice Grammaticam legat lingua Latina; vel technice e [8] Priſciano, Linacro, aut alio probato Grammatices Auctore; vel critice ſeu philologice ſelectos aliquos Titulos, de antiquitatibus Græcis aut Romanis, explicet.

Hujus lectionibus intereſſe et auſcultare omnes Scholares cujuſcunque conditionis, per annum integrum a primo ad Academiam adventu, teneantur.

§. 3. *De Prælectore Rhetoricæ.*

PRælector Rhetoricæ item bis in qualibet ſeptimana, videlicet diebus Lunæ et Jovis, hora etiam octava matutina, publice exponat Rhetoricam Ariſtotelis, [2] Ciceronis, Quinctiliani, aut Hermogenis; quos inter ſe ſic conferat, ux et iis Artis præcepta in unum corpus redigat.

Ejus Prælectionibus Scholares itidem cujuſcunque conditionis, per annum integrum a primo ad Academiam adventu, auſcultare teneantur.

§. 4. *De Prælectore Dialecticæ.*

PRælector Dialectices, diebus Lunæ et Jovis, hora octava matutina, publice exponat aut Porphyrii [3] Iſagogen, aut quamcunque Logicæ Ariſtotelicæ partem; Textum dilucide ac breviter exponendo: nec diu immoretur quæſtionibus circa methodum vel analyſin Libri ſeu Textus, ſed quæſtiones ad materiam libri pertinentes rite eliciat, et ſuccincte ac nervoſe diſcutiat.

Hujus Lecturæ auditores ſint ſinguli Scholares a primo anno completo, quouſque ad Gradum Baccalaureatus in Artibus præſententur.

§. 5. *De Prælectore Moralis Philoſophiæ.*

PRælector Philoſophiæ Moralis diebus Martis et Veneris, hora octava matutina, Ariſtotelis [4] Ethica ad Nicomachum, Politica, necnon Oeconomica, publice legat, Textum exponendo, et quæſtiones, prout e Textu Ariſtotelis emergunt, ſuccincte diſcutiendo.

Hujuſque Lecturæ auditores ſunto ſinguli Scholares a primo anno completo, quoad præſentati fuerint ad Gradum Baccalaureatus in Artibus.

1 C. 145. b 2 C. 145. b. 3 C. 145. b. 4 C. 145. b.

§. 5.

§. 6. *De Prælectore Geometriæ.*

PRælector Geometriæ ſecundum Statuta [1] Saviliana bis in qualibet ſeptimana legat, ſcilicet diebus Mercurii et Saturni, hora octava matutina; et qui per Statuta illa tenentur, auditores ſunto.

§. 7. *De Prælectore Aſtronomiæ.*

PRælector item Aſtronomiæ Statuta Saviliana obſervet. Legat vero diebus Lunæ et Jovis, hora itidem octava matutina. Auditoreſque quidem ſint, qui iiſdem Statutis deſignantur.

§. 8. *De Prælectore Muſicæ Doctoris Heyther.*

PRælector Muſicæ, a Gulielmo Heyther Muſices Doctore inſtitutus, ſemel vel ſæpius quolibet anni Termino, in Schola Muſica, illius Artis Theoriam, inter horas octavam et nonam antemeridianas, legat. In Veſperiis autem Comitiorum quotannis, inter horas nonam et decimam antemeridianas (interpoſita muſicorum inſtrumentorum modulatione) vernacula lingua ſolennem etiam ibidem habeat lectionem. Hujus Lectoris annua deſignatio penes Procuratores, ſi ante inchoatum Terminum Michaelis in unum aliquem conſenſerint, alioqui penes Vice-Cancellarium, eſto.

Qui ad incrementum annui ſtipendii (trium ſcilicet Librarum) prædicto Lectori per Fundatorem allocati, quadraginta quinque ſolidos, (Lectori moralis Philoſophiæ ante hæc numeratos) prædictis Libris per Procuratores adjiciendos, recipiet.

§. 9. *De Prælectore Naturalis Philoſophiæ inſtituto per ſpectabilem virum Dum. Guil. Sedley.*

LEGAT Prælector Naturalis Philoſophiæ Ariſtotelis Phyſica, aut libros de Cœlo et Mundo, aut de Meteoris, aut ejuſdem parva Naturalia, aut libros de Anima, necnon libros de Generatione et Corruptione, bis in qualibet ſeptimana in pleno Termino, [3] diebus ſcilicet Mercurii et Saturni, hora octava antemeridiana. Au-

1 Vid. Append. 2 Vid. Stat. Heytheriana in Appendice, ad finem lib.
3 N. 104. b.

ditores

ditores ſint Artium Baccalaurei, iidem qui et Aſtronomiæ. Mulcta Prælectoris non legentis eſto, decem ſolidi; Auditoris abſentis, quatuor denarii. Quoniam vero, quibus ſpectabilis Vir D. Guilielmus Sedley hujus Lecturæ a ſe fundatæ regimen commiſit, iiſdem etiam Lectoris eligendi poteſtatem permiſſam voluiſſe veriſimile eſt, Statutum eſt, quod Vice-Cancellarius, Præſes Collegii Magdalenenſis, et Cuſtos Collegii Omnium Animarum, qui pro tempore fuerint, quotieſcunque hanc Lecturam vacare contigerit, Lectorem, in quem ipſi vel duo ex ipſis conſenſerint, continuo ſubrogabunt.

§. 10. *De Prælectore Metaphyſicæ.*

PRælector Metaphyſicæ bis in ſeptimana, diebus ſcilicet Martis, et Veneris, hora octava antemeridiana, Ariſtotelis Metaphyſica legat; Textum quoad fieri poteſt dilucide exponendo, et quæſtiones Metaphyſicas, quæ apud ſcriptores antiquos et modernos agitantur, prout e Textu Ariſtotelis emergunt, ſuccincte ventilando. Lecturæ ſuæ auditores habeat Baccalaureos omnes, quouſque ad Gradum Magiſtrorum præſentati ſeu licentiati fuerint.

§. 11. *De Prælectore Hiſtorices per celeberrimum virum Guil. Camdenum inſtituto.*

PRælector Hiſtorices bis in qualibet ſeptimana, diebus ſcilicet Lunæ et Veneris, inter horas primam et ſecundam poſt meridiem, in Schola Hiſtoricæ deſignata, [1] Lucium Florum, aut alios quoſvis antiquioris et melioris notæ Hiſtoricos, prælegat. Ejuſque Lectiones frequentare teneantur ſinguli Artium Baccalaurei, poſt Quadrageſimam immediate ſequentem primæ Præſentationis ſuæ diem, donec ad Gradum Magiſterii promoveantur: item Juris Civilis Studioſi, quouſque Baccalaurei Juris præſentati fuerint. Quia vero a doctiſſimo viro, Gulielmo Camdeno, Clarenceux, munifico hujus Lecturæ Fundatore, de eligendo Lectore nihil uſquam proviſum eſt, quam rem totam Univerſitatis arbitrio permiſit, eo ſtrictius et moroſius eſſe oportet judicium Univerſitatis in eligendo Lectore ſecundum Stat. X. Sect. II. §. 6. ut honori et exiſtimationi tum Academiæ, tum ipſius Benefactoris, conſulatur, qui de fide ac judicio Univerſitatis tam honorifice ſenſit, ut ipſi Legem ponere non ſuſtinuerit.

[1] N. 144. a.

§. 12. *De Linguæ Græcæ Profeſſore Regio.*

PRofeſſor Regius Linguæ Græcæ [1] bis ſingulis ſeptimanis, diebus ſcilicet Mercurii et Saturni, inter horas primam et ſecundam pomeridianas, in Schola huic Lecturæ aſſignata, Homerum, Demoſthenem, Iſocratem, Euripidem, aut alium quemvis ex antiquioribus et claſſicis Autoribus, explicabit, quæcunque ad illius Linguæ Grammaticen, et Sermonis proprietatem, ſpectant enarrando. [2] Auditores ſunto Scholares omnes poſt biennium completum ab adventu ſuo ad Academiam, et deinceps Baccalaurei omnes, donec ad Magiſtralem Gradum provecti ſint.

§. 13. *De Linguæ Hebraicæ Profeſſore Regio.*

PRofeſſor Regius Linguæ Hebraicæ bis [3] ſingulis ſeptimanis, diebus Martis et Jovis, inter horas primam et ſecundam pomeridianas, in Schola huic Lecturæ aſſignata, e Sacræ Scripturæ fontibus, quæcunque ad illius Linguæ Grammaticam et Sermonis proprietatem pertinent, explicabit.

[4] Ejus lectionibus intendant ſinguli artium Baccalaurei, ſtatim poſt Quadrageſimam immediate ſequentem primæ Præſentationis ſuæ diem, donec annum integrum a ſuſcepto Magiſterii Gradu compleverint; Niſi quis rite, juxta ſtatuta, inter auditores Juris aut Medicinæ nomen ſuum, intra primum annum a ſuſcepto Magiſterii Gradu, profiteatur. Et hic annus, in audienda Lingua Hebraica collocatus, pro uno illorum ſeptem, qui juxta Statuta in audiendo S. Theologiæ Profeſſore ponendi ſunt, illis reputabitur.

§. 14. *De Regio Juris Civilis Profeſſore.*

PRofeſſor Regius Juris Civilis, [5] bis item in qualibet ſeptimana, diebus ſcilicet Martis et Jovis, hora decima, in Schola huic Lecturæ aſſignata, quamlibet partem Corporis Juris Civilis exponet; eoſque præcipue Titulos, qui ad uſum et praxin in hoc Regno conducunt. Auditores habeat omnes, qui per Statuta Collegiorum Juri operam dare requiruntur, aut qui rite Juris ſtudio nomi-

1 B. 117. b. 2 B. 110. a. 3 B. 117. b. 4 B. 110.
5 B. 117. b.

na dederunt; donec ad Gradum Doctoris promoti fuerint, vel tempus in Academia compleverint, quo ad eundem Gradum promoveri poſſint.

§. 15. *De Prælectore Anatomices.*

PRælector Anatomices leget modo et forma ſecundum [1] Ordinationes de eadem Lectura editas, et per Univerſitatem approbatas, ſub pœnis in eiſdem Ordinationibus expreſſis; ejuſque Lecturæ Auditores eidem interſint, et intendant, ſub pœnis itidem in iiſdem Ordinationibus præſtitutis.

§. 16. *De Regio Profeſſore Medicinæ.*

PRofeſſor Regius Medicinæ [2] bis in qualibet ſeptimana, videlicet diebus Martis et Veneris, hora octava matutina, Hippocratem aut Galenum in Schola huic Lecturæ aſſignata legat: Ejuſque Auditores ſunto omnes in Medicina Studioſi et Baccalaurei, donec in eadem Facultate ad Doctoratus Gradum promoti fuerint, vel tempus in Academia, quo ad Doctoratum promoveri poſſint, compleverint.

§. 17. *De Prælectore S. Theologiæ, Dominæ Margaretæ Comitiſſæ Richmondiæ, Matris Regis Henrici Septimi.*

QUanquam Prælector S. Theologiæ, a Domina Margareta Richmondiæ Comitiſſa inſtitutus, ſecundum Ordinationes Fundationis, in Magna Schola Theologica, a primo die cujuſlibet Termini, quolibet die Legibili, extra Quadrageſimam, uſque ad finem Termini, et inſuper in magna Vacatione uſque ad Feſtum Nativitatis B. Mariæ, ab hora ſeptima ad octavam, partem aliquam S. Scripturæ exponere teneatur: quoniam tamen ad reliquas Lecturas commodius ordinandas (ut ſcilicet variis Lecturis, eoſdem Auditores poſcentibus, diſtincti dies aſſignarentur) diſcrimen dierum Legibilium tollere neceſſe habuit Academia; ne exinde ultra ſolitum Lector Dominæ Margaretæ, quotidiano legendi labore, oneretur (cum ſinguli dies durante Termino, præter Dominicos et Feſtos, hodie Legibiles reputandi ſint) Ordinatum eſt, quod

1 N. 195. b. 2 B. 117. b.

Lector

Lector Dominæ Margaretæ, adinſtar aliorum Lectorum, bis in qualibet ſeptimana, diebus ſcilicet Martis et Jovis hora nona antemeridiana, in Schola Theologica aliquam Scripturæ partem exponet. Auditores ſunto omnes in S. Theologia Baccalaurei, donec tempus compleverint, quo ad Doctoratum in eadem Facultate promoveri poſſint; necnon omnes alii Scholares cujuſque Collegii vel Aulæ, ſive Socii, ſive Capellani, qui Sacros ordines ſuſceperunt, donec præſtitutum tempus exceſſerint.

§. 18. *De Regio S. Theologiæ Profeſſore.*

PRofeſſor Regius S. Theologiæ [1] bis item in qualibet ſeptimana, diebus ſcilicet Lunæ et Veneris, hora nona in Schola Theologica exponat aliquam Sacræ Scripturæ partem. Auditores [2] ſunto omnes Magiſtri in Artibus poſt annum a tempore Inceptionis (niſi qui ſtudio Juris aut Medicinæ rite et bona fide nomina dederunt) donec ad Gradum Doctoris in eadem Facultate promoti fuerint, vel tempus in Academia compleverint, quo ad Doctoratum promoveri poſſint.

SECTIO II.

STATUTA LECTORES IN GENERE SPECTANTIA.

§. 1. *Quod Lectores in propriis Perſonis legant. De ſubſtituendis loco ægrotantium, aut abſentium. De Mulctis.*

ITEM Statutum eſt, quod quilibet Prælector ſeu Profeſſor, in Schola Lecturæ ſuæ aſſignata, die et hora præſtitutis (niſi in diem Lecturæ ſuæ deſtinatum Feſtum aliquod inciderit) ad tres [3] uſque horæ quartas, per ſe leget, et non [4] per alium, niſi ex cauſa

1 B. 117. b. et 110. 2 B. 110. 3 C. 21. b. 4 C. 145. b.

infirmitatis, aut alia cauſa neceſſaria, per Cancellarium aut Vice-Cancellarium et Procuratores approbanda; quo in caſu ſubſtituatur [1] vir idoneus cum eruditione tum gradu, ab iiſdem Cancellario vel Vice-Cancellario et Procuratoribus admittendus, competenti ſalario pro labore, eorum arbitrio, remunerandus. Et in caſu quo aliquis prædictorum Prælectorum aut Profeſſorum ſecundum formam prædictam in legendo defecerit; pro qualibet vice, ſi Prælector fuerit cui Stipendium annuatim infra 40l. competit, quinque ſolidis; cui autem ſtipendium 40l, vel ſupra, aſſignatum fuerit, decem ſolidis, Univerſitati applicandis, mulctetur: Profeſſor autem Dominæ Margaretæ Comitiſſæ Richmondiæ [2] ſex ſolidis et octo denariis, Univerſitati applicandis, mulctetur.

§. 2. *Ne quis Lectorum quicquam, cum fide Catholica vel bonis moribus pugnans, doceat.*

ITEM Statutum eſt, quod nullus Profeſſor aut Prælector publicus quicquam directe vel indirecte doceat, vel dogmatice aſſerat, quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus, ulla ex parte adverſetur. Sed contra, quilibet eorum, quoties opportuna ei inter legendum offeretur occaſio, Auditores ſuos ad ſanam Doctrinam amplectendam et tuendam, atque ad honeſte pieque vivendum adhortetur. Et ſi quis eorum, Scholares ſive Auditores ſuos aliquid minus ſane et ſincere de Fide ſentire, cognoverit aut ſuſpicetur, eos admoneat, atque ab erroribus ad veritatem revocare ſtudeat. Quod ſi quis obſtinate in aliquo errore perſeveraverit, id Vice-Cancellario denunciare teneatur.

§. 3. *De philoſophica Doctrina Veritati theologicæ conformanda, et attemperanda.*

ITEM Statutum eſt, quod Prælectores Philoſophiæ, quoties tractare eis contigerit Quæſtiones de Deo, de Mundi Æternitate, de Immortalitate Animæ, et aliis id genus, ſemper eorum ſententiam ſequantur, qui de illis rebùs minus a veritate Chriſtiana diſſentiunt. Quod ſi Philoſophorum opiniones pietati alioquin contrariæ omnino fuerint, diligenter admoneant Scholares ſive Auditores ſuos, de humani ſenſus imbecillitate ad illas res percipien-

1 KK. 341. a. 2 B. 110. a.

das,

das, quarum veritatem ex divina revelatione certo cognovimus; ſtudeantque adoleſcentium animos quam maxime ab omni ſemper impietate avertere, et vera pietate imbuere.

§. 4. *Prælectores ſermonem inter legendum ne præcipitent: Auditorum dubiis, ſi quæ fuerint, finita lectione ſatisfaciant.*

CUM inanis plerumque et infructuoſus eſſe ſoleat labor, qui Lecturis audiendis impenditur, niſi in ſubſidium memoriæ calamus advocetur; Statutum eſt, quod Lectores inter legendum ſermonem minime præcipitabunt; ſed ita ſingula proferent, ut Auditores ea commode ſcriptis excipere poſſint. Si ſecus fecerint, pœna eſto pro arbitrio Vice-Cancellarii.

Finitis inſuper Lectionibus, Profeſſores aliquantiſper in Scholis commorentur; et ſi aliquis Scholaris aut Auditor voluerit arguere contra ea quæ fuerint ab illis dicta inter legendum, vel alias de aliquo dubitet, illum benigne audiant, difficultatibuſque et dubiis ſibi motis ſatisfaciant.

§. 5. *De eligendis publicis Lectoribus.*

STatutum eſt, quoad hujuſmodi Lectores ſeu Profeſſores publicos, quos eligendi penes Domum Convocationis et Congregationis, aut (ex ſpeciali ordinatione Fundatoris Lecturæ cujuſvis) penes alias quaſcunque Perſonas intra Univerſitatem, jus ac poteſtas fuerit; quod in locum Profeſſoris ſeu Lectoris cujuſvis, quomodocunque vacantem, non ſubrogetur continuo, ſeu immediate, Succeſſor ex eadem Domo, unde præcedens Lector ſeu Profeſſor electus fuerat, ſi alterius cujuſpiam, eidem muneri ſuffecturi, ex alia Domo ſubſtituendi copia detur. Niſi forte per Fundatorem Lecturæ cujuſvis ſpecialiter cautum fuerit, vel alias obtinuerit conſuetudo, quod poſt exactum certum annorum curriculum hujuſmodi Lecturæ præſtitutum, liceat Electoribus eundem denuo ad eandem Lecturam adſciſcere; quo in caſu, eundem eligere, non tamen alium quempiam ex eadem Domo ſubrogare, licebit.

TITULUS

TITULUS V.

DE LECTIONUM PUBLICARUM AUDITORIBUS.

§. 1. *Quod ſinguli Scholares peculiaribus Scholis contribuantur.*

CUM [1] par ſit, ut qui Gradibus Academicis honeſtari cupiunt, eorum etiam diligentia, in cultu ingenii capeſſendo, publice ſit perſpecta; Statutum eſt, quod ſinguli Scholares cujuſcunque conditionis, a primo eorum adventu ad Academiam, ad certas aliquas Scholas, pro ratione temporis vel Gradus in Academia aſſignatas (prout in Ordinationibus de Lectoribus publicis ſtatuitur) pertineant. Quas, cum in iis Lectiones habentur, frequentare, et a [2] principio ad finem, ſub eadem pœna quæ prorſus abſentibus incumbit, eiſdem intereſſe, teneantur.

§. 2. *Quod ſinguli Scholares Lectores ſuos (ſi qui fuerint ejuſdem Domus) ad Scholas deducant.*

STatutum eſt, quod quemlibet Prælectorem ſive Profeſſorem publice prælecturum Auditores ſui omnes, quotquot in eodem cum ipſo Collegio vel Aula degunt (prout [1] antiquitus fieri conſuevit) ad Scholam ſuæ lecturæ deſtinatam deducant; et pariter, finita Lectione, ad Collegium vel Aulam ſuam reducant: Qui ſecus fecerit, duobus denariis, ad uſum Univerſitatis, mulctetur.

1 A. 85. b. B. 39. a. C. 8. a. D. 9. a. 2 C. 145. b.
3 H. 48. a.

§. 3. *De*

§. 3. *De modo, quo Auditores in Scholis ſe gerent, inter audiendum.*

QUiſque, quamprimum Scholam ſuam intraverit, ſedem aliquam capeſſat, quoaduſque ſedilia ſuffecerint; reliqui vero, quibus non eſt ubi ſedeant, in eo loco, quem primum occupaverint, conſiſtant.: Nec quiſquam ſedem aut ſtationem ſuam deſerat, huc et illuc curſitando, aut obambulando, ſed omnes per modeſtiam et ſilentium ad auſcultandum Lectori ſe attente componant; et quotquot infra Gradum Magiſtralem ſunt, ſcriptis excipiant ea quæ leguntur.

Inſuper, quiſque [1] eum Autorem privatim et ſtudioſe perlegat, quam in quaque facultate Profeſſor publicus ad explicandum ſumpſerit.

Quoſcunque in præmiſſis delinquentes Lector animadverterit, mulctam duorum denariorum per Bedellum Facultatis exigendi poteſtatem habeat.

§. 4. *De Mulctis Auditorum, a Lecturis publicis abſentium.*

ITEM Statutum eſt, abſentes a Lectionibus quas audire tenentur, præterquam ex cauſa rationabili ſub manu Præfecti alicujus Collegii vel Aulæ, ſive ejus Deputati, teſtata, et per Vice-Cancellarium ac alterum Procuratorem approbanda, in hunc modum eſſe mulctandos.

Auditorum abſentium a Lectura Regiorum Profeſſorum in Theologia, Medicina, et Jure Civili, necnon a Lectura Dominæ Margaretæ, mulcta eſto [2] 6d.

Auditorum abſentium a Lectura Regiorum Profeſſorum Linguæ Hebraicæ, vel Græcæ, mulcta eſto [3] 4d.

Auditorum in Artibus (exceptis Auditoribus Lectionum Savilianarum, qui ſecundum Statuta Saviliana mulctandi ſunt) a Lecturis abſentium, mulcta eſto, Baccalaurei [4] 4d. Scholaris [4] 2d.

1 B. 120. b. C. 145. b. 2 B. 110. a. 3 B. 110. a.
4 B. 121. a.

TITULUS

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO, ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Artibus.*

STATUTUM eſt, quod [1] Scholares in facultate Artium, antequam Gradum Baccalaureatus ſuſcipiant, quatuor annos integros ſive ſedecim Terminos, numerandos a die Matriculationis, in Studio Artium, et in publicis Lectoribus, prout Statuta requirunt, diligenter audiendis, in Academia (hoc eſt, minime in

1 A. 85. b. B. 39. a. C. 8. a. D. 56. b.

Domo

Domo privata cujuſpiam hoſpitantes ſeu victitantes, ſed in Collegio vel Aula quapiam abſque dolo malo degentes,) ponere teneantur; exceptis [1] Filiis Baronum in ſuperiori Domo Parliamenti ſuffragii jus habentium, ac Filiis natu maximis Baronettorum, et Equitum Auratorum; quibus indulget Academia, (modo ne Collegii alicujus Socii, aut Scholares ſive Alumni fuerint, ea etiam conditione, ut ſub hujuſmodi titulo in Matriculam Univerſitatis relati fuerint) poſt integrum Triennium in ſtudiis Academicis completum (vel etiam Baronum Filiis, intra brevius temporis curriculum, ſi Cancellario videbitur) ut præſtitis Exercitiis, ad eum Gradum requiſitis, Gradum Baccalaurei in Artibus ambire poſſint.

§. 2. *De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

STatutum [2] eſt, quod priuſquam quis ad Gradum Baccalaurei in Artibus admittatur, in Diſputationibus in Parviſiis ſemel pro Forma opponat; Semel item ab hora prima ad tertiam reſpondeat; Et bis ſub Baccalaureo, in Determinationibus Quadrageſimalibus, per horam integram, et unius horæ ſemiſſem, reſpondeat; Niſi Congregationi Regentium videbitur, ante præſtita Exercitia, ſecundam ſub Baccalaureo reſpondendi vicem in alteram vicem reſpondendi in Parviſiis commutare.

§. 3. *De Diſputationibus in Parviſo tum habendis, tum frequentandis.*

CUM ad Eruditionis profectum non ſolum lectio et meditatio, ſed etiam exercitatio, ſummopere conducat; Statutum eſt, quod ter in qualibet ſeptimana in pleno Termino (diebus ſcilicet Lunæ, Mercurii, et Veneris, et non aliis,) in Scholis Artium publicis (quas occupandi Reſponſuris jus eſto, præ illis qui ſolennes Lectiones pro Gradu Magiſtrali lecturi ſunt) Diſputationes (quas etiam alio nomine Variationes olim dictas fuiſſe conſtat) in Parviſo habeantur.

In quibus Diſputationibus, reſponſuri pro Forma, Septimana præcedente Diſputationem ſuam, Nomina ſua, et Quæſtiones de quibus reſponſuri ſunt, die Mercurii et Saturni, ſtatim poſt finitas Diſputationes in Auguſtinenſibus, Magiſtro Scholarum ſub ipſius

1 L. 247. b. 2 B. 109. a.

Chirographo approbandas (quo nomine a ſingulis 6d. recipiet) exhibere tenentur, ſub pœna quod ſecus facientibus Reſponſio ſua non cedet pro Forma. Reſponſuri vero prima Septimana cujuſlibet Termini, ante octo dies Magiſtro Scholarum, illa Hebdomade moderaturo in Auguſtinenſibus, nomina ſua et Quæſtiones ſimiliter approbandas exhibebunt. Quod ſi nulli Septimana præcedente diem Mercurii apud Magiſtrum Scholarum nomina ſua edant, ſive diebus Lunæ et Mercurii ſequente Septimana reſponſuros pro Forma ſe profiteantur; neque die Saturni, præcedente Septimana, reſponſuros ſe pro Forma die Veneris ſequente Hebdomade profiteantur: Magiſter Scholarum cuivis ex inferioribus Bedellis edicet (ne Diſputationes diebus præſtitutis habendæ intercidant) ut ad Diſputationes, quovis die præſtituto ſequentis Hebdomadis obeundas, tres moneat ſimpliciter ſeniores Scholares anni quarti, et ſic deinceps (quoties uſus fuerit) tres proxime Seniores ſecundum ordinem Senioritatis in Matricula Univerſitatis, deſcendendo ad Juniores anni tertii, citra quem annum nemini in Parviſiis opponere conceſſum eſt.

Diſputantium vero Senior reſpondeat, reliqui duo opponant. Has autem diſputationes omnes Scholares frequentare tenentur, a primo anno completo poſt adventum ſuum ad Academiam, donec tempus compleverint, quo ad Gradum Baccalaureatus in Artibus promoveri poſſint. In his Diſputationibus, de tribus Quæſtionibus vel Problematibus Grammaticalibus, vel Logicalibus, ab [1] hora prima poſt meridiem ad horam tertiam diſceptetur.

Statutum eſt inſuper, quod Procuratores, de quatriduo in quatriduum (per quatriduum, intelligendo quatuor Dies deinceps, in quibus Diſputationes iſtæ habentur,) quatuor [2] Magiſtros Regentes deſignabunt, qui omnes ſimul, ſingulis diebus, diſputationibus prædictis, a principio ad finem, habitibus Gradui ſuo competentibus induti, interſint, ſub pœna 3s. 4d. ſingulis abſentibus, toties quoties, irroganda; Qui, ut omnia rite et decenter fiant, proſpiciant; Et ſi quem abſque Chirographo Magiſtri Scholarum pro Forma reſpondere deprehenderint (id quod ipſis explorandum incumbit) eum continuo ſuſcitabunt, ne cedat ipſi pro Forma reſponſio illa; Et ſi opus fuerit, Vice-Cancellario, vel Procuratoribus, Scholarium delicta vel contumacias denuncient.

1 B. 109. a. K. 5. b.

§. 4. *De*

§. 4. *De tempore intra quod creandi ſunt Sophiſtæ Generales. Formula creandi Generales.*

STatutum eſt, quod Scholares in Facultate Artium, poſt duos demum annos in Univerſitate completos (et non antea) adhibito (ſi voluerint) moderamine alicujus Baccalaurei, vel Sophiſtæ Generalis, ad opponendum et reſpondendum pro Forma in Parviſiis admittantur: Quodque [1] ſinguli, per tres ad minus Terminos, priuſquam pro Baccalaurei Gradu ſupplicent, Reſpondentis et prioris Opponentis vices in his Diſputationibus ſubeant, et Sophiſtæ Generales creentur.

Formula vero creandi Generales Sophiſtas hujuſmodi eſto; Finitis Diſputationibus, illico omnes Scholares, qui pro Forma reſponderunt illo die, in Scholam Philoſophiæ Naturalis conveniant, ubi unus e quatuor Magiſtris Regentibus, qui Diſputationibus iſtis intereſſe tenentur, (ſecundum ordinem Senioritatis quiſque ſuum diem ſortitus) ſub pœna 10s, Suggeſtum aſcendens, brevi oratiuncula eos ad bonarum Literarum ſtudia hortatus, præcipue laudes ac uſum Ariſtotelicæ et genuinæ Dialecticæ percenſebit; Deinde, Seniori e creandis, ad Suggeſtum adſtanti, Logicam Ariſtotelis in manus tradit; mox Caputium ſimplex, neque pellibus lanatis ſubſutum, neque fimbria pellita prætextum, collo circumdabit. Reliquos deinde, ordine Senioritatis ſuccedentes, eodem modo creabit.

Tenentur autem Sophiſtæ Generales, ſingulis poſtea Terminis donec ad Gradum Baccalaurei promoti fuerint, ſemel ſaltem in Parviſiis diſputare, ſub pœna, ne Diſputatio prius habita iis ullo modo cedat pro Forma.

Statutum [2] eſt inſuper, quod non licebit Congregationi ex poſtfacto cum quoquam, quo minus modo prædicto Generalis fiat, diſpenſare.

§. 5. *De Scholis ſortiendis, et Quæſtionibus publicandis.*

STatutum eſt, quod Scholares in Parviſiis reſponſuri (ſiqua controverſia de Scholis capeſſendis oriatur) Scholas, juxta Senioritatem Baccalaureorum ſive Moderatorum, ſub quibus reſponderint, vel ſuam, (ſi ſub nullius præſidio reſpondeant) ſortiantur.

1 A. 88. a. b. 39. b. 2 A. 120. B. 116. a. et 109.

Quodque ſinguli reſponſuri, hora octava ante meridiem ejuſdem Diei, Quæſtiones in Parviſiis diſcutiendas valvis utriuſque Portæ Scholarum Publicarum, cum nominibus propriis, et Collegii, ſive Aulæ, cujus Alumni fuerint, affigi curent: quas nec ipſi per ſe, nec alterius cujuſvis opera, ante Diſputationes peractas, refigendas ſive detrahendas curabunt. Quod ſi Reſpondentis cujuſvis Quæſtiones, integro tempore juxta Statuta requiſito, minime affixas fuiſſe deprehenderint Magiſtri Scholarum, ſive Regentes qui Diſputationibus iſtis intereſſe tenentur; ipſum ſuſcitare, et ad Vice-Cancellarium vel Procuratores deferre, pro arbitrio ipſorum puniendum, tenentur ipſi ſub pœna 3s. 4d.

[1] Quodque aliquis inferiorum Bedellorum, Baculum præferens, eos ſingulis diebus a Templo B. Mariæ ad Scholas deducat; et ob eam cauſam, et non aliter, duos ſolidos, inter ipſos æqualiter dividendos, percipiat ab iis qui pro Forma, non item ab iis qui pro Termino, reſpondent.

Qui etiam nomina eorum, qui Sophiſtæ Generales creati fuerint, in Librum aliquem per inferiores Bedellos cuſtodiendum, eodem die, non tamen ante Diſputationes et Creationem peractas, referat; ſub pœna amiſſionis trium ſolidorum, et quatuor denariorum, Univerſitati numerandorum, quoties, in hoc, Officium præſtare neglexerit.

§. 6. *De Reſponſionibus Quæſtioniſtarum ſub Baccalaureis determinantibus.*

PRæter illas Diſputationes, quæ in Parviſiis ſunt habendæ, Statutum etiam eſt, [2] quod quilibet Scholaris, poſtquam quatuor Terminos in ſtudio Dialecticæ poſuerit (et non antea) priuſquam vero ambiat Gradum Baccalaurei in Artibus, ſub Baccalaureo aliquo, in Quadrageſima determinante, bis pro Forma reſpondeat, de eiſdem Quæſtionibus, quas Baccalaureus ipſe defendendas ſuſcepit, vel propoſuit; idque ſingulis vicibus per unam horam, et alterius horæ ſemiſſem, niſi ex juſta cauſa aliqua Congregationi videbitur alteram ſub Baccalaureo reſpondendi vicem in aliam in Parviſiis reſpondendi vicem commutare; in [3] quo duntaxat, quantum ad hujuſmodi Reſponſiones, Congregatio Magiſtrorum Regentium diſpenſandi poteſtatem habeat.

1 L. 281. a. 2 K. 5. a. 3 B. 116. a. et 109. b.

§. 7.

§. 7. *Leges reſpondendi ſub Baccalaureo Determinante.*

STatutum eſt, quod [1] unus duntaxat Scholaris, et ille ſemel tantum uno et eodem die, ſub Baccalaureo in Quadrageſima reſpondeat, idque ab initio Diſputationum uſque ad finitam ſeſquihoram; Quodque Scholaris reſpondens ſub Baccalaureo, [2] in ſedili ante ſuggeſtum Determinantis fixo, ſedeat; nec ipſi alius quiſquam aſſideat, vel adſtet, qui ad anguſtias redacto reſponſum ſuggerat. Et, quo Diſputationes clarius percipiantur, quod quilibet Opponens in ſcamno Reſpondenti diametraliter oppoſito ſedem capeſſat, ſub pœna quod, ſi Scholaris Reſpondens ſecus fecerit, Reſponſio ei non cedat pro Forma; Et ſi opponens deliquerit, ad arbitrium Vice-Cancellarii vel Procuratorum puniatur.

SECTIO II.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM MAGISTRI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Magiſtri in Artibus.*

A Tempore admiſſionis ad Gradum Baccalaurei, tenentur ſinguli in audiendis publicis Lectoribus ſibi deſtinatis, et in Diſputationibus, juxta Statuta requiſitis, tum habendis, tum frequentandis, duodecim Terminos ponere; nec ante completum illud tempus, Gratiam ſuam petere cuiquam fas eſto.

[3] Quod ſi quis Exercitia ad Gradum Magiſtralem requiſita præſtiterit, et reliquum temporis ſpatium in bonarum literarum ſtudio poſuerit in alia quacunque Academia, licebit ei tempus id omne

1 B. 109. b. C. 153. b. N. 158. b. 2 B. 132. C. 153. b.
3 L. 5. b.

imputari,

imputari, ac ſi in hac ipſa Academia fuiſſet inſumptum: Conſtet id modo, ac teſtatum ſit ſub Sigillo Academiæ in qua ſe ſtuduiſſe profitetur, aut alioqui Teſtimonio fide digno.

§. 2. *De Exercitiis præſtandis pro Gradu Magiſtrali in Artibus.*

STatutum eſt, quod Baccalaureus Artium, poſt Gradum ſuſceptum, in Quadrageſima ſolenniter determinet; in Quodlibeticis Diſputationibus reſpondeat; in Auguſtinenſibus reſpondeat, vel opponat; bis Declamationes habeat; et ſex ſolennes Lectiones legat, priuſquam ad Magiſtralem Gradum promoveatur.

§. 3. *De Determinatione Quadrageſimali.*

QUIA [1] per ſolennes Baccalaureorum Determinationes Mater Academia, et præcipue Facultas Artium, multum honoris et commodi eſt aſſequuta; Statutum eſt, quod ſingulis annis in Scholis publicis ejuſmodi Diſputationes more debito habeantur.

[2] Quodque quilibet Scholaris ad Gradum Baccalaurei præſentatus, niſi Gratia ſimpliciter eidem fuerit conceſſa, ſolenniter in ſequenti Quadrageſima determinare teneatur; ſub pœna, quod Gratia, prius eidem conceſſa, pro non conceſſa habeatur, niſi impedimentum aliquod contigerit, per Vice-Cancellarium et Procuratores approbandum; quo in caſu, ejus Determinationem in aliam Quadrageſimam, ſub pœna conſimili tunc præſtandam, differre liceat.

§. 4. *De Collectoribus Quadrageſimalibus deſignandis.*

CUM multa antehac tumultuatio, circa electionem Collectorum Quadrageſimalium, ſolita ſit in Univerſitate contingere; juxta Statuta Regia, [3] a Sereniſſimo Rege Carolo I. ad Univerſitatem tranſmiſſa, Decretum eſt, quod Procuratores pro tempore exiſtentes, ex Baccalaureis Determinaturis, in Feſto Ovorum duos ad hoc officium deſignabunt, ſinguli unum quem viſum fuerit, in Collegio quocunque vel Aula degentem.

1 A. 88. a. B. 39. b. C. 8. b. 2 M. 27. a. C. 148. a.
3 R. 4. a.

Si

Si vero Procurator quivis circa Collationem Officii Collectoris pretii accepti ſive repetundarum convictus fuerit, idem eo ipſo ab Officio ſubmovebitur, et Feuda quæcunque, ſive pecuniarum ſummas a Baccalaureis ejuſdem Anni per eum acceptas, in uſum Ciſtæ Academicæ, præſentis ſtatuti vigore, refundere tenebitur.

Et quod Collectores a Procuratoribus deſignati in die deſignationis ad Officium admittantur. Admiſſi vero, ad Collegia et Aulas reſpective ſuas, ſine ſtrepitu, vel circumgeſtatione, ſe conferant: Nec ullos omnino, in Collegiis, vel Aulis reſpective ſuis, vel alibi, compotationibus excipiant, ſub pœna amotionis ſtatim ab Officio per Dominum Vice-Cancellarium: ita tamen ut, ſi quid tale evenerit, in locum Collectoris vel Collectorum, amoti vel amotorum, alius vel alii per Procuratorem vel Procuratores, qui reſpective amotum vel amotos nominavit vel nominarunt, ſubſtituatur, vel ſubſtituantur.

§. 5. *De Officio Collectorum.*

STatutum eſt, quod Collectores ea omnia facere et exequi teneantur, quæ ad Officium Collectorum ſpectant; id eſt, Baccalaureos [1] Determinantes in certas claſſes, quantum fieri poteſt æqualiter diſtribuere, et ſingulis ſeorſim ſuas Scholas aſſignare; ſub pœna 10s. ad uſum Univerſitatis irroganda, ſive Collectori deputanti binos ad reſpondendum ſimul in eadem Schola, ſive Baccalaureo in Scholam alteri deſignatam intrudenti; cui etiam pœnæ nomine accedat, quod talis Reſponſio vel Lectio ipſi pro Forma minime cedet: ut quolibet die Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris (niſi dies feſtus inciderit) ab initio Quadrageſimæ uſque ad finem Termini, in ſingulis Scholis, [2] aliqui Determinatorum, ſuis propriis vicibus, et quoties oportet, pro ratione Claſſis, in qua collocantur, reſpondeant.

[3] Collectorum autem, qui prius ad gradum Baccalaurei præſentatus et admiſſus eſt, Senioris locum occupet, niſi ad alterum ratione promotionis, ſecundum Statuta, et conſuetudines Univerſitatis, jus ſenioritatis pertinebit.

1 R. 4. a. L. 283. b. 2 L. 284. a. 3 R. 4. a.

§. 6.

§. 6. *De Diſputationibus in die Cinerum, ſive Carnis-privii.*

STatutum eſt, quod in die Cinerum, ſive Carnis-privii, ſecundum antiquam et laudabilem conſuetudinem, Diſputationes in Scholis publicis habeantur. Ita quod ſtatim poſt Concionem Latinam, ad ſonitum ſive pulſationem parvæ Campanæ, cujuſque Collegii et Aulæ Decanus vel Præſentator, una cum Baccalaureis ſuis eadem Quadrageſima determinaturis, omnes Habitu Gradui competente induti ſolenniter ad Scholas accedant, quas pro Senioritate cujuſque Præſentatoris vel Decani ſortiantur; nec Scholam, quam initio quiſquam in ſua perſona occupavit, Juniori cuivis concedat ſub pœna 20s.

Quod ſi Decani, ſeu Præſentatores, plures fuerint quam pro numero Scholarum, ubi demum Scholæ omnes occupatæ fuerint, diſtinctas quiſque ſedes in Schola Theologica capeſſat; niſi quis, propter paucitatem Determinatorum ſuorum, ipſos alteri Decano tranſcripſerit. Et quem quiſque locum, ſive in Scholis Artium, ſive in Schola Theologica occupaverit, eum uſque tueri, et Diſputationes ad horam quintam poſt meridiem producere, tenebitur, ſub pœna 40s.

Decanus autem vel Præſentator Cathedram occupans, primo Baccalaureis Determinaturis, ab una parte ſtantibus, Quæſtiones, una cum verſibus earundem ſenſum breviter exponentibus, proponet: Quas quamprimum Baccalaureus Determinaturus repetiit, unus e Senioribus Baccalaureis, ex altera parte ſedentibus, pro Determinaturo in ſingulis quæſtionibus reſpondebit, quamdiu Decano vel Præſentatori (qui Opponentis locum ſuſtinet) videbitur: Quo deinde ordine, aliis Determinaturis Quæſtiones eodem modo proponet, pro quibus itidem alii Seniores reſpondebunt.

Finitis autem Diſputationibus, in qualibet Schola, Baccalaureorum Determinatorum primus, reliquorum circumſtantium nomine, cum Decano ſive Præſentatori, tum Senioribus Baccalaureis, flexis genibus gratias aget, ſub hac forma: *Gratias ago Domino Vice-Cancellario et Procuratoribus hujus almæ Univerſitatis, et Magiſtro meo diſputanti, et Baccalaureo reſpondenti, quorum ope hoc munus ſuſcepi, quod, Deo volente, hac Quadrageſima perficiam.* Si qui autem, in aliquo præmiſſorum quæ ad ipſos pertinent, deliquerint vel defecerint, arbitrio Vice-Cancellarii et Procuratorum puniantur.

§. 7.

§. 7. *De Precibus habendis unoquoque die Saturni, durantibus Quadrageſimalibus Diſputationibus, in Choro Templi B. Mariæ. Et de Junioris Procuratoris Oratione ad Determinatores habenda.*

STatutum eſt, prout ab antiquo conſuetudo obtinuit, quod unoquoque die Saturni, a vigilia primæ Dominicæ Palmarum incluſive, hora octava matutina, ſinguli Baccalaurei Determinantes conveniant in Choro B. Mariæ Virginis, ad celebrandas Preces ſecundum Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ. A quibus ſiqui abfuerint, mulcta pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum ad uſum Univerſitatis applicanda puniantur.

Poſt finitas vero Preces in Vigilia Dominicæ Palmarum, Junior Procurator ad Determinatores Orationem habebit, in qua tum errores in Doctrina, illa Quadrageſima admiſſos, tum in moribus delicta ſevere increpabit; præſertim, ſiqui tumultus, rixas, aut pugnas concitaverint, eis facinorum ſuorum atrocitatem ob oculos ponet; ſimul hortabitur, ut in poſterum modeſtius ſe gerant: Quotquot vero in diſputando ſubtiles, et acutos, et in univerſum modeſtos et pacificos ſeſe præbuerint, eos digne pro meritis collaudabit.

§. 8. *De Claſſibus Determinantium ordinandis: Et de tempore Diſputationibus Quadrageſimalibus præſtituto.*

STatutum eſt, quod diebus Jovis et Veneris diem Carnis-privii immediate ſequentibus licebit Collectoribus tot Determinaturos, ad Reſpondendum pro Forma, extra ordinem vel claſſem aſſignare, ut ſuperſint, pro numero Scholarum, tot ex præcipuis Determinatoribus, ut ſinguli ſuis vicibus bis intra ſpatium Quadrageſimæ reſpondeant: Niſi forte, propter imparem dierum numerum, neceſſe ſit aliquando aliquas Claſſes ter reſpondere. Reliquis autem, qui in Claſſes commode conferri non poterunt, aſſignentur ad reſpondendum pro Forma dies Jovis et Veneris immediate ſequentes diem Cinerum, et tempus pomeridianum reliquorum dierum, in quibus habentur Diſputationes antemeridianæ. In quibus ita diſponantur, ut ſinguli bis pro Forma reſpondeant in Scholis Artium, quoaduſque illæ ſuffecerint; reliqui vero in Schola Theologica. Illud inſuper in ordinandis Claſſibus ſervent Collectores, ne in diverſas Claſſes ſeipſos referant; ſed in eadem ſecum Claſſe

(quoad fieri poterit) Generoſos omnes et eminentioris conditionis Baccalaureos locent, quibus plerumque Dies gratioſi indulgeri ſolent; ne, diſtractis in varias Claſſes hujuſmodi Baccalaureis, frequentior Dies Gratioſos petendi occaſio miniſtretur: In quo ſi deliquerint Collectores, pœna eſto pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum.

[1] Ordo diſputandi, ſive Claſſes, a primo die Lunæ ipſius Quadrageſimæ inchoentur; et uſque ad diem Veneris incluſive, qui proxime præcedit Dominicam Palmarum, continuentur.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, et Jovis, ordinarie quidem Diſputationes pomeridianæ habeantur, et Baccalaurei Determinaturi hora prima, ſtatim a parvæ Campanæ pulſatione, Scholas ingrediantur, nec ante horam quintam recedant.

Singulis diebus Veneris, et in Feſtorum Vigiliis, necnon aliis diebus in quibus Congregationes Magiſtrorum Regentium habentur, Antemeridianæ Diſputationes ab hora nona incipiant, et hora duodecima terminentur, niſi Dies fuerit Gratioſus; in quo hora undecima Diſputationes claudere fas eſt.

[2] Finitis autem quovis die Diſputationibus, ad parvarum Campanarum ſonitum, diſcedant ad unum omnes, nec diutius in Scholis ullatenus moram trahant: ſub pœna 20s. Univerſitati numerandorum, abſque rationabili cauſa per Vice-Cancellarium approbanda.

§. 9. *De Forma in Determinatorum Diſputationibus obſervanda.*

STatutum eſt, quod Baccalaurei Determinantes, ſinguli in [3] Scholis, Claſſibus, et Diebus ſibi præſtitutis, et integro tempore per Statuta requiſito, per ſe et non per alium reſpondeant: Ad quæ ſingula præſtanda obligentur, cautione ſive pecuniaria, ſive fide-juſſoria, ad valorem 20s. penes Vice-Cancellarium depoſita, antequam præſententur ad Determinandum.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, et Jovis, quæſtiones [4] Logicales diſcutiendas proponant, quas ſecundum Ariſtotelem (cujus [5] ſuprema ſit autoritas) defendant.

1 B. 109. b. A. 88. b. C. 16. a. D. 57. b. 2 B. 109. b.
3 B. 109. b. L. 284. a. 4 A. 88. b. B. 40. a. C. 16. a.
5 L. 298. a.

Diebus

Diebus autem Veneris, duntaxat de Problematibus Grammaticalibus, Rhetoricis, Politicis, vel Moralibus, disputationes habeant: et in Grammaticis quidem, antiquos et receptos Autores; in Rhetorica, Politica, et Morali Philosophia, Aristotelem similiter, totamque Peripateticorum Doctrinam pro virili defendere teneantur; sub pœna quod, si quis secus fecerit, ejus Responsio minime sibi cedat pro Forma; et insuper mulctetur quinque solidis, toties quoties.

§. 10. *De Disputationibus apud Augustinenses.*

QUilibet Baccalaureus in Artibus, post plenam ipsius Determinationem, semel quotannis in Augustinensibus Disputationibus (quolibet die Saturni in pleno Termino, in Schola Naturalis Philosophiæ, tempore pomeridiano ab hora prima usque ad tertiam habendis) Respondere [1] vel Opponere teneatur, si per Collectores ad hoc munus deputatos ante quindenam legitime prænonitus et requisitus fuerit: hoc est, si ante quindenam nulli pro Forma disputaturos se Collectoribus offerant; et Baccalaurei, quotquot monito Seniores fuerint, omnes suis vicibus prius perfuncti fuerint.

Si quis recusaverit, si per semissem Anni immediate præcedentem nec Disputaverit nec Responderit, eo ipso nec Auditio, nec Lectio aliqua, nec Actus quivis Scholasticus in eadem Facultate, eo Anno hujusmodi recusationem præcedente, in quo Actus exercuit Scholasticos, nec pro sequenti Anno, quo tales facturus est Actus, sibi quovismodo cedat pro Forma.

Senior, qui scilicet prius præsentatus et admissus fuerit, Respondendi aut Opponendi optionem habebit, nisi Disputantium alter filius fuerit Baronis, suffragii jus in superiori Parliamenti Domo habentis, seu qui ad valorem 40l. de proprio potest dispendere.

Quoniam vero dies Saturni, hisce Disputationibus assignati, singulis pro Forma disputaturis non sufficiunt, licebit Magistris Scholarum (si singulos dies Saturni, intra mensem proxime sequentem, ab aliis pro Forma disputaturis præoccupatos certo noverint) Dies etiam Mercurii hisce Disputationibus pro Forma assignare. Quod si neque hi Dies disputaturis pro Forma suffecerint, et unus e Magistris Scholarum sub Chirographo suo (palam in Domo Congre-

[1] A. 85. a. B. 39. a. C. 8. a. D. 56. b.

gationis recitando) teſtatum fecerit, ſingulos Dies hiſce Diſputationibus aſſignatos, ad finem uſque Termini, jamdudum ab aliis pro Forma diſputaturis præoccupatos eſſe; præſenti Statuto permittitur diſpenſationem proponere (non aliter) ut liceat alio quovis Die, (poſt elapſos ſeptem Dies a tempore petitæ Diſpenſationis) hora et loco conſuetis, ſub præſidio Magiſtri Scholarum, (non alterius cujuſvis) pulſata prius pro more Campana, in Auguſtinenſibus Reſpondere vel Opponere.

Atque ut Problematis materia ibidem diſputanda melius omnibus innoteſcat, ante triduum Reſpondens Quæſtiones ſuas valvis utriuſque magnæ ſeu exterioris Portæ Scholarum affigendas curabit, et ante ſeptem dies Magiſtro Scholarum in Auguſtinenſibus moderaturo exhibebit: Qui ſecus fecerit, ei Reſponſio ſua minime cedat pro Forma.

§. 11. *De Officio Magiſtrorum Scholarum quoad Diſputationes apud Auguſtinenſes. Et de Collectoribus Auguſtinenſibus.*

PRocuratores quotannis, in ipſo introitu Muneris ſui, duos Magiſtros in Artibus nominabunt, ad quorum munus ſpectabit [1] Diſputationibus apud Auguſtinenſes alternis vicibus præeſſe, per ſe et non per alium, niſi cum conſenſu Vice-Cancellarii et Procuratorum ſubſtituendum, in caſu ægritudinis aut extremæ alicujus neceſſitatis; ac inepte vel otioſe Diſputantes, aut a Quæſtione recedentes, corripere et in ordinem cogere.

Quod ſi Diſputantium quis eorum monitis vel præceptis morem gerere recuſaverit; ejus nomen intra biduum Vice-Cancellario et Procuratoribus denunciabunt: quem Vice-Cancellarius una cum Procuratoribus pro quantitate delicti puniendum curabit.

Inſuper Procuratores duos in Artibus Baccalaureos nominabunt, qui titulo Collectorum apud Auguſtinenſes gaudebunt; quorum muneris erit providere, ne quando Diſputantium defectu intercidant Diſputationes apud Auguſtinenſes: quem in finem, Collectores, alternis vicibus, ſi nulli ſe pro Forma diſputaturos offerant, per ſpatium xv dierum ante ſingulas Diſputationes, duobus in Artibus Baccalaureis, incipiendo a ſenioribus anni tertii, et ſic ſeriatim deſcendendo ad juniores, qui Determinationem compleverunt, denuntiare tenentur, ut hora et loco ſolitis præſto ſint, ad Reſpondendum et Opponendum, prout inter ſe convenerint, parati.

[1] C. 19. a.

Si

Si qui recuſaverint vel defecerint, aut Quæſtiones ſuas ante triduum, juxta Statuta, haud publicaverint; Collectores eorum nomina ad Procuratores deferent illico, ut pro quantitate delicti puniantur. Quod ſi Collectores in ſuo munere defecerint, (ſive in monendis diſputantibus, ſive in deferendis delinquentium nominibus) qui culpam deprehenderit, ſive Vice-Cancellarius ſive Procuratorum alteruter, X ſolidis in uſum Univerſitatis ipſum mulctare teneatur.

§. 12. *De Baccalaureorum Diſputationibus Quodlibeticis.*

STatutum eſt, quod antequam licentiam quiſquam obtineat Incipiendi et Legendi in Facultate Artium, [1] ſemel poſt completam Determinationem Quadrageſimalem, alicui Magiſtro Regenti, in Diſputationibus Quodlibeticis, habitu Gradui competente indutus, in tribus Quæſtionibus reſpondebit; et ad quamlibet aliam a quocunque Diſputaturo propoſitam. Tenetur autem reſpondere alicui Magiſtro Regenti, juxta Statuta præmonito ad hoc munus obeundum; niſi ſub Chirographo Magiſtrorum, qui intra duas hebdomadas ſequentes pro Termino diſputaturi ſunt, conſtet iis omnibus proſpectum eſſe de Baccalaureis pro Forma reſponſuris, qui proximis Comitiis Incipere intendunt: Quo in caſu (non aliter) permittitur Domui Congregationis diſpenſare, ut liceat quolibet die diſputabili inſtantis vel ſequentis hebdomadis, ſub quolibet Magiſtro, hora et loco conſuetis, in Quodlibeticis pro Forma reſpondere.

Hæc autem Reſponſio ei cedat pro Forma, et inter conditiones præſtitas, et ad Gradum Inceptoris in Artibus requiſitas, in Formula petendæ Gratiæ reponatur.

§. 13. *De ſex Lecturis ſolennibus habendis ante Licentiationem in Artibus.*

CUM ante Licentiationem in Artibus, juxta antiqua Statuta, teneantur ſinguli præſcriptos [2] quoſdam Libros curſorie legiſſe, quas lectiones ſine fructu aut commodo audientium vel legentium habitas fuiſſe, frequenti experientia deprehenſum; In

1 C. 18. a. D. 2. a. 2 KK. 292. b.

[1] poſte-

posterum, singuli Incepturi sex solennes Lectiones, tres in Naturali Philosophia, tres in Morali, pro Forma habere teneantur in Scholis publicis, inter horas primam et secundam, intra Terminum, præeunte parvæ Campanæ pulsatione. Tenentur autem singuli per majorem partem horæ legere, idque de suo; Lecturas non aliunde mutuantes, aut ex Autoribus transcribentes. Et hoc ipsum inter præstitas conditiones, Gratiæ petitioni annexas, numeretur.

§. 14. *De Regimine Scholarum in genere, quoad Exercitia in Artibus ibidem præstanda.*

TAmetsi Procuratoribus ipsis, secundum antiquas consuetudines, Scholis et Exercitiis Artistarum præesse incumbat, quoniam tamen qualiscunque ipsorum diligentia effræni Juvenum licentiæ compescendæ haud sufficit, (qui ad Scholas sæpius otiandi, quam disputandi, causa catervatim confluere solent) ideo in subsidium Procuratorum visum est Academiæ antiquitus Magistros Scholarum, et nuper admodum aliquos e Magistris necessario Regentibus, advocare, qui omnes simul junctis operis providerint, ut in exercitiis Artistarum pro Forma præstandis omnia rite, secundum Statuta, decenter et pacifice fierent. Qui etiam curabunt, ne qui inter legendum aut disputandum in Scholis ipsis, sive in Area Scholarum, deambulent, aut inter disputantes medios se ingerant; ne qui interstrependo aut pedum suppulsione Disputationes interrumpant; ne qui, sive singuli, sive catervatim stipati, alios ex adversa parte impellere, aut hinc inde trudere præsumant; ne qui illic pugnas, rixas aut tumultus concitent; denique ne qui (intermissis Disputationibus) fabulis et garriendo tempus terant, potando multo minus. In quibus qui deliquerint, Magistri Scholarum, ac etiam Magistri Regentes corripiant, et in ordinem cogant. Quod si qui ipsorum monitis sive imperiis immorigeros sese præbeant, eos eorumve nomina ad Vice-Cancellarium vel Procuratores deferant, arbitrio ipsorum puniendos sive mulctandos.

1 L. 242. a.

Sectio

SECTIO III.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN MUSICA CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni ponendi ſint in ſtudio vel praxi Muſices, pro Gradu Baccalaureatus in Muſica.*

STatutum eſt, quod, qui Muſicæ dat operam, antequam Gradum Baccalaurei in illa Facultate conſequatur, ſeptem annos in ſtudio vel praxi Muſices ponat, et id ipſum ſub Chirographis hominum fide dignorum teſtatum afferat.

§. 2. *De Exercitiis pro Gradu Baccalaurei in Muſica præſtandis.*

STatutum eſt, quod, qui ad Baccalaureatum in Muſica promoveri cupit, priuſquam pro Gratia ſua ſupplicet, unum Canticum quinque Partium componat, quod in Schola Muſicæ (alio quovis die, quam illo qui ordinario ad praxin muſicam deſignatus eſt) publice, tam vocibus quam inſtrumentis muſicis, exhibeat; ſed prius valvis utriuſque magnæ Portæ Scholarum, ante tres dies, affixo programmate, diem et horam futuri ſpeciminis ſignificet.

§. 3. *Quot anni ponendi ſint in ſtudio vel praxi Muſicæ, pro Gradu Doctoris in Muſica.*

STatutum eſt, quod Baccalaureus Muſicæ, priuſquam ad Doctoratum promoveatur, quinque Annos, poſt ſuſceptum Gradum, in ſtudio vel praxi Muſicæ ponat; et id ipſum ſub Chirographis hominum fide dignorum teſtatum afferat.

§. 4. *De Exercitiis per Inceptorem in Muſica præſtandis.*

STatutum eſt, quod Baccalaureus Muſicæ, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, unum Canticum ſex vel octo Partium componat, quod in Schola Muſicæ, tam vocibus quam inſtrumentis etiam muſicis (alio quovis die, quam illo qui ordinario ad praxin muſicam deſignatus eſt) publice exhibeat; Sed prius, valvis utriuſque magnæ Portæ Scholarum, ante tres dies, affixo programmate, diem ac horam futuri ſpeciminis ſignificet. Quibus Exercitiis per eundem præſtitis, per publicum ejuſdem Facultatis Prælectorem Hetherianum, aut alium quemvis per eundem aſſignatum, Gratia ipſius in Venerabili Domo Congregationis proponatur; qua conceſſa, per alterutrum Profeſſor. Savil. (qui ad hoc alternis præſtandum tenentur) vel per alium quemvis in Artibus Magiſtrum ab iis deputatum, ad Gradum præſentetur.

SECTIO IV.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN JURE CIVILI CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni, in audiendo Profeſſore publico Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili.*

STatutum eſt, [1] quod, qui Juri Civili ſtudet, antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur, ſi ſit Magiſter Artium, per tres annos integros (numerandos a die ſuæ admiſſionis ad regendum) audiat publicum Juris Civilis Profeſſorem. Si quis vero Juri Civili det operam, qui non ſit Magiſter Artium; per quinquennium completum, publicum Juris Civilis Prælectorem diligenter et attente audiat.

1 A. 120. b. B. 116. b.

Quod-

Quodque per Biennium in Academia, Dialecticæ, Morali Philoſophiæ, et Politicæ, aliiſque Humanioribus Literis incumbat, priuſquam Quinquennium in ſtudio juris ponere incipiat; niſi per Statuta Collegii, in quo moratur, citius ad juris ſtudium ſe convertere teneatur.

§. 2. *Exercitia pro Gradu Baccalaureatûs in Jure Civili præſtanda.*

STatutum eſt, quod is qui ad Baccalaureatum in Jure Civili promoveri cupit, priuſquam [1] pro Gratia ſua ſupplicet, bis in Diſputationibus Juridicis pro Forma, Opponentis principalis (id eſt, primo vel ſecundo loco diſputantis) munere fungatur; Et ſemel per duas horas in Schola Juriſprudentiæ pro Forma, ſcilicet ab hora prima pomeridiana ad tertiam, reſpondeat.

Quod [1] ſi deſit, qui pro Forma ad conſequendum gradum Opponat, liceat publico Prælectori, vel ejus vices gerenti, Opponentis officium ſuſtinere.

Nec hujuſmodi Diſputatio cuiquam cedat pro Forma, niſi Quæſtiones ſuæ, una cum nominibus Reſpondentis, et Opponentis, per ſeptem dies ante Diſputationem affigantur valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum; ac inſuper, muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, plateam verſus, in angulos coeunt.

§. 3. *Quot Anni, in audiendo Publico Profeſſore Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Doctoris in Jure Civili.*

STatutum [2] eſt, quod qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, ſi, poſtquam in Baccalaurei Artibus Magiſter fuerit, Gradum Baccalaurei in Jure Civili ſuſceperit, quatuor Annos integros (numerandos a die ſuæ admiſſionis ad Gradum prædictum) publicum Prælectorem Juris Civilis audiet, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Alioqui, ſi Baccalaureus in Jure fuerit, antequam incipiat in Artibus (ſive Statutis privati Collegii ſic exigentibus, ſive ſua ipſius optione factum fuerit) quinque annos integros audiendo publico Profeſſore Juris Civilis ponere teneatur, priuſquam Incipere permittatur.

1 B. 116. b. 2 A. 120. b.

§. 4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Jure Civili præſtanda.*

STatutum eſt, quod Baccalaureus Juris Civilis, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, vel ſex ſolennes Lectiones, ab hora prima pomeridiana uſque ad ſecundam, totidem diebus publice leget, (in quibus quamcunque velit totius Corporis Juris Civilis partem explicet) vel aliquem e Titulis de Judiciis, de Probationibus, ſive de Re Judicata in Digeſtis vel Codice, tribus ad minimum Lectionibus curſorie exponet. Et priuſquam vel ſolenniter vel curſorie legere inceperit, programma, ſubjectum et tempus legendi indicans, ante triduum curabit affigi valvis utriuſque exterioris portæ Scholarum, ac inſuper Muris Collegii Omnium Animarum, ac Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes Plateam verſus in angulos coeunt.

SECTIO V.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN MEDICINA CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni, in audiendo publico Profeſſore Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.*

STatutum [1] eſt, quod qui Medicinæ dat operam, antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur, [2] Gradum Magiſtri in Artibus ſuſcipiat; Et poſtquam in illa Facultate Inceperit, publicum Medicinæ Prælectorem, per triennium integrum (numerando a die ſuæ admiſſionis ad Regendum) diligenter et attente audiviſſe teneatur.

1 A. 120. a. B. 116. b. 2 A. 97. a. B. 43. b. C. 7. a. D. 4. a.

§. 2.

§. 2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Medicina præſtanda.*

STatutum eſt, quod is, qui ad Baccalaureatum in Medicina promoveri cupit, priuſquam Gratiam proponat, in duabus Quæſtionibus, ab hora prima pomeridiana uſque ad horam tertiam, in Schola Medicinæ aſſignata ſolenniter pro Forma ſemel reſpondeat, et ſemel opponat. Quodque is, qui Senior eſt, ſi velit, Reſpondentis locum habeat: nec plures quam duo, eodem die, pro Forma opponere permittantur.

Quod ſi deſit, qui pro Forma ad conſequendum gradum opponat, liceat publico Prælectori, vel ejus vices gerenti, Opponentis officium ſuſtinere.

Nec hujuſmodi Diſputatio cuiquam cedat pro Forma, niſi quæſtiones ſuæ, una cum nominibus Reſpondentis et Opponentis, per ſeptem dies ante diſputationem, affigantur valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, ac inſuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in angulos coeunt.

§. 3. *Quot anni, in audiendo publico Medicinæ Profeſſore ponendi, ad incipiendum in Medicina requirantur.*

STatutum [1] eſt, quod qui ad Doctoratum in Medicina promoveri cupit, poſt Gradum Baccalaurei in Medicina ſuſceptum, per quatuor annos integros publicum Prælectorem Medicinæ audiat, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

§. 4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Medicina præſtanda.*

STatutum eſt, quod Baccalaureus Medicinæ, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, vel ſex ſolennes Lectiones ab hora prima pomeridiana uſque ad ſecundam, totidem diebus, publice legat; (in quibus, quamcunque velit Galeni partem explicet) vel aliquem ex his Galeni Libris; nimirum Librum unum de Temperamentis, de Differentiis Febrium, de Uſu Partium, vel de Affectis Locis, tribus ad minimum Lectionibus curſorie exponat.

1 A. 120. b. B. 116. b.

Priuſquam vero vel ſolenniter vel curſorie legere exordiatur, tempus in quo lecturus eſt, et ſubjectum de quo leget, ante triduum ſignificabit, programmate affixo valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, ac inſuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes Plateam verſus in angulos coeunt.

SECTIO VI.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN THEOLOGIA CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni, in audiendo Publico Theologiæ Profeſſore ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia.*

STatutum [1] eſt, quod qui S. Theologiæ dat operam, antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur, Gradum Magiſtri in Artibus ſuſcipiat, et poſtquam in illa Facultate Inceperit, publicum S. Theologiæ Prælectorem, per ſeptennium completum (numerando a die ſuæ admiſſionis ad Regendum) audiviſſe teneatur.

§. 2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Theologia præſtanda.*

STatutum eſt, quod is, qui ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia promoveri cupit, priuſquam Gratiam proponat, bis [2] in diſputationibus Theologicis pro Forma Opponentis principalis, (id eſt, [3] primo vel ſecundo loco diſputantis) munere perfunctus fuerit, et ſemel per duas horas in Schola Theologica pro Forma reſponderit.

1 A. 100. a. B. 46. b. C. 3. a. D. 6. a. 2 N. 42. a.
3 L. 254. b.

Quodque

Quodque ante hujuſmodi Diſputationes, Quæſtiones, una cum nominibus Opponentium et Reſpondentis, per ſeptem dies integros ſignificentur, programmate affixo valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, ac inſuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes Plateam verſus in angulos coeunt.

Inſuper ſtatutum eſt, quod unuſquiſque ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia admittendus, priuſquam Gradum ſuſceperit, [1] Concionem Latinam in Eccleſia B. Virg. Mariæ, per ſe, et non per alium, palam habere teneatur.

Hac tamen cautione ſervata; ne quis ante quinquennium completum a ſuſcepto Magiſtrali Gradu, (idem quoque ſacris Ordinibus initiatus) Concionem hujuſmodi habere permittatur. Cauto inſuper, ne Concio Latina, habita vice alterius cujuſcunque, cedat cuiquam pro Forma.

§. 3. *Quot Anni, in audiendo publico Theologiæ Profeſſore ponendi, ad incipiendum in Theologia requirantur.*

STatutum eſt, quod qui ad Doctoratum in S. Theologia aſpirat, poſt ſuſceptum Baccalaurei in Theologia Gradum, per quatuor Annos integros Publicum Theologiæ Prælectorem audiat, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

§. 4. *Exercitia pro Gradu Doctoris in Sacra Theologia præſtanda.*

STatutum eſt, [2] quod Baccalaureus S. Theologiæ, antequam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, publice in Schola Theologica, ab hora prima uſque ad ſecundam, Latine ſolenniter ſexies legat, et explicet quamcunque velit S. Scripturæ partem: vel aliquam ex iſtis, quæ ſequuntur, Apoſtolicis Epiſtolis; ſcilicet ad Galatas, vel unam aliquam ad Timotheum, vel Titum, vel unam S. Petri, tribus ſcilicet curſoriis Lectionibus ad minimum explicet. Priuſquam vero vel ſolenniter vel curſorie legere exordiatur, tempus quo lecturus eſt, et ſubjectum de quo leget, ante tres dies ſignificabit, programmate affixo valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, ac inſuper Muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in angulos coeunt.

1 A. 100. b. B. 47. a. C. 4. a. D. 6. b. 2 A. 121. a. B. 117. a.

SECTIO

Sectio VII.

QUOMODO, ET UNDE COMPUTANDUM SIT TEMPUS, SINGULIS GRADIBUS CAPESSENDIS PRÆSTITUTUM.

QUoniam Tempus ſingulis Gradibus capeſſendis præſtitutum, alias Annorum, alias Terminorum numero, in his ipſis Statutis exprimitur (ne qua inde cavillandi anſa ſubminiſtretur) præſenti Statuto cautum eſt, quod ubicunque tempus Gradui cuivis præſtitutum per Annos computatur, eadem temporis Menſura in Terminos reſoluta (ſingulis Annis quatuor Terminos deputando) præſtituta eſſe intelligatur. Utpote, ubi tres Anni requiruntur, duodecim Termini; ubi quatuor, ſedecim Termini intelligendi ſunt; et ſic in cæteris.

Inſuper in iis Gradibus, qui a non Graduatis primo ſuſcipiuntur, Tempus hujuſmodi Gradui præſtitutum a tempore Matriculationis computandum eſt; Quod ſi quis vacationis tempore matriculetur, a Termino Matriculationem ſuam ſequente terminos ad Gradum requiſitos computabit.

In iis vero Gradibus, qui a Baccalaureis cujuſlibet Facultatis capeſſuntur, a tempore præſentationis ad Gradum Baccalaurei in eadem Facultate:

In iis tandem Gradibus, qui Gradum Magiſtralem præſupponunt, a tempore admiſſionis ad Regendum, computandum erit tempus.

Denique quoniam haud pauci ſingulis Terminis, unum aut alterum Diem in Univerſitate commorantes, Officio ſuo et Statutis ſatisfeciſſe, et vel ſic Terminos ad Gradum requiſitos compleviſſe, ſe putant; Statutum eſt, quod nemo Terminos ad Gradum ſuum requiſitos compleviſſe reputandus ſit, niſi qui ſingulis Terminis Michaelis et Hilarii, per integrum Menſem; Termino autem Paſchatis,

chatis, per tres Septimanas; Termino demum Trinitatis per duas Septimanas, in Univerſitate commoratus fuerit, et Exercitia juxta Statuta ibidem frequentaverit. Excepto ſemper Termino, in quo quis Gradum ſuſcepturus eſt: cujus primus Dies juxta receptam antiquitus conſuetudinem habetur pro Termino completo. Excepto etiam Termino, in quo quis primum ad Academiam accedens matriculatur, cujus ultimus Dies pro integro Termino reputatur.

TITULUS

TITULUS VII.

DE GENERALI INCEPTIONE IN SINGULIS FACULTATIBUS, SIVE DE VESPERIIS ET COMITIIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA, AD VESPERIAS ET COMITIA PERTINENTIA.

§. 1. *De Tempore Comitiorum.*

CUM antiquitus, in ſingulis Facultatibus admiſſi ad Incipiendum, diverſis Anni temporibus ſolenniter Incipere conſueverint, id quia Academiæ moleſtum et minus honorificum compertum fuit, Univerſitati Magiſtrorum Regentium et non Regentium tandem placuit, ut ſemel duntaxat in quolibet Anno in omnibus Facultatibus Generalis Inceptio haberetur, quæ Comitia ſive Actus diceretur. Et ſtatutum eſt, [1] ut hujuſmodi Comitia annuatim celebrarentur die Lunæ proximo poſt ſeptimum diem Julii, et Veſperiæ die Saturni proxime præcedente.

§. 2. *De Prælectionibus in Veſperiis, et quod Inceptores circumeant ſingulas Scholas.*

STatuit Univerſitas, quod, prout hactenus uſitatum fuit in Veſperiis, die Saturni ante meridiem ſinguli Prælectores in Artibus Lectiones ſolennes habeant. Quarum ſolennitati ut accedat

[1] KK. 20. b.

nonnihil,

nonnihil, decretum eſt, quod ſinguli Profeſſores Habitu ſolenni induti, Doctores, ſi qui fuerint, cum Capis et Caputiis coccineis, et Pileis Gradui competentibus, Magiſtri vero in Artibus cum Togis Statuto conformibus, et Capis ac Caputiis, obverſo ſive Serico ſive Minuto vario, etiam Pileis induti, hora octava, ad Sacellum Boreale Templi Beatæ Mariæ accedant: unde, ſimul ac omnes convenerint, præeuntibus Bedellis Facultatis Artium, omnes una ad Scholas procedant, ac, quiſque ſuam, capeſſant.

In reliquis vero Facultatibus, Lectores ſolenni Habitu induti, in Scholis ſibi aſſignatis, horis conſuetis legant. Præterquam quod Profeſſor Margaretæ, qui alias hora nona legere conſuevit, hodie hora octava leget, in Schola itidem Theologica: Profeſſor vero Medicinæ, et Linguarum Hebraicæ et Græcæ, Hiſtorices itidem Profeſſores, hodie omnes ſimul hora nona antemeridiana legent. Dum hæ Lectiones habentur inter horam octavam et nonam, Inceptores univerſi in ſingulis Facultatibus, Habitu competente induti, Doctores ocreati, Inceptores vero reliqui Crepidis et Soccu-lis induti, omnes aperto capite, Bedellis præeuntibus, Scholas [1] ſingulas tempore Lectionum circumeant, et per Bedellum Facultatis Scholæ in qua legitur Prælectorem, ut velit Veſperiis et Comitiis intereſſe, rogent. Qui abſque ulteriore verborum apparatu aut circuitu reſpondebit, Interero.

Quodque inſuper Inceptores in Theologia, Juriſprudentia, et Medicina, Profeſſores ſuos orent, ut paternam Benedictionem ipſis impertiri dignentur: Qui, eorum petitionibus annuentes, ſinguli ſuis Inceptoribus benedicent, excepto ſolo Profeſſore in S. Theologia, qui Inceptoribus etiam aliarum facultatum, ex æquo, Benedictionem impertietur.

§. 3. *De Diſputationibus Veſperialibus.*

STatutum eſt, quod ſecundum antiquam conſuetudinem, die Saturni poſt Meridiem, ab hora prima ad quintam, in ſingulis Facultatibus ab Incepturis Diſputationes ſolennes habeantur; nimirum ab Incepturis in Artibus, in Theatro Sheldoniano; ab Incepturis in Medicina, Juriſprudentia, et Theologia, in Scholis iiſdem Facultatibus aſſignatis.

1 C. 20. a. B. 49. a. D. 2. b.

§. 4. *De Diſputationibus Veſperialibus in Philoſophia.*

QUoad Incepturos in Artibus, Statutum eſt, quod de tribus Quæſtionibus Philoſophicis ſolennis Diſputatio inſtituatur, in qua Reſpondentis locum occupet ex Incepturis unus per Procuratorem ſeniorem deſignatus. Opponant, primo Procurator ſenior in omnibus Quæſtionibus, qui etiam in prima argumentum confirmet; deinde Pro-procurator et Terræ-filius in ſecunda; et poſtremo Procurator junior in tertia Quæſtione diſputet. Quodque his Diſputationibus univerſi Incepturi a principio ad finem intereſſe teneantur, ſub pœna 3s. 4d.

§. 5. *De Concluſione Veſperiarum Philoſophicarum: et de Juramento Inceptorum.*

CUM ſinguli Actores in Veſperiis Philoſophicis ſuo ordine diſputaverint, Procuratores Diſputationi finem imponent, ea quæ geſta ſunt ſufficere pronuntiando. Deinde ſenior Procurator, de tribus Quæſtionibus a ſingulis Inceptoribus ipſi traditis, una cum verſiculis Quæſtionum ſenſum explicantibus, aliquot, prout ratio Temporis feret, palam recitabit; et de earum aliquibus breviter argumentabitur, ſignificando quo ordine, ſive recto ſive retrogrado, quiſque cenſeatur.

Quibus peractis, unumquemque juramento aſtringet, de Statutis, Privilegiis, Libertatibus, et Conſuetudinibus iſtius Univerſitatis obſervandis, ſub hac Forma;

Magiſter, tu dabis fidem ad obſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines, et Libertates iſtius Univerſitatis.

Et de non [1] reſumendo Gradum Simeonis, ſub hac Forma;

Magiſter, tu jurabis quod nunquam conſenties in reconciliationem Henrici Simeonis, nec ſtatum Baccalaurei iterum tibi aſſumes.

Quiſquis vero hoc juramentum non præſtiterit, eum Procuratores ſex ſolidis octo denariis in uſum Univerſitatis per ipſos exigendis mulctabunt.

1 D. 2. b. C. 20. a.

§. 6.

§. 6. *De Diſputationibus Veſperialibus Juriſtarum.*

DE Incepturis in Juriſprudentia, Statutum eſt, quod pro more (poſt progreſſus aliquot a Profeſſore in prælectione quam ante meridiem inchoaverit factos, aut monitionem illius Juris-ſtudioſi, qui in his Diſputationibus Moderatoris locum obtinet,) a Profeſſore Regio tres Quæſtiones cuique Incepturo cum verſiculis Quæſtionum ſenſum explicantibus proponantur, de quibus Incepturi ſinguli ſeriatim reſpondeant.

Opponant vero Doctores hujus Facultatis in Academia commorantes per ſe vel alium Doctorem vel Baccalaureum ejuſdem Facultatis vice ſua ſubſtitutum, ſub pœna 40s. Quod ſi pauciores fuerint Doctores quam ut commode ſufficere poſſint ſuſtinendis per integrum tempus præſtitutum Diſputationibus, licebit Profeſſori in ſubſidium advocare de Baccalaureis ejuſdem Facultatis in Academia commorantibus (ſervato ordine ſenioritatis) tot quot ſuo judicio uſus poſcet; qui ante xv dies debite præmoniti, ad Opponendum (per ſe vel per alium conſimilis conditionis) prout Opponentium ad Inceptores proportio ipſos cum his aut illis Reſpondentibus commiſerit, ſub pœna 40s. teneantur. Quibus Diſputationibus peractis, prædictus Moderator ſingulis Incepturis unam vel duas Antinomias conciliandas proponet; iiſque conciliatis, hujuſmodi Diſputationibus brevi aliqua peroratione finem imponet.

§. 7. *De Diſputationibus Veſperialibus Medicorum.*

QUoad Incepturos in Medicina, Statutum eſt, ut pro more a Profeſſore Regio tres Quæſtiones, cum verſiculis Quæſtionum ſenſum explicantibus, cuique Incepturo proponantur, de quibus Incepturi ſinguli ſeriatim reſpondeant.

Opponant vero Doctores hujus Facultatis in Academia commorantes per ſe vel per alium Doctorem aut Baccalaureum ejuſdem Facultatis, vice ſua ſubſtitutum, ſub pœna 40s. Quod ſi pauciores fuerint Doctores quam ut commode ſufficere poſſint ſuſtinendis per integrum tempus Diſputationibus, licebit Profeſſori in ſubſidium advocare de Baccalaureis ejuſdem Facultatis in Academia commorantibus (ſervato ordine ſenioritatis) tot quot ſuo judicio uſus poſcet; qui ante xv dies debite præmoniti, ad opponendum (per ſe vel per alium conſimilis conditionis) prout Opponentium

ad Inceptores proportio ipſos cum his aut illis Reſpondentibus commiſerit, ſub pœna 40s. teneantur.

§. 8. *De Diſputationibus Veſperialibus Theologorum.*

INcepturis in Theologia Profeſſor Regius (qui in his Diſputationibus Moderatoris perſonam gerit) tres Quæſtiones una cum verſiculis eaſdem explicantibus, ſingulis proponet, in quibus ipſi ſucceſſive reſpondeant.

Opponant vero de Doctoribus ejuſdem Facultatis in Academia commorantibus, quos Vice-Cancellario ad hoc ante XII ſeptimanas deſignare viſum fuerit, decem (niſi Inceptores plures ſint quam decem, quo in caſu parem Opponentium numerum oportet eſſe) per ſe vel per alium Doctorem aut S. Theologiæ Baccalaureum vice ſua ſubſtitutum, prout Opponentium ad Inceptores proportio ipſos cum his aut illis Reſpondentibus commiſerit, ſub pœna 40s.

Inceptorum quilibet, XIV ad minimum diebus ante Veſperias, cum Doctoribus ſecum diſputaturis Quæſtiones ſuas communicabit, aut, in abſentia cujuſvis ipſorum, cum Doctore aut Baccalaureo S. Theologiæ vice abſentis ſubſtituto; qualem utique ſubrogare tenetur, quiſquis Doctorum a Veſperiis abeſſe neceſſe habuerit, ſub pœna 40s. ei qui defecerit irroganda.

In his autem Diſputationibus quoniam Profeſſor Regius Diſputantium Argumentis intentus fugam temporis haud tam facile notat, Vice-Cancellarius per ſe vel per alium Doctorem, Collegii alicujus Præfectum, ſingulis Opponentibus arguendi ſpatium admetietur, et Diſputationis filum pro ſuo arbitrio præcidet.

§. 9. *De Cœna Veſperiali.*

PEractis Diſputationibus Veſperialibus, moris eſt ut Seniores Inceptores in qualibet Facultate, Theologiæ, Juriſprudentiæ, et Medicinæ, aliis Doctoribus ſenioribus in ſuis Facultatibus cœnam apparent. Et, ſi deſit Incepturus in aliqua harum Facultatum, Quod ſenior iſtius Facultatis, in qua aliqui incipient, Doctores ejus Facultatis, in qua deeſt Inceptor, in Cœna una cum Doctoribus Facultatis ſuæ accipiat: Si vero in nulla harum Facultatum aliquis Inceptor exiſtat, quod is qui Inceptoris Senioris in Artibus locum obtinet, id eſt, qui Senior inter Inceptores in Artibus a Procuratore ordinatur, Doctoribus omnibus cœnam præbeat.

§. 10.

§. 10. *De Concionibus in die dominico inter Veſperias et Comitia habendis.*

IN die dominico inter Veſperias et Comitia, moris eſt ut duæ Conciones, una ante Meridiem, altera poſt Meridiem, lingua vernacula, in Eccleſiæ B. Mariæ Virginis habeantur; et ſtatutum, quod liberum ſit [1] Vice-Cancellario quemlibet ex Theologis in iiſdem Comitiis Incepturis, aut ex aliis, ad hæc concionandi munera deſignare.

§. 11. *De Precibus ſolennibus, et Oblationibus, in die Comitiorum.*

IN die Comitiorum, moris eſt, ut poſt pulſationem parvæ Campanæ, circa horam nonam matutinam, ſinguli Inceptores in qualibet Facultate, per Bedellos ſuæ Facultatis a Collegiis et Aulis deducti, in Capella Orientali Eccleſiæ B. Mariæ Virginis una conveniant; iiſque ſic congregatis, Preces Divinæ ab ejuſdem Eccleſiæ Parochialis Vicario, aut illius Deputato, ſolenniter habeantur: Quibus peractis, primum Vice-Cancellarius, poſtea ſinguli Inceptores in Facultatibus, deinde Procuratores, Bedellis præeuntibus, ad Menſam Euchariſtiæ ſacram, cum debita reverentia, Oblationes faciant. Quod ſiquis a Precibus ſolennibus et Oblationibus abſens fuerit, aut præſens cum debita reverentia ad Menſam Euchariſtiæ ſacram accedere recuſaverit; puniatur pro arbitrio Vice-Cancellarii.

§. 12. *Quem locum in Comitiis ſingulæ Facultates ſortiantur.*

PEractis Precum et Oblationum ſolennibus, moris eſt, ut Exercitia Comitialia inchoentur: quodque ſenior Procurator Suggeſtum in Theatro ſibi ſuper Portam Occidentalem apparatum, Junior ex adverſo ſuper Orientalem, una cum Actoribus juxta antiquum morem conſcendant. Profeſſor Medicinæ cum Inceptoribus in Medicina a parte Occidentali, Profeſſor Juriſprudentiæ a parte Orientali, ſubſellia ſortiantur: Profeſſor vero Theologiæ cum Inceptoribus ſuis, ad Boream infra Cancellarii Cathedram ſedilia conſtituta habeat: et ſi qui in Muſica incipiant, in ſuperiori Pegmate, ad Auſtrum locum teneant.

[1] L. in fine.

§. 13.

§. 13. *De Diſputationibus Philoſophicis in Comitiis.*

IN Comitiis, inter Inceptores in Artibus, moris eſt, ut, juſſu Procuratorum, a primo Opponente tribus Quæſtionibus propoſitis, Magiſter Replicans, [1] qui fuit Reſpondens ſuperioris anni, (vel, eo deficiente, alius quivis per Procuratorem ſubſtituendus) reſpondeat: in iiſdem vero primo in loco diſputet ex Inceptoribus primus Opponens, qui ubi argumentandi finem fecerit, a ſeniore Procuratore (qui, quoad Inceptores in Artibus, Comitiorum Pater habetur) ſolenniter tradendo illi librum, imponendo pileum, et impertiendo oſculum, Magiſter creabitur.

Deinde poſt illum opponere perget idem Procurator ſenior; cui ſuccedet Terræ-filius, quem Pro-procurator excipiet; poſtremo Procurator junior argumentabitur, et Diſputationibus præfatis finem imponet. Inceptorum vero in Artibus quiſquis ab his Diſputationibus abfuerit, 3s. 4d. in uſum Univerſitatis mulctetur.

§. 14. *De Actu Muſico.*

POST Exercitia Artiſtarum in Comitiis finita, ſi quis ſit qui in Muſica Gradum ſuſcipiet, ejus erit unam vel alteram Cantilenam ſex vel octo partium una cum vocum et inſtrumentorum muſicorum harmonia exhibere; qua finita, a Savilianis Profeſſoribus Creationis ſuæ ſolennia recipiet; qui hoc alternis præſtare tenentur, ſive uterque Doctor in aliqua Facultate fuerit, ſive neuter: ſed tunc impetrata prius venia a Domo Congregationis, ut liceat ſibi ad tempus Habitum Doctoralem aſſumere. Quod ſi alter ſolummodo Profeſſorum Doctor fuerit, ei ſoli creandi munus incumbit.

§. 15. *De Diſputationibus Comitialibus in Medicina.*

FInito Actu Muſico, vel, ſi nullus fuerit in Muſica Inceptor, finitis Exercitiis in Philoſophia, moris eſt, ut monito Procuratorum Profeſſor Regius in Medicina procedat. Qui, habita Præfatiuncula, ad Creationem Inceptorum deſcendet, videlicet eorum cuilibet tradendo librum, imponendo pileum, inſerendo digitum annulo, et poſtremo impertiendo oſculum.

[1] KK. 5. a.

Qua

Qua Creatione peracta, Inceptorum ſenior tres Quæſtiones diſcutiendas proponet; de quibus Reſpondens animi ſui ſententiam exponet. Deinde idem Inceptor ſenior in ſingulis argumentabitur, et argumentum in prima confirmabit. Poſt ſeniorem, alii ſeriatim, ſecundus nimirum in ſecunda, tertius in tertia, et (ſi plures fuerint,) quartus in prima, et ſic deinceps quilibet in quæſtione una diſputabit. Quiſque autem, ubi Procuratores ſatis ab eo diſputatum pronunciaverint, ſuſcipiet juramentum ab iiſdem Procuratoribus delatum, de Statutis, Privilegiis, Libertatibus, et Conſuetudinibus iſtius Univerſitatis obſervandis, et de non reſumendo Gradu Simeonis. Reſpondentis vero locum ſuſtinebit aut Inceptorum aliquis illius anni, aut ad eorum inſtantiam ſtudioſus aliquis in Medicina, qui ſaltem tempus ad Gradum Baccalaureatus requiſitum compleverit, ante x ſeptimanas deſignandus, et per Domum Convocationis approbandus; alioqui, aliquis per Vice-Cancellarium nominandus, qui tempus ad Gradum Baccalaurei, vel, (ſi Baccalaureus ſit) Doctoris in eadem Facultate, requiſitum compleverit; cui talis reſponſio citra ullam diſpenſationem cedat pro Exercitiis requiſitis ad illum Gradum quem deſiderat; Baccalaureo ſcilicet pro Diſputationibus, Doctori pro Lecturis gradui ſuo præviis.

§. 16. *De Diſputationibus Comitialibus in Juriſprudentia.*

EXercitiis ab Inceptoribus in Medicina abſolutis, moris eſt, ut Profeſſor Regius in Juriſprudentia, admonentibus Procuratoribus, et ſimiliter Inceptores in Juriſprudentia, procedant, adinſtar Profeſſoris et Inceptorum in Medicina. Reſpondere vero conſuevit, qui in Veſperiis Moderatoris locum tenuit; Unus nimirum Inceptorum illius anni; aut, ipſis procurantibus, ſtudioſus aliquis in Jure Civili, qui ſaltem tempus ad Gradum Baccalaureatus requiſitum compleverit, ante x ſeptimanas deſignandus, et per Domum Convocationis approbandus; alioqui, aliquis per Vice-Cancellarium nominandus, qui tempus ad Gradum Baccalaurei, vel, (ſi Baccalaureus ſit) Doctoris in eadem Facultate, requiſitum compleverit; cui talis reſponſio citra ullam diſpenſationem cedat pro Exercitiis requiſitis ad illum Gradum quem deſiderat; Baccalaureo ſcilicit pro Diſputationibus, Doctori pro Lecturis gradui ſuo præviis.

§. 17. *De Disputationibus Comitialibus in Theologia.*

POST consummata in Jurisprudentia Exercitia, [1] moris est, ut in S. Theologia Professor Regius procedat. Qui pro more, Præfatione habita, ad Inceptorum Creationem similiter, descendet et cætera, prout Professores in Medicina et Jurisprudentia, peraget; ultra quæ, peculiare sibi habet, (quod etiam Procuratoribus incumbit,) utrum Inceptores in S. Theologia ocreis (prout oportet) sint induti, explorare. Qua Creatione peracta, Inceptores, eodem ordine et modo, quo Inceptores in Medicina, succedent: Respondentis itidem locum obtinebit vel ex Inceptoribus unus, vel alius in S. Theologia studiosus, qui saltem tempus ad Gradum Baccalaureatus requisitum compleverit, ante x septimanas designandus, et per Domum approbandus; alioqui, aliquis per Vice-Cancellarium nominandus, qui tempus ad Gradum Baccalaurei, vel, (si Baccalaureus sit) Doctoris in eadem Facultate, requisitum compleverit; cui talis responsio citra ullam dispensationem cedat pro Exercitiis requisitis ad illum Gradum quem desiderat; Baccalaureo scilicet pro Disputationibus, Doctori pro Lecturis gradui suo præviis.

§. 18. *De Conclusione Comitiorum.*

PEractis Exercitiis, et Doctoribus in qualibet Facultate creatis, consuevit Vice-Cancellarius, monitu Procuratorum, Comitia concludere solenni Oratione; in qua res gestas superioris anni, beneficia præsertim Universitati collata, et alia quæ ad honorem Academiæ faciunt, prout ipsi videbitur, commemorare in more positum est.

§. 19. *De Congregatione, finitis Comitiis, habenda.*

COnclusis per Dominum Vice-Cancellarium Comitiis, ad majoris Campanæ pulsationem, Vice-Cancellarius, et superioris Anni Regentes, illico in Domo Congregationis conveniunt; ubi ad supplicationem Doctorum et Magistrorum noviter creatorum, de Ocreis et Crepidis et Socculis ipsorum exuendis, ad quæ tempore Inceptionis adstricti erant, dispensari solet.

[1] B. 53. B.

§. 20.

§. 20. *De Concione Latina, habenda die proximo poſt Comitia.*

DIE Martis proximo poſt Comitia, hora octava matutina, in Templo B. Mariæ Virginis, Concio ad Clerum Latina haberi conſuevit; ad quam Concionem habendam, in arbitrio erit Vice-Cancellarii, aliquem e Doctoribus, vel Baccalaureis in S. Theologia, aut quemcunque alium, ante tres Menſes præmonitum, deſignare.

SECTIO II.

STATUTA GENERALIA AD VESPERIAS ET COMMITIA SPECTANTIA.

§. 1. *Deſignatio Actorum in Veſperiis et Comitiis penes Procuratores eſt.*

CUM, præ multitudine Inceptorum in Artibus, ſinguli in Veſperiis et Comitiis Actorum partes ſuſtinere nequeant, obtinuit conſuetudo, ut penes Procuratores poteſtas foret deſignandi Actores in Veſperiis et Comitiis Philoſophiæ; de quibus, pro Veſperiis, Procurator Senior Reſpondentem, antehac Juniorem Inceptorem nuncupatum (cui in poſterum ne quid ſenioritatis eo nomine decedat, præſenti Statuto cautum eſto) et Pro-procuratorem, Procurator vero Junior Terræ-filium, nominare ſolet. Pro Comitiis vero, Procurator Senior Terræ-filium nominare ſolet; Procurator Junior [1] primum Opponentem, antehac ſeniorem Inceptorem nuncupatum: cui in poſterum ne quid ſenioritatis eo nomine accedat, præſenti Statuto cautum eſto. [2] Proviſum etiam eſt, ut qui Reſpondens eſt in Veſperiis, a quolibet Inceptore ejuſdem anni per manus Procuratorum duos ſolidos et ſex denarios percipiat; unde in die Comitiorum ſequentis anni Magiſtri Replicantis munus obire tenebitur: [3] ad quod ſubeundum cautionem ſufficien-

1 B. 132. 2 KK. 47. b. 3 KK. 5. a.

tem penes Procuratores deponet; in qua exigenda ſi dicti Procuratores negligentes fuerint, ipſi ad providendum de Magiſtro Replicante pro anno inſequente tenebuntur.

§. 2. *Quæſtiones in ſingulis Facultatibus, diſcutiendæ in Veſperiis et Comitiis, Judicio Congregationis approbandæ.*

CUM præ novandi libidine, et opinandi quæ quis velit licentia (quam ſibi privatim quiſque arrogat) nova indies Opinionum portenta procudi, uſu compertum ſit; Ne in publicum quoque ſerpat hæc labes, ſalubri conſilio proviſum eſt, ut Theſes in qualibet Facultate, cum in Veſperiis, tum in Comitiis diſcutiendæ, in Domo Congregationis per congruum temporis ſpatium ante Comitia proponantur; nec ullæ defendantur, niſi quæ maturo illius Domus Judicio approbatæ fuerint; Utpote quæ nec periculoſam materiam ſapiant, et benignam diſputandi materiam ſuppeditent, ut non neceſſe ſit ad altercationes et cavilla confugere. In Facultate vero Artium, Quæſtiones ex intimis Philoſophiæ penetralibus, et non aliunde, deſumantur; nec Exotericas ullas proponi permittat Vice-Cancellarius.

In Juriſprudentia [1] autem (quia Juris Civilis ſtudioſos decet, haud imperitos eſſe Juris Municipalis, et differentias Exteri Patriique Juris notas habere) inter Quæſtiones Comitiales eligatur una, quæ cum Jure Municipali aliquid affine habeat; In qua, quid Jus Civile, quid Regni Angliæ Jus teneat, Profeſſor Juris Civilis in Præfatione ſua, Creationi Inceptorum præmiſſa, doceat, definiat, determinetque. In ſingulis denique Facultatibus Orationes præluſoriæ ad Diſputationes ſint perbreves; et niſi memoriter recitentur continuo a Procuratoribus abrumpantur.

§. 3. *De compeſcendis contumeliis in Exercitiis Veſperialibus et Comitialibus.*

STatutum eſt, quod ſiquis in Orationibus, Argumentationibus, aut quacunque Exercitiorum parte, in Veſperiis aut Comitiis, vel publicum Univerſitatis regimen, vel cujuſquam privati famam, convitiis, dicteriis, vel illiberalibus jocis læſerit, vel, quantum in ſe fuerit, lædendi voluntatem patefecerit, tanquam pacis et tran-

1 E. 78. b.

quillitatis

quillitatis publicæ perturbator coram Vice-Cancellario conveniatur, et exemplar Orationis ſuæ exhibere, aut alioqui (ſi nullum ſe Orationis ſuæ exemplar habere præ ſe ferat; vel, inter argumentandum, verba in quæſtionem vocata exciderint) ad objecta virtute juramenti reſpondere teneatur.

Et ſi judicio Vice-Cancellarii convictus fuerit, pro qualitate delicti (quæ ex circumſtantiis, et Perſonis, tum proferentibus, tum in quas convitia prolata ſunt, æſtimanda erit) Incarceratione, vel Recantatione publica, vel Bannitione, pro arbitrio Vice-Cancellarii, puniatur, præter ſatisfactionem parti læſæ exhibendam.

§. 4. *Habitus Veſperiales et Comitiales Inceptorum in Artibus.*

CUM ex frequentia Inceptorum, Habitu ſolenni indutorum, cohoneſtatur Academia, ſinguli Inceptores in Artibus, in Veſperiis, Facultatis ſuæ Togis laxe manicatis, Capis ac Caputiis ex Serico, et Crepidis et Socculis induti, nudis Capitibus intereſſe, ſub pœna 3s. 4d. ibique quoad Exercitia peracta fuerint permanere, teneantur. Etiam in die Comitiorum, eodem modo ſub pœna eadem interſint; præterquam quod pro Caputiis Sericis, Caputiis ex Minuto-vario, (Anglice *Miniver)* induti incedent.

§. 5. *Habitus Inceptorum in aliis Facultatibus.*

INceptores in Muſica, in Veſperiis et Comitiis, Togis manicatis, cum Capis albis Damaſcenis undulatis, Pileiſque rotundis holoſericis utantur.

Inceptores in Medicina et Juriſprudentia Capas coccineas cum Caputiis itidem coccineis, Serico cujuſvis intermedii coloris ſubſutis, et Pileos ex holoſerico rotundos geſtent.

Inceptores in Theologia Capas itidem coccineas cum Caputiis ſimilibus, Serico tamen nigri coloris ſubſutis, et Pileos Quadratos habeant.

Singuli Inceptores, donec ſolenniter creati fuerint, capitibus apertis in publico ſedeant, et incedant, ſub pœna 13s. 4d.

§. 6. *De Senioritate Inceptorum in quaque Facultate.*

IN Facultatibus Theologiæ, Medicinæ, et Juriſprudentiæ, quiſque in ſua Facultate, ſecundum ordinem quo præſentati, ſive ad incipiendum admiſſi ſunt, de conſuetudine in Veſperiis et Comitiis, et ſemper deinceps, locum ſive ſenioritatem obtinebunt; niſi ſint aliqui in iiſdem Facultatibus, qui pro Gradibus cum Univerſitate compoſuerint (quos Cumulantes vocant) qui cæteris ejuſdem anni præferentur.

[1] Inceptores vero in Artibus, pro arbitrio Procuratorum ſenioritatem ſortientur, præter Cumulantes; qui, reliquis præferendi, inter ſe ſenioritatem juxta ordinem præſentationis ſortientur.

Proviſo tamen, quod diſpoſitio illa Procuratorum Sociis Collegiorum præjudicio non ſit, quo minus eandem ſenioritatem, quam in admiſſione ad Incipiendum obtinuerunt, in Collegiis ſuis retinere poſſint.

Proviſo inſuper, quod ubi ſenioritas (juxta privata Collegii cujuſvis Statuta) attenditur penes ſenioritatem in Univerſitate, et ex univerſo ſenioritatis ordine multum quis patitur detrimenti; in hujuſmodi Collegiis Inceptores in Catalogo Inceptorum diſponantur eodem ordine ſenioritatis, quam, in ſuis quiſque Collegiis, obtinent.

§. 7. *De Sedilibus Inceptorum et Extraneorum non occupandis.*

CAutum eſt, quod in Veſperiis et Comitiis, nec non in Concionibus inter Veſperias et Comitia, Juniores Senioribus locum cedant; præcipue, ne Inceptoribus aut Extraneis, quibus de conſuetudine locus provideri ſolet, quiſquam locum præripiat. In quo ſi qui deliquerint, Dominus Vice-Cancellarius, vel Procuratores, pro arbitrio eos caſtigandi poteſtatem habeant; necnon in ſubſidium alios Magiſtros in Artibus advocandi, qui, indebite locum occupantes ſubmovendo, ipſis ſuppetias ferant. Si quis vero immorigerum ſe præbeat vel Vice-Cancellario, vel Procuratoribus, vel Magiſtris aſcitis, pœna eſto arbitraria.

1 KK. 248. a.

§. 8.

§. 8. *De Veſperiis et Comitiis a B. Virginis Mariæ Templo transferendis ad Ædificium ſeu Theatrum publicum, impenſis et munificentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris Gilberti Archiepiſcopi Cantuarienſis extructum; aliiſque capitibus negotium illud concernentibus.*

CUM ſingulari munificentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris GILBERTI, divina Providentia Cantuarienſis Archiepiſcopi, Ædificium ampliſſimum hac in Univerſitate exſtructum ſit, et Cancellario, Magiſtris, et Scholaribus ejuſdem Univerſitatis, atque Succeſſoribus ſuis, conceſſum et donatum; ea quidem intentione ut Comitiis atque Exercitiis apud Academicos ſolennioribus commodior in poſterum haberetur locus; et præſertim, ut Beatæ Mariæ Virginis Templum, Comitiorum tumultu atque licentia ſubinde temeratum, almæ pietatis officiis, et Dei Opt. Max. ſacris, caſte et qua par eſt religione in poſterum inſerviret: quæ res diu a deceſſoribus noſtris expetita, et Statutorum Academiæ publicis vocibus agnita et commendata, ut plenum (favente Deo) effectum ſortiatur, ſeria de eadem deliberatione habita placuit Academiæ decernere et ſtatuere;

1. Ut ſolennes publicæque Gratiæ Reverendiſſimo in Chriſto Patri, et Patrono munificentiſſimo, Domino Archiepiſcopo Cantuarienſi, Univerſitatis nomine, Literis a venerabili Domo Convocationis miſſis, reddantur.

2. Ut prædictus Reverendiſſimus in Chriſto Pater in Benefactorum Album referatur.

3. Ut Veſperiæ et Comitia, in Templo B. Mariæ Virginis, celebrari ſolita, ad Theatrum prædictum transferantur.

4. Ut in Theatro prædicto, ubi res Academicæ id poſtulaverint, Convocationes et Congregationes celebrare liceat, ibidemque univerſi, ad ſolennia quæque illuc confluentes, habitibus Gradui et Ordini competentibus induantur.

5. Ut die Veneris Comitiorum ſolennia præcedente, (quæ, annuente Deo, Theatri Encænia futura eſt) Agones habeantur hora prima poſt meridiem Philologici, ubi Humanioris Literaturæ exercitia peragantur, in quibus duo Inceptores in Artibus a Vice-Cancellario cum conſenſu Procuratorum deſignati Orationes habeant, et eo nomine cæteris ejuſdem anni in Senioritatis diſpoſitione præferantur, quatenus per Conſuetudinem et Statuta hac de re prius lata id fieri poſſit. Inſuper ut ibidem Problemata Mathematica,

matica, Critica, Chronologica, necnon Experimenta omnigena proponi et diſcuti, quin et Commiſſiones Philologicæ, ſive Carmine aut ſoluta Oratione, ab omnibus cujuſvis Ordinis aut Gradus peragi, poſſint; petita prius Vice-Cancellarii et Procuratorum venia et licentia. Quibus ſi id meruiſſe viſi ſint, licebit Vice-Cancellario, aſſentientibus Procuratoribus, cuilibet ſeſe exercenti, et ſpecimina eruditionis ſuæ facienti, ſi modo Baccalaureus in Artibus fuerit, gratiam facere, ut Exercitia ab ipſo præſtita pro Forma ad Gradum Magiſtri in Artibus cedant loco Declamationum, quas Statuta exigunt. Si vero non Graduatus fuerit et ſenior Sophiſta, liceat præfato Vice-Cancellario cum conſenſu Procuratorum ipſi jus et uſum Pilei quadrati cum Apice concedere.

6. Ut Orationes, ad Baccalaureos Determinantes a Procuratore et Collectoribus in Quadrageſima Templo B. Mariæ haberi ſolitæ, ad Theatrum prædictum transferantur; ſcilicet, procedentibus, poſt Litaniam finitam, ſolenniter ad Templo B. Mariæ ad Theatrum prædictum Vice-Cancellario et Procuratoribus, una cum Baccalaureis Determinantibus.

7. Ut duo Curatores ſeu Ædiles Fabricæ Theatralis prædictæ a Reverendiſſimo Fundatore, durante ejus vita, pro arbitrio ipſius, et deinceps a venerabili Domo Convocationis, e Doctoribus quos Statos Delegatos Computi eſſe contigerit, nominentur et conſtituantur. Quorum muneris erit, ut domus cuſtodibus et janitoribus præſint, et eoſdem conſtituant; ut cœtum univerſum, hoſpites præſertim et peregrinos qui ad Theatrum confluxerint, in ſedibus pro eorum dignitate et meritis, una cum Vice-Cancellario et Procuratoribus excipiant et diſponant: necnon pacem publicam ibidem tueantur: quinetiam Pro-Cancellarii poteſtate inſtructi infra Theatri præcinctus immorigeros et tumultuantes in ordinem cogant: Et, ſi inſuper neceſſarium viſum fuerit in Artibus Magiſtros in curæ hujus partem adhibere, ut iidem a Curatoribus prædictis nominati, et a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbati, durante Solenniorum tempore, infra præcinctus prædictos Procuratoria Poteſtate muniantur. Demum, ut Curatores prædicti pecunias ad uſum Theatri accipiant et impendant, rationemque quotannis reddant coram ſtatis Delegatis tempore Computi Vice-Cancellarii.

TITULUS

TITULUS VIII.

DE DISPUTATIONIBUS ORDINARIIS.

§. 1. *De Disputationibus Ordinariis in S. Theologia.*

STatutum est, quod in Theologia, quolibet anno, [1] decies in Schola Theologica Disputationes habeantur; die nimirum Jovis primo et ultimo cujusque pleni Termini; ac etiam die Jovis ante primam Dominicam Adventus Domini; ac postremo die Jovis qui Quadragesimam proxime præcedit. Qui si Festus quandoque fuerit, tum die proximo sequente non Festo disputetur.

Quodque ad hanc Disputationem obeundam teneantur omnes, tam Baccalaurei in S. Theologia (etiamsi tempus ad Doctoris Gradum suscipiendum compleverint) quam in Artibus Magistri (nisi fuerint Procuratores Universitatis, vel publici in Artibus Professores) postquam a tempore solennis suæ Creationis in Comitiis integrum quadriennium compleverunt, sive in Collegiis sive in Aulis victitent; nisi ad studia vel Juris vel Medicinæ, vel alicujus Facultatis, per Statuta Collegii sui alligentur; aut alicui earundem Facultatum, (anno ad minimum, antequam ad Opponendum vel Respondendum in Theologia moniti fuerint) nomina sua ipsos dedisse notorie constet.

In quibus Disputationibus e Baccalaureis et Magistris senior Respondentis locum obtineat. Quodque Opponant post Professorem Regium, (qui Disputationibus moderatur) duo alii Gradu proximi, descendendo; et sic deinceps, donec omnes suis vicibus perfuncti fuerint; deinde iterum, si opus fuerit, ad seniores revertendo.

1 KK. 341. a. L. 237. a.

Quæstiones

Quæſtiones autem diſcutiendæ, duæ ſint, per Congregationem, proxime ſequentem monitionem datam, approbandæ, de quibus Diſputatio ab hora prima ad tertiam continuetur; eique intereſſe teneantur Baccalaurei S. Theologiæ, et [1] Magiſtri omnes poſt ſecundum Regentiæ ſuæ annum, quos ad aliam aliquam Facultatem ſtudia ſua contuliſſe non conſtiterit.

§. 2. *De Diſputationibus Ordinariis in Medicina.*

STatutum eſt, [2] quod in Medicina, in Schola illius Facultatis, bis in quolibet anno, nimirum Terminis Hilarii et Trinitatis, primo die Martis utriuſque Termini, Diſputatio habeatur.

Quam ſuſtinebunt ſuis vicibus Baccalaurei omnes in Medicina, et alii Studentes in Medicina, quotquot rite ſtudio Medicinæ nomina dederunt, ac Univerſitatis Privilegiis gaudent, a Senioribus ad Juniores deſcendendo, et ſic deinceps revertendo: (exceptis Procuratoribus Univerſitatis, et publicis Profeſſoribus in Artibus) e quibus is, qui ſenior eſt, Reſpondebit, duo alii Opponent, in duabus Quæſtionibus, per Congregationem, proxime ſequentem monitionem datam, approbandis, per duas horas integras, videlicet a prima ad tertiam.

Cui Diſputationi intereſſe adſtringantur omnes Baccalaurei Medicinæ, aliique Magiſtri qui Medicinæ ſtudent.

§. 3. *De Diſputationibus Ordinariis in Juriſprudentia.*

STatutum eſt, quod in Juriſprudentia, [3] bis in quolibet anno, Diſputatio in Schola Facultati deſignata habeatur, nimirum in Terminis S. Michaelis et Paſchatis, ultimo die Martis utriuſque Termini: quam Diſputationem ſuſtinebunt ſuis vicibus omnes Baccalaurei Juris, et qui in ſtudio Juris tempus compleverunt, quo ad Baccalaurei Gradum promoveri poſſunt, quotquot Privilegiis Univerſitatis gaudent, a Senioribus ad Juniores deſcendendo, et ſic deinceps revertendo: exceptis Procuratoribus Univerſitatis, et publicis Profeſſoribus in Artibus.

In quibus, Senior Reſpondebit, duo proximi Opponent; idque in duabus Quæſtionibus, per Congregationem, proxime ſequentem monitionem datam, approbandis, per duas integras horas, videlicet a prima ad tertiam poſt meridiem.

1 B. 110. a. 2 L. 237. b. M. 6. a.
3 L. 238. a. M. 6. a.

Quodque

Quodque has Diſputationes frequentare teneantur ſinguli Baccalaurei Juris, omneſque Magiſtri et Scholares, quos ſtudio Juris nomina ſua dediſſe conſtat.

§. 4. *De Diſputationibus Quodlibeticis* [1] *habendis vice Ordinariarum, in Artibus.*

CUM Diſputationes antiquitus [2] per XL dies poſt Inceptionem in Artibus, quolibet die diſputabili, juxta vetera Statuta a ſingulis Inceptoribus haberi ſolitæ (ex quo diverſa Incipiendi tempora in generalem unam Inceptionem, in Veſperiis et Comitiis, immutata ſunt) in deſuetudinem abierint; placuit Academiæ, ut earum loco unoquoque die diſputabili in pleno Termino, quo Magiſtrorum Regentium Congregationes non habentur, ad parvæ Campanæ in Templo S. Mariæ pulſationem, ab hora decima antemeridiana ad undecimam, in Scholis Artium Diſputationes Quodlibeticæ habeantur.

In quibus e Magiſtris Regentibus, ſeriatim et per vices, incipiendo ab eorum Juniore, quolibet die Duo, in totidem Scholis, Habitu Gradui competente induti, cum Moderatorum tum Opponentium munus ſuſtinere tenentur.

Ad has autem Diſputationes ſeriatim obeundas tenentur ſinguli Regentes, durante ſua Regentia neceſſaria, et ad placitum (ſi neceſſario Regentes non ſuffecerint numero Baccalaureorum, qui pro Forma reſponſuri ſunt) ſub pœna 6s. 8d. ſi modo, per Superiorem in Artibus Bedellum, ante ſeptem dies legitime præmoniti et requiſiti fuerint.

Quod ſi Bedellus Magiſtrum legitime non præmonuerit, aut, Magiſtro Diſputationem omittente, ejus defectum eo ipſo die Procuratoribus non ſignificaverit, 10s. mulcta per Procuratores ab eodem exigatur.

§. 5. *De Diſputationibus per Bedellos præmonendis.*

STatuit Univerſitas et decrevit, [3] quod Bedellus ſuperior in qualibet Facultate, per ſex hebdomadas ante diem Diſputationis (præterquam in Quodlibeticis, in quibus Diſputationibus ante ſep-

1 Tit. VI. Sect. II. §. 12. 2 A. 12. a. B. 50. b. C. 21. a. D. 3. b.
3 L. 237. a.

tem dies præmonuiſſe ſufficiet) tam Reſpondentem quam Opponentes officii ipſorum certiores faciat; eos ſi fieri poſſit perſonaliter monendo, vel (ſi eo convenire non poſſit) per affixionem monitionis, manu Bedelli monentis ſubſcriptæ, ad oſtium cameræ, vel hoſpitii ubi morari conſueverunt; vel ſi cameram nullam cameræve partem retineant, nomina tamen ipſorum uſque in libro promptuarii inſcripta maneant, (eo nomine, privilegii Academici beneficium in occaſione vendicare ut liceat) affixa monitione ad oſtium promptuarii: quo in caſu Bedellus Promum convenire, et ſi abſentem quempiam intra tempus Diſputationi præſtitutum probabiliter non affuturum, parteſve ſuas non impleturum, a Promo ſciſcitatus reſciverit, ſub pœna 10s. teneatur id ipſum protinus Vice-Cancellario renuntiare; qui, ne Diſputationes tempore conſtituto habendæ intercidant, proximum debite præmonendum curabit; quod ut commodius fiat, Bedellus aliquot dierum ſpatio ante ſex ſeptimanas, præmonendis Diſputationibus aſſignatas, teneatur ſub eadem pœna conditionem cujuſque proxime præmonendi explorare, utrum ſcilicet præſens ſit, vel ad tempus præſtitutum affuturus videatur.

Quodque Reſpondentes in S. Theologia, Medicina, et Juriſprudentia, Quæſtiones [1] ſuas, intra biduum poſtquam approbatæ fuerint, Profeſſoribus ſuis exhibeant, et deinceps eas valvis utriuſque magnæ ſeu exterioris portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis Parietes, plateam verſus, in angulos coeunt, ante ſeptem dies affigi curent.

§. 6. *Diſputantium Habitus. Præfandi Leges.*

STatutum eſt, quod in Diſputationibus Ordinariis tum Reſpondentes tum Opponentes, Togis Facultati ſuæ congruis, et Habitu Gradui competente, id eſt, Pileo, Capis et Caputiis induti, interſint.

Quodque cum Reſpondentium, tum Opponentium præfationes memoriter recitentur; in quibus [2] ſuccincte ad ſtatum Quæſtionum pertinentia duntaxat exponant; nec [3] Reſpondentem plus quam ſemihoram, Opponentem plus quam quartam horæ partem, qui Diſputationibus præſunt, impendere patiantur; reliquum vero temporis in argumentando conſument.

1 B. 132. 2 B. 50. b. 3 L. 237. a. B. 118. a.

§. 7.

§. 7. *De Officio Vice-Cancellarii et Procuratorum, circa has Diſputationes.*

STatutum eſt, quod in omnibus Diſputationibus Ordinariis S. Theologiæ, Medicinæ, ac Juris, Dominus Vice-Cancellarius; in Quodlibeticis vero Procuratores, vel eorum alter, per ſe vel Deputatos ſuos, diligentius interſint: Quodque curent, ut hæ Diſputationes debito modo et forma præſtentur, et ab iis, qui intereſſe debent, frequententur; et, ſi opus videbitur, ſingulis, quos adeſſe oportet, per Bedellos nominatim compellatis, qui abſentes ſint, diſquirant.

§. 8. *De mulctandis delinquentibus circa has Diſputationes.*

STatutum eſt, quod, ſi quando contingat debito tempore aliquam harum Diſputationum Ordinariarum, in ſuperioribus Facultatibus, penitus omitti (quod committi non licebit, ſi [1] vel unus Opponentium cum Reſpondente et Moderatore adfuerit) ille cujus culpa id contingit, id eſt qui neque per ſe, neque per ſubſtitutum aliquem præſtiterit, ſi Opponens fuerit, [2] 20s. mulctabitur; ſi Reſpondens vel Moderator, 40s. Quod [3] ſi Bedellus juſto tempore Opponentes et Reſpondentes non præmonuerit, vel Reſpondentes (prout debent) Quæſtiones palam affigi non curaverint; eorum quilibet pœnam 10s. luet. Quod ſi omittatur Diſputatio Ordinaria, mulctetur ille cujus culpa hoc fit, et adigatur inſuper ad partes ſuas præſtandas alio tempore ſub eadem vel graviori pœna, niſi legitimam cauſam attulerit, cur excuſatum eum habere debeat Vice-Cancellarius.

Proviſo etiam, quod liceat Vice-Cancellario, ſi ex juſta et neceſſaria cujuſquam abſentiæ cauſa, has Diſputationes omiſſum iri proſpexerit, eo caſu, et non aliter, alii alicui idoneo abſentis vices ſupplendi veniam dare; vel, ſi videbitur, proximo debite præmonito ſubeundi, ſub pœna ſupradicta, neceſſitatem imponere; cui ſubeunti pro ſua vice cedet.

Mulctæ denique, propter hæc delicta irrogatæ, inter Academiam, Vice-Cancellarium, Procuratores, et Bedellos Facultatis, in quatuor partes æqualiter dividentur.

1 L. 237. a. 2 L. 250. b. 3 B. 110. a.

TITULUS IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET NEGOTIIS CONGREGATIONUM, ET DE PERSONIS AD EAS SPECTANTIBUS.

§. 1. *De Tempore Congregationum habendarum.*

UT Univerſitatis Negotia, cum quæ ad Gratias et Gradus ſpectant, tum alia, cum Deliberatione et Conſilio mature expediantur; Statutum eſt, quod, pro more antiquo, in principio cujuſque Termini Congregatio Magiſtrorum Regentium celebretur, quæ pro arbitrio Vice-Cancellarii a die in diem continuetur, et in ultimo cujuſque Termini die diſſolvatur. Quodque quoties continget hujuſmodi Congregationem celebrari, per pulſationem [1] Magnæ Campanæ, ſtatim poſt horam nonam ante meridiem, denuncietur. A cujus pulſationis ceſſatione, Dominus Vice-Cancellarius, Procuratores, et Magiſtri Regentes accedant, ſeque ad Congregationem celebrandam accingant. Et præeunte Vice-Cancellario, et Procuratoribus, Habitibus Gradui competentibus, altero Bedellorum ſubinde proclamante, *Intretis in Congregationem, Magiſtri, intretis*, omnes Domum Congregationibus deſtinatam ingrediantur, ubi cauſa Congregationis tunc habendæ per Vice-Cancellarium expoſita, ad expedienda Negotia debite procedant.

1 B. 68. a.

§. 2.

§ 2. *De Negotiis in Domo Congregationis tractandis.*

ORdinatum eſt, quod, prout ab antiquo fieri conſuevit, in Venerabili Congregatione Magiſtrorum Regentium, Gratiæ ſive Supplicationes eorum, quos ad gradus Scholaſticos promoveri par eſt, proponantur, et concedantur. Item ut diſpenſationes, in quibus Congregationi per Statuta diſpenſare licebit, petantur. Deinde ut digni et idonei ad gradus Scholaſticos præſententur, et admittantur. Item ut ab aliis Academiis commendati incorporentur; et pro more conſueto, Viri Conditionis et Eruditionis ſpectatæ in ſingulis Facultatibus licentientur, iidemque atque alii, ſi opus fuerit, Literis Teſtimonialibus commendentur; et multa alia, de quibus Venerabili huic Congregationi decernendi hactenus poteſtas fuit, cum matura deliberatione et judicio expediantur.

§. 3. *De Perſonis ex quibus conſtat Congregatio: et penes quos ſit poteſtas negandi quæ proponuntur.*

ORdinatum eſt etiam, quod, prout de more antiquo obſervatum fuit, Congregatio Regentium conſiſtat e Cancellario ſive Vice-Cancellario, et duobus Procuratoribus vel eorum Deputatis, et Magiſtris neceſſario, atque etiam ad placitum, Regentibus. Quodque nihil in hac Venerabili Congregatione decernatur, cui Cancellarius, ſive Vice-Cancellarius, vel ambo Procuratores, ſive eorum Deputati, vel major pars Magiſtrorum neceſſario, et ad placitum, Regentium, qui interfuerint (quorum numerum novenario minorem eſſe non oportet) conſenſum non adhibuerint; ſed pro non conceſſo habeatur, ſi vel Vice-Cancellarius ejuſve Deputatus, vel ambo Procuratores, eorumve Deputati, vel major pars Magiſtrorum neceſſario et ad placitum Regentium, diſſenſerint. Præterquam in Electionibus, quas liberas eſſe volumus, ſecundum antiquam conſuetudinem, per majorem partem omnium ſuffragantium.

§. 4. *De Magiſtris neceſſario Regentibus.*

DEcretum [1] eſt, quod quolibet anno, de more recepto, ſtatim poſt finita Comitia, Magiſtri in Artibus, necnon Doctores in S. Theologia, Medicina et Juriſprudentia, in die ſolennis ſuæ

[1] KK. 78. a.

Creationis

Creationis, petant ſive ſupplicent, ut in Domum Congregationis admittantur, et ad ſuam in Facultatibus Regentiam, hoc eſt, ad omnes et ſingulos actus neceſſariæ ſuæ Regentiæ exercendos, [1] ante tertiam Congregationem (niſi grave aliquod crimen, unde Univerſitati ſcandalum oriatur, alicui aut aliquibus eorum objiciatur) admittantur; quodque ſi ulterius differantur, licitum ſit Cancellario, aut ejus locum tenenti, eoſdem in Domum Congregationis accerſere, et ibidem eoſdem propria Auctoritate admittere.

Qui [2] Magiſtri, et Doctores, neceſſario Regentes per integrum biennium habeantur, niſi (poſt alios Magiſtros et Doctores in Comitiis proxime ſequentibus creatos, et pari modo in Domum Congregationis ad Regendum admiſſos) cum ipſis pro ſecundo Regentiæ ſuæ Anno (prout de more fieri ſolet) gratioſe diſpenſetur.

§. 5. *Formula admittendi Magiſtros ad Regendum.*

A Magiſtris, et Doctoribus ſingulis (tametſi antea rexerunt in Artibus) ad Regentiam admittendis, Procurator ſenior, ſub hac verborum forma juramentum exiget, [3] *Magiſter, tu dabis fidem ad obſervandum omnia Statuta, Privilegia, Conſuetudines, ac Libertates iſtius Univerſitatis.* Reſp. *Do.*

Item tu jurabis, quod non revelabis ſecreta iſtius Domus; neque Domus Convocationis. Reſp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod non impedies dignos nec indignos promovebis, et quod leges et cantabis in ſolennibus proceſſionibus, ſecundum aſſignationem et diſpoſitionem Procuratorum; vel, ſi recuſaveris, ſolves 5s. in uſum Univerſitatis per Procuratores exigendos. Reſp. *Juro.*

Quo juramento a ſingulis præſtito, Vice-Cancellarius eoſdem ſic admittat: *Magiſter, ego admitto Te in hanc Domum Congregationis, nec non in alteram Domum Convocationis.*

Deinde [4] ratione hujus Admiſſionis perſolvet quilibet Magiſter in Artibus Bedello Facultatis ſuæ 4d. et Doctor 1s. ad eleemoſynam, et uſum Pauperum, ſecundum diſcretionem Vice-Cancellarii et Procuratorum diſtribuendos. Inſuper quilibet in Artibus Magiſter, (quoniam ab Admiſſione ſua ad Regendum computan-

1 KK. 284. b. 2 KK. 144. a. 3 B. 139. b.
4 L. 97. a.

dum

dum eſt tempus, ad ulteriores Gradus in Facultatibus capeſſendos requiſitum) ſolvet Regiſtrario, Admiſſionem ſuam in Regiſtrum referenti, 1s.

§. 6. *Qui ſunt Magiſtri Regentes ad placitum.*

MAgiſtri Regentes ad placitum, prout moris fuit antiqui, habeantur, qui ante aliquando rexerunt; Profeſſores ſcilicet et Lectores Publici, tam Regii, quam alii. Item Doctores omnes cujuſcunque Facultatis, in Univerſitate reſidentes: necnon omnes Collegiorum et Aularum Præfecti, qui aliquando rexerunt in Artibus, iiſque abſentibus eorum Deputati; item Magiſtri Scholarum; et quicunque in privatis Collegiis Decanorum vel Cenſorum munus obeunt: Omnes inſuper Magiſtri (durante ſecundo Regentiæ ſuæ anno) quibuſcum, poſt finitum primum neceſſariæ Regentiæ annum, pro ſecundo Regentiæ ſuæ anno diſpenſatum fuerit.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS PER MAGISTROS NECESSARIO REGENTES.

§. 1. *De Examinandis iis qui Gradus in Artibus capeſſunt; aut in Juriſprudentia, priuſquam in Artibus inceperint.*

QUO exploratior fit, Congregationi Regentium, eruditio ac in bonis Literis progreſſus ſingulorum, qui Gradus in Artibus capeſſunt; aut in Juriſprudentia, priuſquam in Artibus Inceperint: Statutum eſt, quod unuſquiſque, antequam ad ſupplicandum pro Gratia admittatur, Magiſtrorum Regentium Examen ſubeat.

1 L. 295. b.

Ne

Ne vero turba Candidatorum, huic Examini ſeſe offerentium, Examinatoribus moleſta ſit et oneroſa; Statutum eſt, in uno quovis die plures quam ſex ad Examen admittendos non eſſe.

Quem diem præſtituendi poteſtas ſit penes Seniorem Procuratorem, qui ſingulis examinandis diem certum, quo Examen ſubire debeant, ſub Chirographo ſuo teſtatum aſſignabit; Hac tamen cautione, ut unicuique Candidatorum Senario diſtincti dies aſſignentur; et nomina ipſorum, una cum die aſſignato, referantur in Regiſtrum, eum in finem penes Procuratorem perpetuo adſervandum. Cauto inſuper, ut examinandis dies eum in modum aſſignentur, ut ſub Examen Regentium, qui ex eadem cum ipſis domo ſunt, minime cadant.

Examinandus quiſque, poſt præſtitutum a Procuratore diem, Examinatores illico de eo certiores faciet; ac die præcedente Examinationem ſuam (Programmate affixo valvis utriuſque magnæ portæ Scholarum, ac inſuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, plateam verſus, in angulos coeunt) nomen ſuum edet, ac domum unde eſt, et quem Gradum ambiat.

Hiſce Examinationibus quemcunque Diem (modo ne Feſtum) in Termino, ſive extra Terminum (ſi numerus Candidatorum hoc ipſum efflagitet) aſſignare fas eſto Procuratori. Locus examinandis aſſignatus, eſto Schola Naturalis Philoſophiæ; Hora vero qua ſe examinandos ſiſtent, Nona Matutina, a qua uſque ad Undecimam in illo ipſo loco perdurabunt: Atque iterum ab Hora prima Pomeridiana, ſi Examinatoribus ita viſum fuerit, quouſque illis placuerit.

Artes autem ſeu Scientiæ, in quibus examinandi erunt, ſint illæ ipſæ, in quibus, et quatenus ſeu quouſque, per Statuta Academiæ, Lecturas audiviſſe tenentur. Auctores inſuper ſint illi ipſi, quos, ſecundum Statuta, Lectores publici Auditoribus ſuis prælegere tenentur: rejectis prorſus neotericis quibuſcunque Auctoribus; quorum ignoratio ne cui ſit fraudi, præſenti Statuto cautum eſto.

Neque vero in Phiſoſophicis ſolis, (intra quos fines ſtetit anguſta ſuperioris Seculi Eruditio) verum etiam in Philologicis inſtituatur Examen. Ac præcipue Examinatoribus explorandum incumbit, qua quiſque polleat Facultate animi ſui ſenſa lingua Latina explicandi. Neque enim ad Artium Baccalaureatum, niſi qui congrue et prompte, nedum ad Magiſtralem Gradum (eive ſupparem)

rem) nisi qui commode et apte, in rebus quotidiani usus, animi sui sensa lingua Latina explicare valeat, admitti quenquam volumus.

Id quod explorare poterunt Examinatores porrectis Dialogis, seu Colloquiis familiaribus lingua Vernacula conscriptis, e quibus oblatum quemcunque locum statim lingua Latina reddere Examinatus quisque tenetur; aut alio quocunque demum modo, quo sibi commodius satisfacturos Examinatores probabile est, quos juratos de singulis Examinatis Testimonium dicere oportebit.

§. 2. *De Examinatoribus designandis et Juramento onerandis per Procuratorem Seniorem.*

CUM olim singulis Regentibus Candidatos quoscunque Examinandi jus ac potestas fuerit, ne quid huic potestati derogetur, præsenti Statuto cautum esto. Hoc amplius provisum est; ut Senior Procurator, cum Examinandis diem assignat, quo Examen subituri sunt, a Juniore Regente incipiens, tres Juniores Magistros designet, qui, per tres dies examinatorios, Candidatos singulos examinabunt; ac deinceps, tres ab illis proximos Magistros ad tres sequentes dies examinatorios deputabit, ac sic, percurso demum universo Magistrorum Regentium cœtu, ad Juniores Regentes iterum revertetur, quousque usus fuerit; singulos Examinatorum ternarios in Registrum suum referens, e regione trium illorum dierum ad quos designantur.

Examinatores singuli, quamprimum ab examinando quovis sibi examinandi vices obvenisse resciverint, citra diem examinationi præstitutum, Procuratorem adibunt, in Domo Congregationis (si quæ Congregatio intervenerit,) sin minus, privatim per Seniorem Procuratorem Juramento onerandi, in hæc verba:

Magister, tu jurabis, quod singulos Candidatos (qui sub examen illius ternarii cadent, cui te contribui contigerit) partim ipse examinabis, partim ab aliis examinatos audies; ita ut, salva conscientia, juratus de unoquoque pronuntiare valeas, eum quoad eruditionem, judicio tuo, parem esse vel imparem huic vel illi gradui quem ambit. Resp. *Juro.*

Item, *tu jurabis, quod unumquemque examinabis in iis Artibus, seu Scientiis, in quibus, et quatenus, seu quousque per Statuta Lecturas audivisse tenetur. Quodque præcipue explorabis, qua quisque polleat Facultate, in rebus quotidiani usus animi sui sensa lingua Latina explicandi.* Resp. *Juro.*

Item, *tu jurabis, quod nec prece, nec pretio, nec odio, nec amicitia, nec timore, nec ſpe, teſtimonium indigno cuivis perhibebis, dignove denegabis.* Reſp. *Juro.*

Examinatores ad diem a Procuratore præſtitutum, hora nona matutina, in Schola Naturalis Philoſophiæ omnes ſimul convenient: ubi Senior ipſorum a Seniore inter Candidatos Examen auſpicabitur; cujus Examine finito, ab illo proximus proximum itidem Candidatum examinabit; et ſic in orbem, quoad omnes examinati fuerint. Ita tamen quod liceat ſingulis Examinatoribus etiam extra ordinem ſingulos Candidatos examinare, ſi aliorum Examen minus ſibi ſatisfecerit: Hac tamen cautione; dum Examinatorum unus quivis Candidatum examinat, ne reliqui interloquantur, ſed per ſilentium auſcultent. Examinatis demum omnibus, quemcunque Gradu illo, quem ambit, dignum invenerint, ei teſtimonium perhibebunt ſinguli ſub hac forma.

Formula Teſtimonii Examinatis perhibendi.

A. B. per vel coram me (die menſis) examinatum (prout Statuta requirunt) in ſingulis Artibus ſeu Scientiis, quas et quatenus per Statuta audiviſſe tenetur, laudabiles progreſſus, et pares ei gradui, quem ambit, feciſſe comperio: Ac ſpeciatim in rebus quotidiani uſus, animi ſui ſenſa lingua Latina explicandi ea Facultate pollere, quam Statuta requirunt.

Ita teſtor. C. D.

§. 3. *De mulctandis Delinquentibus circa Examinationes; et de Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa eaſdem.*

STatutum eſt, quod ſi quem peregre abeſſe contigerit, quando ipſi examinandi vices obvenerint, nec (priuſquam Urbe exceſſerit) e Regentibus quempiam ad Seniorem Procuratorem allegaſſe, qui ipſius abſentis vices, juratus, obire in ſe recipiat; Procurator, quamprimum id reſciverit ab Examinando quocunque (ad quod utique tenentur ſinguli) Juniorem inter Regentes, cui nondum dies ad examinandum aſſignatus fuerit, vice alterius ſubſtituet: Abſenti vero pœnam 40s. ad uſum Univerſitatis irrogabit; ſimulque, quamprimum ad Univerſitatem redierit, ipſum in proximum Examinatorum Ternarium referet. Quod ſi intra ſpatium Anni, quo neceſſaria Regentia terminatur, non redierit; priuſquam

quam ad ulteriorem Gradum admittatur, Regentiæ actum reſumere, et per integrum Annum continuare, tenebitur.

Si quis vero examinandi munus detrectet; aut Juramentum præſtare recuſet; Injuratuſve quempiam examinaverit; aut ad diem conſtitutum in Schola Philoſophiæ Naturalis præſens eſſe neglexerit; Præſenſve non examinaverit, aut non ſecundum formam Statuto præſcriptam; aut demum cuivis Teſtimonium perhibuerit, quem non aut ipſe examinaverit, aut ab aliis examinatum audiverit; Procuratores a quocunque ſic delinquente confeſtim mulctam 40s. in uſum Univerſitatis exigent. Quod ſi in delicto contumaciter perſtiterit; illico Gradu Magiſtrali privetur, et quacunque ulterioris Gradus capacitate ſibi interdictum ſciat.

Si vero (quod abſit) penes Procuratorem ſteterit, quo minus Examinatorum quivis Juramentum præſtet, puniatur pro arbitrio Vice-Cancellarii.

Quo autem Statuta hæc de Examinandis Candidatis in futurum ſancte et inviolabiliter obſerventur, Statutum eſt, quod unoquoque Termino Vice-Cancellarius ſaltem bis, Procuratores vero, ſinguli quater ad minimum, Examinationibus iſtis interſint, exploraturi utrum omnia rite et ſecundum Statuta peragantur.

Porro Statuta hæc (ne forte de ſubito Examinatores ipſos, certe Examinandos, imparatos ad tale Examen ſubeundum deprehendant) Vim ac Vigorem ſuum obtinebunt non ante completos quatuor Annos poſt Promulgationem ipſorum. Interim antiquus examinandi modus obtineat.

§. 4. *De Examinandis Graduum Candidatis in aliis Facultatibus.*

QUoniam (ubi ſemel proviſum eſt, ne qui, præter laudabiliter provectos in ſtudiis Artium, ad Gradus in iis capeſſendos admittantur) minus periculi ſubeſſe videtur, ne indigni et illiterati homines altioribus Facultatibus ſe ingerant, ac in iis Gradus capeſſant; Decretum eſt, quod, qui Gradus in altioribus Facultatibus, poſt ſuſceptos in Artibus Gradus, capeſſunt, ulteriori Examine non indigeant, quam quod apud Deponentes ſuos ſubire eos par eſt; Qui, ſi conſcientias ſuas interrogant, priuſquam Præſentato cuiquam Teſtimonium perhibeant, ſufficiens Examen inſtituiſſe cenſendi ſunt. Eorum igitur Depoſitiones Præſentato unicuique ſufficiant; Teſtimonia, a Profeſſoribus aut aliunde arceſſita, ſupervacua ſunto.

Sectio III.

DE GRATIIS PETENDIS.

§. 1. *Conditiones prævіæ ad petitionem Gratiæ ex parte Supplicis.*

STatutum eſt, primo [1] ne cujuſquam Gratia in Venerabili Domo Congregationis proponatur, niſi qui eo ipſo tempore in Matricula Univerſitatis nomen inſcriptum habeat; et, a tempore Matriculationis ſuæ, Annos ad primum quem ambit Gradum requiſitos compleverit; quique alicujus Collegii vel Aulæ Alumnus cenſeatur.

Deinde requiritur, ut quilibet Candidatus, ſive pro Gradu aliquo ſupplicans, non ſolum ſit probis moribus, et omnia ad Gradum requiſita recte compleverit: verum etiam (ſi Gradum in Artibus capeſſat, vel in Juriſprudentia, ſecundum Statuta quorundam Collegiorum, antequam in Artibus Inceperit) ut ſecundum Statuta debitum Examen ſubierit, et ab Examinatoribus Teſtimonium reportaverit, a Magiſtro Gratiam ipſius proponente, ante Gratiæ petitionem, palam in Domo Congregationis recitandum.

Ac inſuper, ut in Scholæ Theologicæ Proſcholio, ſtatim a ceſſatione pulſationis Campanæ, ſingulis diebus quibus Gratia proponetur, Habitu Gradui competente, et nudato capite, durante toto tempore Congregationum ſe præſentem ſiſtat.

Quodque, inter ſupplicandum, ſuis duntaxat viribus et meritis nitatur; [2] nec prece, nec pretio, nec muneribus aut promiſſis, pacto aut conditione, gratiam aut favorem cujuſquam captet; nec Magnatum literis, ut quicquam ſibi pro Forma requiſitum condonetur aut indulgeatur, ſatagat; cujuſmodi ambitus ſi convictus fuerit, eo ipſo inhabilis ad omnem ulteriorem Gradum Scholaſticum habeatur.

1 KK. 308. b. 2 A. 86. a. et 105. b. B. 58. a. C. 64.

§. 2.

§. 2. *Conditiones poponendi Gratias.*

STatutum eſt, [1] quod nemo Magiſtrorum Gratiam vel Diſpenſationem quamcunque cujuſquam pro Gradu ſupplicantis proponat, niſi fuerit ejuſdem Collegii vel Aulæ, cujus is eſt qui ſupplicat; præterquam Procuratorum alter, vel alius, cui Vice-Cancellarius licentiam proponendi conceſſerit.

Quodque, priuſquam Gratiam cujuſquam Examinandi proponat, Teſtimonium Examinatorum de Candidato ſuo palam in Domo Congregationis recitabit: Quod ſi non Commorans fuerit, qui Gradum in aliqua e ſuperioribus Facultatibus ambit; nemo Gratiam hujuſmodi, ſub pœna perjurii, proponere præſumat; niſi prius Literas Teſtimoniales ab Epiſcopo Diœceſeos, ubi degit Candidatus, ſignatas, de conformitate ipſius tum quoad Doctrinam, tum quoad Diſciplinam in Eccleſia Anglicana receptam, palam in Domo Congregationis recitaverit. Ac poſtmodo e Schedula quadam, formam ſive tenorem Gratiæ continente, Supplicantis nomen, necnon Collegii ſive Aulæ, unde fuerit, exprimet. Et ſi non Graduatus fuerit, cujus Gratia proponitur, Quod per integrum tempus ad talem Gradum per Statuta requiſitum in eo Collegio vel Aula, (vel alio quopiam) non in Domo privata cujuſpiam, victitaverit, et hoſpitatus fuerit.

[2] Item quod plures Gratiæ ſimul ſeu confuſe eodem tempore non proponantur: ſed uniuſcujuſque Perſonæ ſupplicantis Nomen et Prænomen diſtincte ac diviſim recitentur.

Item quod eadem Gratia ſæpius in eadem Congregatione non proponatur.

Item [3] quod Gratia ſit vera, hoc eſt, vera intentione, et non animo deludendi prolata vel petita. Et quod proximis quibuſque et immediate ſequentibus Congregationibus Supplicationem ſub eadem forma continuet, donec Gratia conceſſa vel denegata penitus fuerit. Et poſtremo, [4] quod in ſingulis Congregationibus quota vice, prima, ſecunda, tertia, quartave ſupplicetur, publice recenſeat.

1 KK. 308. b. 2 C. 108. a. 3 KK. 197. b.
4 KK. 308. b.

§. 3. *Formula generalis petendi Gratias.*

COnſuetudo etiam eſt, quod Magiſter, pro alicujus Gratia vel Diſpenſatione ſupplicans, in medium prodeat; et facta debita coram Cancellario et Procuratoribus reverentia, Petitionem ſuam e Schedula recitet; inque eodem loco ſtans permaneat, quoad quid de Petitione ſua factum fuerit intelligat: Recitata autem ſive propoſita Supplicatione, Procuratores, a Sellis exurgentes, primo Cancellarii votum conjunctim perſcrutentur, quo ſecreto in eorum aures, vel per aliquod ſignum externum, depoſito, mox a ſe invicem diviſi, ad alios Doctores (ſi qui adfuerint) utrinque Cancellario aſſidentes, ſe conferant, eorum itidem ſuffragia excepturi; Et deinceps, aliorum Magiſtrorum, ad utramque Domus partem conſidentium, vota ſingulatim et accurate exquirent. Quibus peractis, Procuratores ad loca ſua revertantur, ubi ſtantes de ſcrutinio hujuſmodi inter ſe diligenter conferant; et pro numero ſive ratione ſuffragiorum, in verbo *placet*, vel *non placet*, per eoſdem exceptorum, ex Supplicantis Schedula eandem Gratiam ſive Diſpenſationem Procuratorum alter verbatim, ſi conceſſa fuerit, recitet, vel non conceſſam ante quartam vicem ſilentio tantum indicet; quarta autem vice, ſi non conceſſa fuerit, palam pronuncietur negata. Magiſter autem Supplicans ad locum ſuum, unde prius prodierat, ſe recipiat.

§. 4. *Formulæ ſpeciales Gratiarum ad ſingulos Gradus pertinentium.*

Pro Baccalaureo in Artibus.

SUpplicat Venerabili Congregationi Doctorum et Magiſtrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo, non in Domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requiſitum, ipſum cubile et victum continuo ſumpſiſſe ſcio (vel, ſi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, In quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) [1] quatenus XVI Terminos in ſtudio Dialecticæ et ali-

1 Tit. 6. Sect. 1. §. 1. 2.

rum

rum Artium juxta Statuta poſuerit; publicos Artium Prælectores diligenter audiverit; Diſputationes per Statuta requiſitas frequentaverit: ſemel Generalis creatus fuerit: bis ſub Baccalaureo in Quadrageſima reſponderit, et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta Univerſitatis requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Logices Ariſtotelis, et inſuper earum Artium, quas et quatenus, per Statuta, tenetur audiviſſe.

Si plures fuerint; tunc, Supplicant ſub eadem Forma, primo vel ſecundo, *&c.* B. C. *&c.*

Si ſit filius Baronis, in ſuperiori Parliamenti Domo ſuffragii jus habentis; aut Baronetti, vel Equitis Aurati filius natu maximus, &c. Supplicat &c. A. B. filius &c. Scholaris Facultatis Artium &c. e Collegio C. &c. quatenus duodecim Terminos in ſtudio, &c. ut ſupra.

Si quis ſuper aliquo diſpenſabili per domum Congregationis Diſpenſationem obtinuerit, Supplicat, &c. ut ſupra. Et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Univerſitatis requiruntur, niſi quatenus cum eo diſpenſatum fuerit, &c.

Pro Gradu Inceptoris in Artibus.

Supplicat &c. A. B. Baccalaureus Facultatis Artium ex Aula A. [1] quatenus XII Terminos in ſtudio Philoſophiæ et aliarum Artium juxta Statuta poſuerit, publicos Lectores diligenter audiverit, Diſputationes per Statuta requiſitas frequentaverit; in Quadrageſima determinaverit; in Quodlibeticis reſponderit; in Auguſtinenſibus reſponderit, vel oppoſuerit; ſex ſolennes Lectiones, et binas Declamationes pro Forma habuerit: reliquaque compleverit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Muſica.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Muſica, e Collegio L. [2] quatenus VII annos in Studio vel Praxi Muſices poſuerit, et unum Canticum V partium in Schola Muſices ediderit; et reliqua præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus cum eo diſpenſa-

1 Tit. 6. Sect. 2. §. 1. 2. 2 Tit. 6. Sect. 3. §. 1. 2.

tum

tum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Boethii.

Pro Gradu Inceptoris in Muſica.

Supplicat, A. B. Baccalaureus Muſicæ, [1] quatenus, a tempore ſuſcepti Gradus Baccalaureatus ſui, v annos in ſtudio vel praxi Muſices poſuerit; unum Canticum VI vel VIII partium in Schola Muſices ediderit; et cætera præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus cum eo diſpenſatum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat, A. B .Magiſter Facultatis Artium, e Collegio M. &c. [2] quatenus tres annos a ſuſcepto Magiſterii Gradu in ſtudio Medicinæ poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Medicinæ pro Forma Reſponderit, et Oppoſuerit; et reliqua omnia præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus ſecum diſpenſatum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Aphoriſmorum Hippocratis.

Pro Gradu Inceptoris in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus e Collegio N. [3] quatenus poſt ſuſceptum Gradum Baccalaurei in Medicina, IV Annos in ſtudio Medicinæ poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit, Prælectiones in Schola Medicinæ pro Forma habuerit; et reliqua omnia præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus &c.) ut hæc ſibi ſufficiant ad Incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis.

Supplicat, &c. A. B. Magiſter Facultatis Artium, e Collegio O. [4] quatenus tres annos, a tempore Admiſſionis ſuæ ad Regendum, in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Profeſſorem diligenter

1 Tit. 6. Sect. 3. §. 3. 4. 2 Tit. 6. Sect. 5. §. 1. 2. 3 Tit. 6. Sect. 5. §. 3. 4. 4 Tit. 6. Sect. 4. §. 1. 2.

audi-

audiverit; in Schola Juriſprudentiæ pro Forma ſemel Reſponderit, et bis Oppoſuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet Libri Inſtitutionum Imperialium.

Si non Inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii ſui Juris ſtudio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris ex Aula A. in qua, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili, per Statuta requiſitum, ipſum cubile et victum continuo ſumpſiſſe ſcio; [vel, ſi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, In qua partim, partim in Collegio vel Aula A.] [1] quatenus, poſt quadriennium poſitum in ſtudio Dialecticæ, Moralis Philoſophiæ, et Politicæ, aliarumque humaniorum Literarum, et in audiendis Lecturis ſibi per Statuta Univerſitatis deſtinatis, quinque annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; &c. ut ſupra.

Si non Inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii ſui, ſtatim a primo ad Academiam adventu, Juris ſtudio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio N. [2] quatenus Lecturas ſibi per Statuta Univerſitatis deſtinatas diligenter audiverit; quinque annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Profeſſorem &c. ut ſupra.

Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio M. [3] quatenus, a ſuſcepto Baccalaureatus Gradu, quatuor annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; Lectiones pro Forma in Schola Juriſprudentiæ habuerit; reliquaque præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

1 Tit. 6. Sect. 4. §. 1. 2 Tit. 4. Sect. 1. §. 11. et Tit. 6. Sect. 4. §. 1.
3 Tit. 6. S. 4. §. 3. 4.

Si non Inceperit in Artibus, priuſquam Baccalaureus in Jure foret.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio N. [1] quatenus &c. quinque annos in ſtudio Juris Civilis, &c.

Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Magiſter Facultatis Artium e Collegio T. [2] quatenus ſeptem annos a tempore Admiſſionis ſuæ ad Regendum in ſtudio S. Theologiæ poſuerit; publicum Profeſſorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro Forma ſemel Reſponderit et bis Oppoſuerit; Concionem Latinam pro Forma habuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem alicujus Epiſtolarum Divi Pauli.

Pro Gradu Inceptoris in Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Sacræ Theologiæ Baccalaureus e Collegio E. [3] quatenus, a ſuſcepto Baccalaureatus Gradu in S. Theologia, quatuor annos integros in eadem Facultate poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro Forma ſex ſolennes Lectiones, vel tres ad minimum Curſorias, habuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Si in aliqua Facultate quis Gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupit.

Supplicat, &c. A. B. quatenus — annos in ſtudio — poſuerit; pro Gradibus cumulandis, ſecum per Venerabilem Domum Convocationis diſpenſatum fuerit; Gratiam ad Lectiones pro Forma habendas in hac Venerabili Domo adeptus ſit; pro Forma in Schola — legerit; cæteraque omnia compleverit, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo — &c.

1 Tit. 6. Sect. 4. §. 3.
2 Tit. 6. Sect. 6. §. 1. 2.
3 Tit. 6. Sect. 6. §. 3. 4.

§. 5.

§. 5. *De Gratiis ſimpliciter concedendis vel negandis.*

QUoniam factioſi homines nonnunquam, ſpreta Jurisjurandi Religione, conjurant inter ſe adverſus Supplicantes, quos Vitæ ac Eruditionis merita commendant; nec iis Gratias concedere volunt, niſi indignis etiam eadem Gratia fiat; Statutum [1] eſt, quod quilibet Regens, Gratiam conceſſurus vel negaturus, abſque comparatione vel relatione Gratiæ ad Gratiam, et abſque aliqua conditione interpoſita, ſimpliciter et abſolute, eandem vel concedat, vel deneget: Quodque ſiquis ſecus fecerit, illius votum vel ſuffragium pro nullo habeatur.

Si quis autem pro Gratia concedenda munus aliquod exegiſſe, vel recepiſſe, (mediate vel immediate) convictus fuerit, a Domo Congregationis perpetuo ſit excluſus: et duplum illius, quod ſic receperit vel exegerit, ad uſum Univerſitatis ſolvere teneatur.

§. 6. *De ſuffragiis, in concedendis vel negandis Gratiis, non revelandis.*

STatutum eſt, [2] quod Magiſter quilibet in Gratia concedenda, vel denegenda, ſuffragium ſuum Procuratoris auri inſuſurrabit, ita ut alius nemo exaudiat; Quodque nec verbo, nutu vel ſigno, quo illius propoſitum aliis innoteſcat, indicium faciat; nec cuiquam antea vel poſtea denunciet, ſub pœna, ſi ſecus fecerit, excluſionis perpetuæ a Domo Congregationis.

Quodque Procuratores neminem, qui Gratiam conceſſerit vel denegaverit, quoquo modo revelare virtute Juramenti teneantur.

§. 7. *De cauſa Gratiæ ter negatæ oſtendenda, ſtatim poſt tertiam Congregationem finitam.*

CUM vetera [3] Statuta ſingulis Magiſtris Regentibus eam concedant libertatem, ut quivis, ſi modo velit, pro arbitrio ſuo, ter cujuſquam Gratiam, ſuſpendendo, denegare poſſit: Ordinatum eſt, quod, quotieſcunque Gratia aliqua, tertio petita, vel ab uno vel a pluribus denegabitur, denegationis cauſa Vice-Cancella-

1 A. 62. b. B. 58. b. C. 27. a. D. 23. b. 2 B. 59. a. C. 63. b.
3 L. 236. b.

rio et Procuratoribus eodem die oſtendetur; et probationes coram eiſdem ſummarie proferentur; Quæ cauſa, et probatio ejuſdem, celato nomine objicientis, in proxima Congregatione publicabitur; et, ſi Vice-Cancellario, Procuratoribus, et majori parti Regentium juſta videbitur, tum Gratia denegata cenſebitur; et qui ſupplicavit, per Annum integrum ad denuo ſupplicandum inhabilis reddetur.

Quod ſi cauſa allegata minus juſta aut probabilis videatur, Gratia quarto propoſita pro conceſſa habeatur, niſi Cancellario, aut Procuratoribus, aut majori parti Regentium videbitur, aliam ob cauſam, deneganda.

§. 8. *Formula pronuntiandi Gratias conceſſas.*

STatutum eſt, quod, [1] prout antiquitus fieri conſuevit, cum alicujus Gratia conceſſa fuerit, Schedula, ex qua petebatur, in manus alterius Procuratoris (cui Gratiam conceſſam pronuntiare incumbit) ab eo qui petiit tradita, Procurator loco ſuo ſtans, juxta Schedulæ tenorem, de verbo ad verbum, et juxta uniuſcujuſque Perſonæ (ſi plures fuerint) ſupplicationem, Gratiam recitet, in hanc formam, *Gratia petita eſt iſta*; *Supplicat*, *&c.* deinde Gratiam conceſſam ſub hac forma pronuntiet: *Hæc Gratia conceſſa eſt ſimpliciter, et ſic pronuntiamus conceſſam.*

Quod ſi ſit pro Baccalaureo in Artibus, *Pronuntiamus conceſſam, modo Determinaverit proxima Quadrageſima*; Niſi, ex ſpeciali aliqua ratione, Gratiam conceſſam ſimpliciter Procuratori pronuntiare videbitur.

Si ſit Gratia Inceptoris in qualibet Facultate, *Pronuntiamus conceſſam, modo ſteterit in proximis Comitiis.*

Si fuerit Gratia Inceptoris in Muſica, *Pronuntiamus conceſſam, modo ſteterit in proximis Comitiis, et unum Canticum* VI *vel* VIII *partium, in iiſdem Comitiis exhibuerit.*

Si ſit Gratia licentiandi ad Praxin Chirurgiæ, *Pronunciamus conceſſam, modo quatuor ſaltem pauperes gratis et intuitu Caritatis curet, cum ad hoc ab iis fuerit requiſitus.* [1]

1 B. 58. b. C. 63. b.

SECTIO IV.

DE DISPENSATIONIBUS.

§. 1. *De Diſpenſationibus in Venerabili Domo Congregationis proponendis. Formula ſupplicandi.*

CUM juſta quandoque impedimenta interveniant, quo minus ea omnia, quæ ad Gradus et alia Exercitia Univerſitatis requiruntur, modo et forma per Statuta requiſitis, rite peragantur; conſuevit Congregatio Regentium in hujuſmodi cauſis cum perſonis aliquibus in materia diſpenſabili aliquoties gratioſe diſpenſare.

Formula ſupplicandi hæc eſt; Magiſter, qui e Schedula Diſpenſationem petit, (impetrata prius a Vice-Cancellario et Procuratoribus licentia) nomen Supplicantis, ejuſque conditionem, et Collegia vel Aulam ubi commoratur, et id, in quo ſecum diſpenſari cupit, cum una ſpeciali cauſa, exprimet ſub hac vel conſimili forma. *Supplicat, &c. Scholaris Facultatis Artium, e Collegio N. ut gratioſe ſecum diſpenſetur, &c. cauſa eſt, quod, &c.* Cui Petitioni ſi Dominus Vice-Cancellarius, ambo Procuratores, et major pars Regentium tunc præſentium, conſenſum ſuum adhibuerint, pro conceſſa habeatur. Et tum, eodem modo quo gratias conceſſas pronuntiare ſolet, Diſpenſationem conceſſam pronuntiabit Procurator.

§. 2. *De Materia Diſpenſabili, in qua Congregationi Diſpenſare permiſſum eſt.*

MAteria in qua Venerabilis Domus Congregationis diſpenſare poteſt, et ſolet, hujuſmodi eſt.

1. Pro abſentia Terminorum duorum, ſi Gradum Baccalaurei in Artibus ambiat quis; trium, ſi Gradum Magiſtralem.
2. Pro ingreſſu in Bibliothecam publicam.

3. Ut Termini, in alia Academia in ſtudio poſiti, pro poſitis in hac Academia habeantur.
4. Pro minus diligenti publicorum Lectorum auditione.
5. Pro Omiſſione Circuitus et Viſitationis. Hac tamen cautione ſervata, quoad præſentandos ad incipiendum in Artibus, quod Diſpenſatione inſerenda ſit clauſula hujuſmodi: *Quatenus Cautionem, tempore Circuitus penes Vice-Cancellarium deponendam, jamdudum penes ipſum depoſuerit.*
6. Quod Circuitus, pridie ante Terminum inchoatum peractus, ſufficiat.
7. Pro Gratia per Magiſtrum alterius Domus proponenda, ſi nullus ſit Magiſter in ipſa Domo unde Supplicans eſt.
8. Ut Gratia rata ſit, licet intra tres Congregationes regiſtrata non fuerit.
9. Ut Gratia, ſuperiori Anno conceſſa, rata habeatur.
10. Quod [1] liceat ſecundam vicem ſub Baccalaureo in Quadrageſima Reſpondendi in alteram vicem Reſpondendi in Parviſiis commutare.
11. Ut Gratia conceſſa Baccalaureo, modo Determinaverit in proxima Quadrageſima, rata ſit, et pro ſimpliciter pronunciata habeatur.
12. Ut, elapſo Feſto Ovorum, Baccalaureus ſecundo præſentetur ad Determinandum eadem Quadrageſima, in cauſa ægritudinis, vel extremæ alicujus neceſſitatis. [2] Ut Baccalaureus, qui præterita Quadrageſima Determinare debuerit, ægritudinis, vel extremæ alicujus neceſſitatis interventu impeditus, Determinet proxime ſequenti Quadrageſima.
13. Ut Diſputationes Antemeridianæ Baccalaureorum in Quadrageſima, ad horam Duodecimam continuandæ, hora Undecima terminentur.
14. Quatenus ſub Chirographis Magiſtrorum, qui intra duas Hebdomadas ſequentes in Quodlibeticis pro Termino diſputaturi ſunt, iis omnibus de Baccalaureis pro Forma Reſponſuris proſpectum eſſe conſtat, ut liceat ſibi quovis die diſputabili inſtantis vel ſequentis Hebdomadis ſub quolibet Magiſtro, hora et loco conſuetis, in Quodlibeticis Reſpondere.
15. Quatenus, ſub Chirographo Magiſtri Scholarum, ſingulos dies hiſce Diſputationibus aſſignatos, ad finem uſque Termini, ab aliis

1 Tit. VI. Sect. 1. §. 2. 2 Tit. VI. Sect. 2. §. 3.

pro

pro Forma Reſponſuris jamdudum præoccupatos eſſe conſtat, ut liceat ſibi alio quovis die (poſt interpoſitos VII dies a tempore petitæ Diſpenſationis) hora et loco conſuetis, ſub præſidio Magiſtri Scholarum (non aliter) in Auguſtinenſibus Reſpondere vel Opponere; publicatis ante triduum Quæſtionibus, et præeunte parvæ Campanæ pulſatione.

16. Ut præſentandus ad Doctoratum in Jure Civili, vel Medicina, (in defectu Doctorum) Seniorum Baccalaureorum vel Inceptorum depoſitionibus utatur.

17. Ut Magiſter Cumulatus, pro Habitu coccineo, nigro et ſolito, poſt peracta præſentationis ſolennia, uti poſſit.

18. Ut Doctores Ocreas, et Magiſtri Crepidas et Socculos, quibus ex antiquo ritu uti tenentur, exuant.

19. Ut Cantabrigienſes, vel alterius Academiæ Studioſi, eodem ſint Gradu et ſtatu apud nos, quo apud ſuos ſunt.

20. Ut Terminus prorogetur.

21. Pro neceſſaria Regentia.

22. Quatenus Præſentandus (ad practicandum in Medicina vel Chirurgia) ſecundum Statuta Teſtimonium non affert, nec fidem facit, quod interfuerit uni ſaltem integræ Diſſectioni Anatomicæ, unique integræ Lectioni de Sceleto, ut gratioſe ſecum diſpenſetur pro hujuſmodi iſtius Omiſſione.[1]

23. [2] Ut (cum Baccalaureo in Artibus) gratioſe diſpenſetur, quod Nomen ſuum ad Declamandi vices obeundas apud Procuratorem profiteri neglexerit.

Denique ſi quæ alia cauſa ſit his conſimilis; vel in qua, ſpeciali aliquo Statuto, Venerabili Domui Congregationis Diſpenſandi poteſtas indulgeatur.

1 Stat. Tit. IV. Sect. I. §. 15. 2 Tit. VI. Sect. 2. §. 14.

Sectio V.

DE PRÆSENTATIONIBUS GRADUANDORUM.

§. 1. *De Circuitione et Viſitatione, a Præſentandis obeunda.*

STatutum eſt, quod, pro more antiquo, poſtquam Gratia conceſſa fuerit, quilibet Præſentandus, (impetrata prius per eundem venia a Domino Vice-Cancellario, ut habeatur Congregatio) Præſentatorem ſuum Habitu Gradui competente indutum ſequens, ipſe etiam Habitu congruo, et nudato capite incedens, præeuntibus Bedellis vel eorum aliquo, primo Vice-Cancellarium, deinde Procuratorem Seniorem, poſtea Juniorem, ante occaſum Solis, in Hoſpitiis ſuis adeat. Quem, ſi inveniri poſſit, Præſentator ſic alloquatur:

Supplicamus Dominationi veſtræ, quatenus præeſſe dignetur craſtinæ Congregationi, ut Scholaris vel Baccalaureus meus ad Gradum ſuum præſentetur.

Deinde ſi quis ipſorum ad Incipiendum in Artibus præſentandus fuerit, deponet penes Vice-Cancellarium pecuniariam cautionem 40s, vel (ſi tenuioris conditionis fuerit) fidejuſſoriam, (duobus interpoſitis Sponſoribus, qui alicujus Collegii Socii ſint,) quod proximis Comitiis Incipiet; et, ſtatim poſt Comitia, ad Regentiam admittendum ſe curabit: In quorum alterutro ſi defecerit, Cautio protinus cedat Fiſco Univerſitatis; Sin vero Inceperit, et ad Regendum admiſſus fuerit, Cautionem uſque penes ſe retineat Vice-Cancellarius, quoad Annus neceſſariæ Regentiæ completus fuerit; ſi quam ratione Inceptionis aut Regentiæ mulctam incurrerit, inde ſubtrahere ut liceat; deinde in fine Anni reſiduum reſtituatur. Quicunque autem ex iis ad Gradum Baccalaurei in Artibus præſentandi ſunt, obligentur itidem Cautione ſive pecuniaria ſive fidejuſſoria (ut prædicitur) ejuſdem Valoris 40s, penes Vice-Cancellarium depoſita, ad ſiſtendum ſe in Feſto Ovorum ineunte proxima Quadrageſima.

Procu-

Procuratores vero, ſic: *Supplicamus reverentiis veſtris, ut craſtinæ Congregationi intereſſe dignemini, &c.* Quibus annuentibus, recedet.

Si vero Præſentandus cumulatus fuerit, præeuntibus Stationario, i. e. Virgifero Univerſitatis, Bedellis omnibus, et Proto-Bibliothecario (vice Capellani Univerſitatis) adibit primo Procuratorem Juniorem; deinde, cum illo, Procuratorem Seniorem; et poſt, cum utroque Procuratore, Vice-Cancellarium; ſinguliſque ut Congregationi interſint rogatis, a Vice-Cancellario et Procuratoribus Domum deducetur.

Inſuper in Artibus Baccalaureus qui Gradum Magiſtralem ambit, antequam præſentetur, Habitu Gradui competente indutus, nudato capite per ſingula Collegia et Aulas circumeundo, Magiſtros (non infra triennes, nec ſupra ſeptennes) inquirere teneatur; iiſque, quos invenerit, [1] ſub hac forma ſupplicare, *Magiſter, ſubmitto me tuis oppoſitionibus, quatenus digneris intereſſe meis depoſitionibus.*

Quod ſi Magiſtrorum quivis (habito examine) Præſentandum quemvis, quoad Eruditionem, Gradui ſuo imparem deprehenderit, eoque nomine eum ad Vice-Cancellarium vel Procuratores detulerit, oportebit Vice-Cancellarium vel Procuratores Præſentationem ipſius tantiſper morari, donec (habito publico examine in Domo Congregationis) ulterius diſpiciatur, utrum dignus ſit Gradu quem ambit, necne. Alioqui non licebit Vice-Cancellario aut Procuratoribus, ex privata cujuſvis ſuggeſtione aut interpellatione, cujuſquam Præſentationem aut Admiſſionem impedire; niſi quid de novo admiſerit poſt Gratiam impetratam; aliquidve feciſſe manifeſto probetur, quod repulſam mereatur, quodque prius latebat.

§. 2. *De ſolenni proceſſu Præſentandorum ad Domum Congregationis.*

IN die Præſentationis, ſtatim a pulſatione magnæ Campanæ, Præſentandus vel Præſentandi, ſi plures Candidati fuerint, nudis capitibus, Juniore reliquis præcedente, omnes præeunte Viatore ſive Bedello, ſequente Præſentatore et Collegii ſive Aulæ Præfecto una cum Sociis vel Commenſalibus univerſis, Habitibus Gradibus ſuis competentibus indutis, a Domo ſua ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum ſolenniter deducentur.

1 A. 86. b.

Et ſi Cumulator fuerit, Vice-Cancellarius et Procuratores cum Proto-Bibliothecario, omnibuſque Bedellis et Stationario Univerſitatis, comitabuntur.

Conſuetudo autem eſt, quod Doctorem vel Baccalaureum, in Medicina præſentandum, omnes Medicinæ Doctores, Baccalaurei, et quotquot huic Profeſſioni nomina dederunt, in Univerſitate præſentes, a domo ſua ubicunque infra Univerſitatis præcinctum fuerit, una cum Bedello Facultatis ſuæ, ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum ſolenniter deducant, et eo nomine Chirothecas ſinguli a Præſentando recipiant.

§. 3. *De Subſcriptione ante Præſentationem exigenda.*

CUM Præſentandus vel Præſentandi ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum devenerint, eorum quilibet [1]Articulis Fidei et Religionis in Synodo Londini Anno Dom. 1562. editis et confirmatis (lectis prius, vel alio recitante, auditis in præſentia Præſentatoris ſui) [2] necnon tribus Articulis in xxxvi° Canone comprehenſis (lectis prius ibidem, et publice, coram Præſentatore, in præſentia Procuratorum) ſubſcribet; qui quidem tres Articuli deſcripti ſunt Canone xxxvi° Libri Conſtitutionum et Canonum Eccleſiaſticorum, in Synodo Londini cœpta Anno Dom. 1603.

§. 4. *De Conſuetudine quæ vocatur, Nemo ſcit, ante Præſentationem Inceptoris in Jure Civili.*

CONſuetudo eſt, [3] quod præſentandi ad Incipiendum in Jure Civili, ſtatim a ſubſcriptione, ab Apodyterio ad Scholam Juri Civili deſtinatam, cum Præſentatore et Deponentibus, præeunte Bedello, tranſeant; ibique ſeorſim ſinguli crumenam nummis refertam deponant.

Deinde Profeſſore exigente, juramentum præſtent, unuſquiſque, crumenam ſuam ultra ſummam ſex librarum et tredecim ſolidorum et quatuor denariorum (partim ex auro, partim ex argento) continere, ſeque juſtam totius ſummæ quantitatem ignorare; quodque ſi quid de cumulo dematur, nec querentur, nec de eo verba facient.

1 B. 110. b. 2 N. 41.
3 B. 102. b. Ma. 26. a. 27. a. et 19. b.

Deinde

Deinde effuſa pecunia, Profeſſor ac Deponentes (libata pro arbitrio ſumma) quod reliquum eſt, in crumenam repoſitum, cuique Præſentando in manus tradent; mox ad Domum Congregationis procedent.

§. 5. *Ceremoniæ, ſive Ritus Præſentationum.*

PEracta Subſcriptione, et Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magiſtris Regentibus in Domo Congregationis conſidentibus, Præſentatores cujuſque Facultatis *(ſecundum Dignitatem Facultatis,* ubi fit Præſentatio ad eundem Gradum in diverſis Facultatibus, ſi unus e Præſentandis fuerit Theologus; alioqui, ſecundum Senioritatem Præſentatoris: ubi vero Præſentatio fit ad diverſos Gradus; *ſecundum Dignitatem Gradus:* et in eadem Facultate et Gradu, *ſecundum Senioritatem Præſentatorum)* ad præſentandum procedant. Et quiſque (Bedello præeunte, et Candidatis ſive Præſentandis, prout ſeniores fuerint, proxime ſequentibus) Domum Congregationis conſcendet; et cum debita reverentia ad ſuperiorem partem Domus procedens, Præſentandos a dextero latere ſiſtet; deinde Præſentandi cujuſque, prout ordine ſiſtitur, manum dexteram prehendens, coram Vice-Cancellario producet; et ea, qua par eſt, reverentia, ſub peculiari Formula, Vice-Cancellario et Procuratoribus præſentabit.

§. 6. *Peculiares Formulæ præſentandi ad ſingulos Gradus.*

Ad Baccalaureatum in Artibus.

INſigniſſime Vice-Cancellarie, voſque Egregii Procuratores, præſento vobis hunc meum Scholarem in Facultate Artium, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Logices Ariſtotelis, et earum inſuper Artium, quas et quatenus per Statuta tenetur audiviſſe: Ad quam Admiſſionem, ſcio eum aptum, habilem, et idoneum, moribus et ſcientia; necnon in præſentia mea legiſſe (vel lectos audiviſſe) Articulos Fidei et Religionis, quibus modo ſubſcripſit coram Procuratoribus; ac ſpeciatim tres Articulos in Canone xxxvi° comprehenſos; fide mea data huic Univerſitati.

Ad Determinandum.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc meum Baccalaureum Facultatis Artium, ut admittatur ad Determinandum hac proxima Quadrageſima: ad quam quidem Determinationem ſcio eum habilem, aptum, et idoneum, moribus et ſcientia, fide mea data huic Univerſitati.

Ad Incipiendum in Artibus.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Facultate Artium, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate: ad quam Admiſſionem, &c.

Ad Baccalaureatum in Muſica.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Scholarem in Facultate Muſicæ, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Boethii; ad quam Admiſſionem eum aptum, habilem, et idoneum eſſe, ſub Chirographis hominum in Arte Muſica peritiſſimorum abunde teſtatum accepiſtis.

Ad Incipiendum in Muſica.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Facultate Muſicæ, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate: ad quam Admiſſionem, &c.

Ad Baccalaureatum in Medicina.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Medicina, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Aphoriſmorum Hippocratis: ad quam, &c.

Ad Incipiendum in Medicina.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Medicina, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate, &c.

Ad

Ad Baccalaureatum Juris Civilis.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Jure Civili, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet Libri Inſtitutionum Imperialium, &c.

Ad Incipiendum in Jure Civili.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Jure Civili, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate, &c.

Ad Baccalaureatum in S. Theologia.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Sacra Theologia, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet Epiſtolarum Beati Pauli, &c.

Ad Incipiendum in S. Theologia.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in S. Theologia, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate, &c.

Deinde peracta hujuſmodi Præſentationis Formula, quilibet Præſentatus, prout præſentatur, ad alteram partem Domus Congregationis tranſibit: ſinguliſque ſic præſentatis, Procurator Senior eorum ſubſcriptionem Articulis Fidei et Religionis ſic teſtabitur; Nos Procuratores teſtamur A. B. C. D. T. omnibus Articulis Fidei et Religionis in hoc libro contentis (necnon tribus Articulis in XXXVI° Canone comprehenſis, prius in præſentia noſtra lectis) ſubſcripſiſſe.

§. 7. *De Depoſitionibus pro Præſentandis.*

PRæter Teſtimonium, quod a Præſentatore perhibetur Præſentandis in qualibet Facultate, [1] requiruntur Depoſitiones aliorum de eadem Facultate, qui in eodem ſunt Gradu, ad quem Præſentati promovendi ſunt.

1 A. 86. b. B. 48. b. C. 22. b. D. 58. a.

Nimirum

Nimirum præſentando ad Gradum Baccalaurei in Artibus, Depoſitiones novem Baccalaureorum in Artibus, qui Determinationem Quadrageſimalem compleverunt; qui in Apodyterio Domui Congregationis vicino, ipſo die Præſentationis (antequam Vice-Cancellarius et Procuratores Domum Congregationis ingrediantur) coram Procuratoribus in genua procidentes, idem Juramentum præſtabunt, quod ab aliis Deponentibus exigitur. Quod ſi novem Baccalaurei de certa ſcientia depoſuerint, Præſentandum aptum eſſe et idoneum moribus et ſcientia, procedatur ad ipſius admiſſionem: ſin minus, differatur in annum.

Pro præſentato ad Incipiendum in Artibus; Depoſitiones novem Magiſtrorum in Artibus, quorum oppoſitionibus Præſentatus ſe ſubmiſit.

Pro præſentato ad Baccalaureatum in Jure Civili; trium Baccalaureorum in eadem Facultate: qui, ſi in Artibus haud Inceperint, in Apodyterio Domui Congregationis vicino (antequam Vice-Cancellarius et Procuratores in Domum Congregationis aſcendant) deponent, adinſtar Deponentium in aliis Facultatibus in Domo Congregationis. Quia Baccalaureis in Jure Civili (niſi rexerint in Artibus) Domum Congregationis intrare non liceat ad deponendum pro aliquo; multo minus ad præſentandum quempiam.

Pro præſentato ad Baccalaureatum in Medicina; trium Baccalaureorum in eadem Facultate: vel in defectu ipſorum, trium Magiſtrorum qui Medicinæ ſtudioſi ſint.

Pro præſentato ad Baccalaureatum in Sacra Theologia; trium Baccalaureorum in Sacra Theologia.

Pro præſentato ad Incipiendum in Muſica, Medicina, Juriſprudentia, et S. Theologia; trium Doctorum in qualibet iſtarum Facultatum: et, ſi deſint Doctores in Muſica, Medicina, Juriſprudentia, vel S. Theologia, tunc (ex permiſſu Congregationis) pro Inceptore in Muſica, trium Magiſtrorum in Artibus; pro Inceptore in Juriſprudentia, Medicina, vel S. Theologia, trium Baccalaureorum in iiſdem Facultatibus: Qui, in Juriſprudentia, etiam in Artibus Magiſtri ſint, ſi tales obtineri poſſint; in Medicina vero (ſi deſint Baccalaurei) eorum vice totidem Magiſtri in Artibus Medicinæ Studioſi.

Hi Deponentes, a Bedello Facultatis admoniti, et, ſi opus fuerit, nominatim vocati, ſigillatim coram Vice-Cancellario inter Procuratores, in genua decumbentes, ſubmiſſa voce, ne quis præterea exaudiat, hac juramenti formula onerabuntur.

" (Domine

"(Domine Doctor, Magiſter, vel Domine) tu dices fide tua data huic Univerſitati, utrum ſcias, credas, vel neſcias, hunc, vel hos Præſentatos, aptum vel aptos et idoneos eſſe Moribus et Scientia, ad eum Gradum ad quem præſentantur, ſub Forma qua præſentantur." Cui quilibet ſecreto reſpondebit per verbum, *Scio*, *Neſcio*, vel *Credo*. Et quid quiſque de unoquoque reſpondeat, Procuratores in Schedulis adnotabunt, donec pro ſingulis Præſentatis juſtus numerus ſupradictus, eorum qui de ſcientia depoſuerint, adimpleatur.

Peractis Depoſitionibus, Procuratores (Sellas ſuas aliis Magiſtris relinquentes) ſeorſim coram Vice-Cancellario itidem in genua decumbentes, hujuſmodi Sacramento obſtringentur; *Magiſter, tu jurabis te fideliter in hoc ſcrutinio egiſſe.*

Et ſi ex relatione Procuratorum, per juſtum numerum de ſcientia Deponentium, idonei reperti fuerint, ad eorundem Admiſſionem procedetur: ſin minus, in alterum annum differentur.

Tenentur etiam, cum Vice-Cancellarius et Procuratores, tum ipſi Deponentes, nec iis, pro quibus deponitur, nec aliis, quoquo modo quid quiſpiam depoſuerit revelare; ſub pœna 10s. toties quoties.

SECTIO VI.

DE JURAMENTIS PRÆSENTANDORUM.

§. 1. *Statuta, in quæ ſingulos Præſentatos Jurejurando adiget Junior Procurator. Et Admonitio de Habitu Gradui competente.*

POST Depoſitiones finitas, vel (ubi Depoſitiones fiunt extra Domum Congregationis) poſt abſolutam Præſentationem, Procurator Junior a Seniore inter Præſentatos ad genua ſua accidente, reliquis circumſtantibus audientibuſque, Juramentum exiget in hæc verba:

1 A. 37. a. B. 5. b.

"(Dom.

(Domine [1] Doctor, Magiſter, vel Domine) tu dabis fidem ad obſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines, et Libertates iſtius Univerſitatis. *Reſp.* Do.

Jurabis etiam, quod Pacem iſtius Univerſitatis per te non perturbabis, nec per alium vel alios qualitercunque perturbari procurabis; nec perturbatorem vel perturbatores, aliquem vel aliquos, in perturbatione Pacis, ope vel conſilio juvabis; nec impedies per te, vel per alium, vel alios, quo minus de Pacis perturbatore vel perturbatoribus fiat Juſtitia; Et, ſi aliquem vel aliquos noveris de perturbatione Pacis probabiliter ſuſpectum vel ſuſpectos, ipſum vel ipſos Cancellario denunciabis. *Reſp.* Juro.

Item ſpecialiter tu jurabis, quod inter nullas Communitates, vel Perſonas iſtius Univerſitatis, impedies pacem, concordiam, et amorem. Et ſi aliqua diſſenſio inter aliquas Communitates vel Perſonas exorta fuerit, illam nullo modo fovebis, vel accendes; nec Conventiculis intereſſe debes, nec eis tacite vel expreſſe conſentire, ſed ea potius, modis quibus poteris, impedire.

Jurabis [2] etiam, quod in iſta Facultate, alibi in Anglia quam hic et Cantabrigiæ, Lectiones tuas ſolenniter, tanquam in Univerſitate, non reſumes. Nec in aliqua Facultate, ſicut in Univerſitate, ſolenniter Incipies, nec conſenties, ut aliquis, alibi in Anglia Incipiens, hic pro Magiſtro in illa Facultate habeatur.

Item [3] tu jurabis, quod non leges nec audies *Stanfordiæ*, tanquam in Univerſitate, Studio, vel Collegio Generali.

Forma Juramenti admittendorum ad Publicam Bibliothecam.

Tu [4] etiam promittes, ſancteque coram Deo Optimo Maximo recipies, quod, quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire te contigerit, animum ad ſtudia per modeſtiam et ſilentium accommodabis; Libros, cæterumque cultum, ſic tractabis, ut ſupereſſe quam diutiſſime poſſint. Item quod neque tu in perſona tua aliquem vel aliquos Libros ſurripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, ſcindes, annotabis, interſcribes, ſponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut alio quocunque modo detruncabis, abuteris, deteres, aut imminues; nec alii cuiquam auctor eris horum quidvis perpetrandi; ſed quantum in te eſt, delinquentem,

1 B. 37. a. C. 157. a. 2 D. 55. b. 3 B. 37. a. C. 2. b.
4 C. 157. b.

vel

FH
MVSEVM
BRITANNICVM

vel delinquentes impedies, ipſorumque maleficia Vice-Cancellario, ejuſve Deputato, intra triduum poſtquam tibi innotuerint, denunciabis: Ita te Deus adjuvet tactis ſacroſanctis Chriſti Evangeliis.

Lectis ſingulis Jurisjurandi Articulis, Procurator Seniorem inter Præſentatos juramento hoc modo onerabit;

"Hæc omnia prædicta te fideliter obſervaturum promittes, ſicut Deus te adjuvet, per Jeſum Chriſtum hoc ſacroſancto Evangelio annunciatum."

Deinde Librum deoſculandum exhibebit; quæſitoque ſenioris nomine, ſi plures præſententur, quinque vel ſex eorum manus ſimul Libro imponentibus, iiſdem dicet;

"Idem Juramentum, quod præſtitit A. B. in perſona ſua, vos præſtabitis in perſonis veſtris, et quilibet veſtrum in perſona ſua, ſicut Deus vos adjuvet," &c.

Admonitio pro habitu Gradui competente.

Præſtito demum a ſingulis Juramento, Procurator ſingulis etiam ſic denunciabit: 'Item Tu teneris (vel Vos tenemini) quod ſis habiturus (vel ſitis habituri) intra quindenam, Habitum de proprio, Gradui competentem; et ipſum vel ſimilem ſervabis, quamdiu in Univerſitate contigerit te morari; ad effectum, ut non ſolum in eo Actus Scholaſticos poſſis exercere, verum etiam Univerſitatem Matrem noſtram, in Proceſſionibus, et aliis Univerſitatis negotiis (cum vocatus et præmonitus fueris) cum eodem valeas honorare; idque ſub pœnis in Statutis Univerſitatis limitatis.

§. 2. *Statuta, in quæ ſingulos Præſentatos Jurejurando adiget Senior Procurator.*

EXactis præſtitiſque coram Juniore Procuratore Juramentis, Præſentati ad Seniorem Procuratorem ſe conferent; et Seniore inter Præſentatos eidem appropinquante, reliquis adſtantibus, et attente auſcultantibus, idem Procurator Senior Statuta, ad Gradus illos, ad quos præſentantur, pertinentia, dictincte recitabit.

1 B. 37. a. C. 157. a.

Pro Baccalaureo in Artibus.

Quia [1] Caſum appetere videtur, qui ad ſummi loci faſtigia, propoſitis Gradibus, per abrupta quærit aſcenſum; Ordinatum eſt, quod Scholares in Facultate Artium liberalium, antequam ad Gradum Baccalaureatus in iiſdem aſpiraverint, quatuor Annos integros in ſtudio earundem Artium in Univerſitate poſuiſſe, (non in domo privata cujuſquam, ſed in Collegio vel Aula, abſque dolo malo, hoſpitantes ſeu victitantes) publicoſque Lectores, prout Statuta requirunt, diligenter audiviſſe, teneantur: ſcilicet per [2] primum annum Lectores Grammaticæ, et Rhetoricæ; per [3] ſecundum Dialecticæ, et Moralis Philoſophiæ; per [4] tertium et quartum Dialecticæ, Moralis Philoſophiæ, Geometriæ, et Linguæ Græcæ; exceptis Filiis Baronum in ſuperiori Parliamenti Domo jus ſuffragii habentium, et Baronettorum ac Equitum Auratorum Filiis natu maximis, nec non Baronum Filiis ex Gente Scotica aut Hibernica [5], quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo, præſtitis exercitiis requiſitis, ad Gradum promoveantur.

Sanxit [6] etiam Univerſitas, quod omnes Scholares a primo anno completo ab adventu ad Academiam, donec tempus, quo ad Gradum Baccalaureatus in Artibus promoveri poſſint, compleverint, Diſputationes in Parviſiis frequentare teneantur.

Statutum [7] eſt etiam, quod Scholares in Facultate Artium, poſt duos demum Annos in Univerſitate completos, et non antea, ad Opponendum et Reſpondendum pro Forma in Parviſiis admittantur. Quodque ſinguli, per tres ad minus Terminos priuſquam pro Gradu Baccalaureatus in Artibus ſupplicent, prioris Opponentis et Reſpondentis vices in iiſdem Diſputationibus ſubeant, et Generales creentur; et quod ſingulis poſtea Terminis, donec ad Gradum Baccalaureatus promoti fuerint, ſemel ad minus in Parviſiis diſputent.

Denique, [8] præter illas Diſputationes quæ in Parviſiis habendæ ſunt, Statutum eſt etiam, quod quilibet Scholaris, poſtquam qua-

1 A. 85. b. D. 56. b. 2 Tit. 4. Sect. 1. §. 2. 3. 3 Tit. 4. Sect. 1. §. 4. 5. 4 Tit. 4. Sect. 1. §. 4. 5. 6. 12. 5 V. Nov. Vit. VI. S. 1. §. 1. 6 Tit. 6. Sect. 1. §. 3. 7 Tit. 6. Sect. 1. §. 4. 8 Tit. 6. Sect. 1. §. 6.

tnor

tuor Terminos in Dialecticæ ſtudio poſuerit, (et ante ſuam pro Gradu Baccalaureatus in Artibus ſupplicationem) ſub Baccalaureo aliquo in Quadrageſima Determinante, bis pro Forma de iiſdem Quæſtionibus, quas Baccalaureus ipſe defendendas ſuſcepit (ſingulis vicibus, per unam et alterius horæ dimidiam partem) reſpondeat.

Pro Inceptore in Facultate Artium.

Cum [1] in nulla Facultate ſeu Scientia quiſquam Magiſtrali cenſeatur honore digne potiri, niſi, per tempus competens, aliquandiu ſtudioſus et diligens Diſcipulus præexſtiterit in eadem; operæ pretium eſt, ut quiſquam, apicem in eiſdem ſolenniter ſcanſurus, ante ſuam ad hoc Licentationem ſub apta temporis mora cunctas ſeptem Artes liberales, treſque Philoſophias, efficaciter addiſcendo, publica et doctrinalia ſigillatim Gymnaſia pertranſeat Philoſophorum. Itaque [2] Statutum eſt, ut, a tempore admiſſionis ad Gradum Baccalaurei ſinguli in audiendis publicis Lecturis tres Annos integros, priuſquam ad Incipiendum in Artibus admittantur, inſumpſiſſe teneantur: Videlicet [3] Annum primum in audiendo Geometriam, Metaphyſicam, Hiſtoriam, Linguam Græcam et Hebraicam: ſecundum item et tertium in audiendo [4] Aſtronomiam, Naturalem Philoſophiam, itidem Metaphyſicam, Hiſtoriam, Linguam Græcam et Hebraicam.

Item [5] Statutum eſt, quod Baccalaureus Artium, poſt Gradum ſuſceptum, (antequam pro Magiſterio, ſive ſua in Artibus Licentiatione, ſupplicet) in Quadrageſima ſolenniter Determinet, in Quodlibeticis Reſpondeat, in Auguſtinenſibus Opponat vel Reſpondeat, quoties ad id legitime fuerit requiſitus.

Item [6] quilibet Baccalaureus, priuſquam in Artibus licentietur, ſex ſolennes Lectiones (tres in Naturali Philoſophia, tres in Philoſophia Morali) in Scholis publicis legiſſe tenetur, nec non binas ibidem habere Declamationes.

1 A. 89. b. B. 41. b. Sect. 1. §. 6. 10. 11. 12. 13.
2 Tit. 6. Sect. 2. §. 1.
3 Tit. 4.
4 Tit. 4. Sect. 1. §. 7. 9. 10. 11. 12. 13.
5 Tit. 6. Sect. 2. §. 2.
6 Ibid.

Pro Baccalaureo in Muſica.

[1] Statutum eſt, quod, qui Muſicæ dat operam, antequam Gradum Baccalaurei in illa Facultate conſequatur, ſeptem Annos in ſtudio vel praxi Muſices ponat, et id ipſum ſub Chirographis hominum fide dignorum teſtatum afferat.

Item [2] Statutum eſt, quod, qui ad Baccalaureatum in Muſica promoveri cupit, priuſquam pro Gratia ſua ſupplicet, unum Canticum v partium componat, quod in Schola Muſicæ (alio quovis die, quam illo qui jam ad Praxin Muſicam deſignatus eſt) publice tam Vocibus quam Inſtrumentis muſicis exhibeat; ſed prius (valvis utriuſque magnæ Portæ Scholarum ante tres dies affixo programmate) diem ac horam futuri ſpeciminis ſignificet.

Pro Inceptore in Muſica.

[3] Ordinatum eſt etiam, quod Baccalaureus Muſicæ, priuſquam ad Doctoratum promoveatur, quinque Annos poſt ſuſceptum Gradum in ſtudio Muſices ponat, et id ipſum ſub Chirographis hominum fide dignorum teſtatum afferat.

[4] Ordinatum eſt etiam, quod Baccalaureus Muſicæ, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, unum Canticum VI vel VIII partium componat; quod in Schola Muſicæ tam Vocibus quam Inſtrumentis etiam muſicis (alio quovis die quam illo qui jam ad Praxin Muſicam deſignatus eſt) publice exhibeat: ſed prius (valvis utriuſque magnæ Portæ Scholarum ante tres dies affixo programmate) diem ac horam futuri ſpeciminis ſignificet.

Ordinatum [5] eſt denique, quod Baccalaureus Muſicæ, poſtquam ad Incipiendum in eadem Facultate admiſſus fuerit, unam vel alteram Cantilenam, VI vel VIII partium, in ipſis Comitiis, una cum Vocum et Inſtrumentorum muſicorum harmonia exhibeat.

Pro Baccalaureo in Jure Civili.

[6] Statutum eſt, quod, qui Juri Civili ſtudet, antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur, ſi ſit Magiſter Artium,

1 Tit. 6. Sect. 3. §. 1. 2 Ibid. §. 2. 3 Tit. 6. Sect. 3. §. 3.
4 Ibid. §. 4. 5 Tit. 7. §. 14. 6 Tit. 6. Sect. 4. §. 1.

per

tres annos integros; ſi non ſit Magiſter Artium, per quinquennium completum; publicum Juris Civilis Prælectorem diligenter et attente audiat. Quodque per Biennium in Academia Dialecticæ, Morali Philoſophiæ, et Politicæ, aliiſque Humanioribus Literis incubuerit, priuſquam quinquennium in ſtudio Juris ponere inchoaverit; niſi per Statuta Collegii, in quo commoratur, citius ad Juris ſtudium ſe convertere teneatur.

[1] Ordinatum etiam eſt, quod is, qui ad Baccalaureatum in Jure Civili promoveri cupit, priuſquam pro Gratia ſupplicet, bis in Diſputationibus Juridicis pro Forma Opponentis principalis (id eſt, primo vel ſecundo loco diſputantis) munere fungatur; et ſemel per duas horas, a prima pomeridiana ad tertiam, in Schola Juriſprudentiæ pro Forma Reſpondeat; affixo ante ſeptem dies valvis utriuſque magnæ Scholarum Portæ, ac inſuper muris Collegii Omnium Animarum, necnon Collegii Oriel (qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt) programmate; in quo, Quæſtiones diſceptandæ, cum nominibus Reſpondentis et Opponentium, publicentur.

[2] Denique Decretum eſt ex communi conſenſu Magiſtrorum Regentium, ut unuſquiſque ad Gradum Baccalaurei in Juriſprudentia promovendus, ſine ulla recuſatione facta, Domino Vice-Cancellario pro tempore exiſtenti, ſimiliter et Procuratoribus, ſuis Chirothecis, ſecundum Perſonarum dignitatem (quemadmodum Baccalaurei in Medicina) gratificentur.

Pro Inceptore in Jure Civili.

[3] Statutum eſt, quod, qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, (ſi, poſtquam in Artibus Inceperit, Gradum Baccalaurei in Jure Civili ſuſceperit) quatuor Annos integros publicum Prælectorem Juris Civilis audiet, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur. Alioqui, ſi Baccalaureus in Jure fuerit, antequam Incipiat in Artibus, (ſive Statutis Collegii ſic exigentibus, ſive ſua ipſius optione factum fuerit) quinque Annos integros in audiendo publico Profeſſore Juris Civilis ponere teneatur, priuſquam ad Incipiendum admittatur.

1 Ibid. §. 2. 2 L. 98. b. 3 Ibid. §. 3.

Item

Item [1] Statutum eſt, quod Baccalaurei Juris Civilis, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittantur, vel ſex ſolennes Lectiones ab hora prima pomeridiana uſque ad ſecundam, totidem diebus, publice legant (in quibus quamcunque velint totius Corporis Juris Civilis partem explicent;) vel aliquem e Titulis de Judiciis et Probationibus, ſive de re Judicata in Digeſtis vel Codice (tribus ad minimum Lectionibus) curſorie exponant. Et priuſquam vel ſolenniter vel curſorie legere inceperint, programma (ſubjectum et tempus legendi indicans) ante triduum curabunt affigi valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt.

Pro Baccalaureo in Medicina.

[2] Statutum eſt, quod, qui Medicinæ dat operam, (antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur) Gradum Magiſtri in Artibus capeſſat; et poſtquam in illa Facultate Inceperit, publicum Medicinæ Profeſſorem per triennium integrum diligenter audiviſſe teneatur.

Item [3] Statutum eſt, quod is, qui ad Baccalaureatum in Medicina promoveri cupit, (priuſquam Gratiam proponat) ſemel in duabus Quæſtionibus ab hora prima pomeridiana uſque ad horam tertiam, in Schola Medicinæ deſignata, ſolenniter pro Forma Reſpondeat; ſemel item Opponat: Affixo ante ſeptem dies valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, (qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt) programmate, in quo Quæſtiones diſceptandæ, cum nominibus Reſpondentis et Opponentium, publicentur.

Pro Inceptore in Medicina.

[4] Statutum eſt, quod, qui ad Doctoratum in Medicina promoveri cupit, ex quo Baccalaureus in Medicina fuerit, quatuor annos integros publicum Medicinæ Profeſſorem audiat, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

1 Tit. 6. Sect. 4. §. 4. 2 Tit. 6. Sect. 5. §. 1. 3 Ibid. §. 2.
4 Tit. 6. Sect. 5. §. 3.

Item

Item [1] Statutum eſt, quod Baccalaureus Medicinæ (priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur) vel ſex ſolennes Lectiones, ab hora prima pomeridiana uſque ad ſecundam, totidem diebus, publice legat (in quibus quamcunque velit Galeni partem explicet;) vel aliquem ex his Galeni Libris, nimirum Librum unum de Temperamentis, de Differentiis Febrium, de Uſu partium, vel de Affectis Locis (tribus ad minimum Lectionibus) curſorie exponat; et priuſquam vel ſolenniter vel curſorie legere exordiatur, programma (ſubjectum et tempus legendi indicans) ante triduum curabit affigi valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt.

Pro Baccalaureo in S. Theologia.

[2] Statutum eſt, quod, qui S. Theologiæ dat operam, antequam Baccalaureatum in illa Facultate conſequatur, Gradum Magiſtri in Artibus capeſſat; et, poſtquam in illa Facultate Inceperit, publicum S. Theologiæ Profeſſorem, per ſeptennium completum, audiviſſe teneatur.

Item [3] Statutum eſt, quod is, qui ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia promoveri cupit, priuſquam Gratiam proponat, bis in Diſputationibus Theologicis pro Forma Opponentis principalis (id eſt, primo vel ſecundo loco diſputantis) munere perfunctus fuerit; et ſemel per duas horas in Schola Theologica pro Forma Reſponderit; quodque, ante hujuſmodi Diſputationes, programma (Quæſtiones diſceptandas, una cum nominibus Reſpondentis et Opponentium, indicans) ante ſeptem dies affigi curabit valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt.

Denique [4] Statutum eſt, quod unuſquiſque, antequam Gradum Baccalaureatus in S. Theologia capeſſat, Concionem Latinam in Templo B. Virginis Mariæ, per ſe et non per alium, habere teneatur; Hac tamen cautione ſervata, ne quis ante completum quinquennium a ſuſcepto Magiſtrali Gradu (iſque non niſi Sacris

1 Ibid. §. 4. 2 Tit. 6. Sect. 6. §. 1. 3 Ibid. §. 2.
4 Tit. 6. Sect. 6. §. 2.

Ordinibus

Ordinibus initiatus) Concionem hujuſmodi pro Forma habere permittatur. Cauto inſuper, ne Concio Latina, habita vice alterius cujuſcunque, cedat cuiquam pro Forma.

Pro Inceptore in Sacra Theologia.

[1] Statutum eſt, quod, qui ad Doctoratum in S. Theologia aſpirat, ex quo Baccalaureus fuerit, per quatuor Annos integros, publicum Sacræ Theologiæ Prælectorem audiat, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Item [2] Statutum eſt, quod Baccalaureus S. Theologiæ, antequam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, publice in Schola Theologica, ab hora prima uſque ad ſecundam, Latine ſex ſolennes Lectiones ſelenniter legat, in quibus explicet quamcunque velit S. Scripturæ partem; vel aliquam ex iſtis, quæ ſequuntur, Apoſtolicis Epiſtolis, ſcilicet ad Galatas, vel unam aliquam ad Timotheum vel ad Titum, vel unum S. Petri (tribus, ad minimum, Lectionibus) curſorie exponat. Et priuſquam vel ſolenniter vel curſorie legere exordiatur, programma (ſubjectum et tempus legendi indicans) ante triduum curabit affigi valvis utriuſque exterioris Portæ Scholarum, necnon muris Collegii Omnium Animarum et Oriel, qua Auſtralis et Occidentalis parietes, Plateam verſus, in Angulos coeunt.

Pro cumulante Gradus in S. Theologia.

Eadem Statuta, quæ Baccalaureo et Inceptori in Theologia, legenda etiam ſunt cumulanti Gradus, excepto primo Articulo inter Statuta legenda Inceptori in Theologia.

Ac inſuper Statutum eſt, ſi qui, olim hujus Univerſitatis Alumni, Gradus in Theologia cumulare deſiderent, quod per xv vel xvi Annorum ſpatium (ab admiſſione ſua ad Regentiam computandum) Theologiæ operam navaſſe eos oporteat; et habitationem ipſorum ultra ſpatium xxx milliarium ab Univerſitate diſtare.

1 Ibid. §. 3. 2 Ibid. §. 4.

§. 3.

§. 3. *Communis Formula ſingulos Præſentatos Juramento obſtringendi; et de Juramento Primatus Regii, et Fidelitatis, a ſingulis exigendo.*

PErlectis Statutis ad Gradum requiſitis, Procurator Senior inter Præſentatos Seniori Evangelium exhibebit, cui (manu a Præſentato impoſita) ita dicet: "Omnia hæc modo prælecta, et reliqua Statuta Gradum hunc, quem capeſſis, concernentia, ac ſpeciatim Sectionem Septimam Tit. VI. intra triduum elapſum a te diligenter lecta (vel alio legente audita) te obſervaſſe quoad præterita, niſi aliter tecum diſpenſatum fuerit:" [Vel, ſi in Comitiis Doctoribus reſponſurus, aut die Martis poſt Comitia Latine concionaturus ſit, "Niſi quatenus, in Comitiis, Doctoribus reſponſurus, aut die Martis poſt Comitia Latine concionaturus ſis;] tu jurabis per Jeſum Chriſtum hoc ſacroſancto Evangelio annunciatum."

Et reliquis manus itidem libro imponentibus, "Idem Juramentum quod præſtitit A. B. in perſona ſua, &c."

Deinde ex Præſentatis Senior [1] Juramentum primatus Regii clara voce (ut ab omnibus aliis audiatur) publice leget; et Evangelium a Procuratore exporrectum oſculabitur; et poſt eum alii quotquot eodem die præſentantur: Et poſtremo, eodem Juramentum [2] Fidelitatis ſive Allegiantiæ præeunte diſtincte, alii omnes verbatim recitabunt; et in confirmationem Juramenti omnes ordine Librum deoſculabuntur.

SECTIO VII.

DE CREATIONE ET LICENTIATIONE PRÆSENTATI PER VICE-CANCELLARIUM PERAGENDA.

PRæſtitis ab omnibus Præſentatis coram Seniore Procuratore Juramentis, eorum quilibet (pro ordine Senioritatis) ad pedes Vice-Cancellarii inter Procuratores in genua decumbet: Cui Dominus Vice-Cancellarius in aurem per ſcrutinium dicet:

1 B. 137. 2 B. 138. b.

"Tu [1] dices fide tua data huic Univerſitati, utrum bona fide poſſis expendere 40l. annuas de proprio ad terminum Vitæ, extra Univerſitatem:" (quæ quidem ſumma, quoad Miniſtros Beneficiatos, non [2] attenditur penes verum et proprium rei æſtimatæ valorem, ſed penes primitias et cenſum Regium, inde in Fiſco Regio taxatas:) cui Præſentatus reſpondebit, *Poſſum*, vel *non Poſſum*. Quod ſi reſpondeat ſe non poſſe; interrogabitur iterum, an poſſit expendere de proprio quinque ſolidos? cui reſpondebit ut prius; et ſi fateatur ſe poſſe, ſolvet [3] pro vino tantum.

Tum, ſi præſententur ad Gradum Baccalaurei in Artibus, omnibus ad Præſentatorem redeuntibus, et juxta ipſum conſiſtentibus, eorum cujuſque (pro ordine Senioritatis) manum dexteram apprehendet, et eum coram Vice-Cancellario et Procuratoribus ſiſtet, et (Bedello ejus prænomen recitante) Vice-Cancellarius dicet, "Domine A. B. Ego admitto Te ad Lectionem cujuſlibet Libri Logices Ariſtotelis; et inſuper earum Artium, quas et quatenus per Statuta audiviſſe teneris; inſuper autoritate mea et totius Univerſitatis do tibi poteſtatem intrandi Scholas, legendi, diſputandi, et reliqua omnia faciendi, quæ ad Gradum Baccalaurei in Artibus ſpectant."

Si fuerit Baccalaureus Juris Civilis; "Domine vel Magiſter N. Ego admitto te ad Lectionem Inſtitutionum Imperialium."

Si Medicinæ Baccalaureus fuerit; "Magiſter N. Ego admitto et ad Lectionem Aphoriſmorum Hippocratis."

Si denique S. Theologiæ Baccalaureus fuerit; "Magiſter N. Ego admitto te ad Lectionem Epiſtolarum B. Pauli."

Si vero præſentantur ad Incipiendum in aliqua Facultate, iiſdem in genua ad pedes Domini Vice-Cancellarii provolutis, et manus Libro admoventibus, Vice-Cancellarius dicet: "Domine Doctor, Magiſter, vel Domine, tu dabis, vel vos dabitis, fidem ad obſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines, et Libertates hujus Univerſitatis." *Reſp.* Do.

Item tu [4] jurabis, quod Incipies realiter intra Annum, niſi aliter tecum diſpenſatum fuerit. *Reſp.* Do.

Item tu jurabis, quod non Incipies alibi quam hic. *Reſp.* Non Incipiam.

1 A. 63. a. C. 24. a. 2 L. 231. b. 3 L. 231. a.
4 B. 43. a. C. 19. b. D. 2. b.

Quod

Quod ſi quis poſt præſtitum illud Juramentum (abſque impetrata Diſpenſatione) nihilominus haud Inceperit; privetur, ipſo facto, non ſolum Gradu ad quem noviſſime præſentatus fuerat, ſed et aliis omnibus quos prius ſuſceperat.

Deinde Vice-Cancellarius, Librum capitibus ipſorum imponens, dicet: "Ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, et ad profectum Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ et Studii, autoritate mea et totius Univerſitatis do tibi licentiam Incipiendi in Facultate Artium (vel Facultate Juris, Medicinæ, Theologiæ) legendi, diſputandi, et cætera omnia faciendi, quæ ad ſtatum Doctoris ſeu Magiſtri in eadem Facultate pertinent, cum ea compleveris quæ ad talem pertinent ſolennitatem; in nomine Domini, Patris, Filii, et Spiritus Sancti:" hæc poſtrema dum pronunciat, debita cum reverentia, caput aperiendo.

Denique Præſentati exſurgentes deoſculabuntur primo Vice-Cancellarium, deinde Præſentatorem, tunc Procuratorem Seniorem, et poſtremo Procuratorem Juniorem. Quibus ſic peractis, et facta per Candidatos reverentia Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus et Magiſtris Regentibus (Bedello et Præſentatore præeuntibus) eodem ordine Domo egredientur, quo ingreſſi ſunt; et extra Cancellos Domus Habitum, competentem Gradui ad quem admiſſi ſunt, induentes, illico (Bedello et Præſentatore præeuntibus) in Domum redibunt; et præſtita Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magiſtris Regentibus reverentia debita, Seniore reliquis præcedente (aliter atque acceſſerunt) diſcedent.

Quod ſi Præſentati ad Baccalaureatum in Artibus admittantur (præeunte Bedello et Præſentatore, reliquiſque concomitantibus) ad Scholas Artium procedent: ubi Præſentator Cathedram conſcendens, aperto capite, ſingulis tres Quæſtiones proponet, et de ſingulis Quæſtionibus Verſus recitabit: quibus a Baccalaureis perlectis, in ſingulis argumentum proponet; cui Baccalaurei ſinguli reſpondebunt ſub hac Forma: *Reſpondebit pro me Ariſtoteles proxima Quadrageſima.* Et his peractis, una cum Præſentatore per Bedellum domum deducentur.

1 A. 10. a.

SECTIO VIII.

DE INCORPORATIONE.

§. 1. *De Incorporandis Studiosis, ab aliis Academiis huc adventantibus.*

CUM [1] Universitas Oxonienſis a Cantabrigienſi et ab Academiis exteris, per totum pene Terrarum Orbem, adventantes, (modo alienigenæ ſint, nec intra regnum Angliæ ſedem figere meditentur) eodem affectu recipere amplectique conſueſcat, quo ſuos in Academia Cantabrigienſi exteriſque Gymnaſiis recipi perſpexerit; id quo facilius fieri poſſit, Domui Congregationis eos, qui incorporari geſtiunt, incorporandi poteſtatem permittit. Per alienigenas vero hic non intelligimus natos intra regnum Scotiæ aut Hiberniæ: quibus incorporari permittitur, ſi tempore in Academia ſua requiſito, et præſtitis prius Exercitiis, Gradus ſuſceperint.

Solet vero is, qui incorporari cupit, per aliquem e Magiſtris (recitato prius publice in Domo Congregationis Teſtimonio ſub ſigillo Univerſitatis in qua Gradum ſuſcepit, non aliter;) Gratiam ſuam ſub hujuſmodi formula proponere. "Supplicat A. N. Baccalaureus vel Magiſter Facultatis Artium in Academia (A. B. C.) creatus, ut bona veſtra cum venia admittatur ad eundem Gradum, Statum, et Dignitatem apud Oxonienſes, quibus ornatus eſt apud ſuos (A. B. C.)"

Qua quidem Gratia ſic petita, et eodem modo, quo alias fieri conſuevit, pronunciata; Præſentatio Incorporandi ad hunc modum ſequitur:

"Inſigniſſime &c. Præſento vobis hunc Magiſtrum Facultatis Artium in Academia (A. B. C.) creatum, ut ſit eodem Gradu, Statu, et Dignitate apud nos Oxonienſes, quibus ornatus eſt apud ſuos (A. B. C.)" Et poſt Præſentationem, Juramentum iſtiuſmodi ab altero Procuratorum ei deferetur:

1 A. 101. b. C. 27. a. D. 7. b.

"Magiſter

"Magiſter tu dabis fidem, ad obſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines, et Libertates iſtius Univerſitatis, quatenus Statutis, et Privilegiis, Conſuetudinibus, et Libertatibus Univerſitatis (A.B.C.) non repugnant."

Denique a Vice-Cancellario ſic admittetur: "Magiſter, ego admitto te ad eundem Statum, Gradum, et Dignitatem hic apud nos Oxonienſes, quibus ornatus es apud tuos (A. B. C.)"

Cautum tamen eſt, quod nullus in S. Theologia, Medicina, vel Jure Civili Doctor incorporetur, niſi de expreſſo conſenſu Vice-Cancellarii, Profeſſoris, et trium inſuper Doctorum in eadem Facultate, et Procuratorum; vel majoris partis eorundem.

§. 2. *Conditiones incorporandi alumnos Academiæ Oxonienſis, vel Cantabrigienſis, apud exteras Academias Gradus capeſſentes.*

CUM nonnulli aliquando, poſt aliquod tempus in Academiis domeſticis bonarum Literarum Studio inſumptum, ad exteras Academias ſe conferant, ubi (nec Temporis nec Exercitiorum ratione habita) ad Gradus ſupremos promoventur; deinde huc reverſi, ſe ad eoſdem Gradus admitti poſtulant; unde indirecte omnis Ordo, et Diſciplina Univerſitatis violatur:

Placuit Univerſitati decernere et ſtatuere, ne quis in poſterum (qui aliquando hujus Academiæ, aut Cantabrigienſis, Alumnus fuit, et in Academia quacunque extera Gradum aliquem ſuſcepit) ad eundem Gradum in hac noſtra Univerſitate admittatur, niſi completo tempore, quod (juxta Statuta hujus Univerſitatis, vel ſuæ Cantabrigienſis) ad hujuſmodi Gradum capeſſendum requiritur: et tum demum, de expreſſo conſenſu Vice-Cancellarii, Profeſſoris, et trium inſuper Doctorum in eadem Facultate, et Procuratorum; vel majoris partis eorundem.

§. 3. *Quo Loco et Statu Incorporati eſſe debent.*

STatutum eſt, ut quilibet, Incorporationis beneficium nactus, eodem habeatur Loco et Statu, quibus in aliqua alia Univerſitate gaudebat: ita [1] tamen quod (utcunque prius ad Gradum aliquem alibi ſit admiſſus) nihilominus Junior habeatur iis omnibus, qui ad eundem Gradum Oxoniæ ſunt admiſſi eodem Anno, id eſt, intra idem temporis ſpatium, inter duo deinceps Comitia interjectum.

[1] KK. 222. b. B. 115. a.

intra

Sectio IX.

DE LICENTIIS CONCEDENDIS.

§. 1. *De Qualitate eorum, qui ad Concionandum per Universam Angliam licentiandi sunt.*

CUM, de Consuetudine antiqua, [1] penes Universitatem Oxonienſem potestas fuerit concedendi Licentias Concionandi per Universam Angliam, eamque potestatem per Congregationem Magistrorum Regentium exercere consueverit: ad præcavendum abusus, qui circa hujusmodi Licentationem contingere possunt, Statutum est et decretum, quod nemini in posterum pro hujusmodi Gratia supplicare permittatur, qui non sit Magister Artium, Baccalaureus Juris, vel S. Theologiæ Baccalaureus; quorum quilibet septem annos in studio Theologiæ in Universitate posuerit, et [2] semel saltem in Disputatione Theologica (in Theologica Schola, vel in Comitiis) publice Respondерit; et quatuor Conciones laudabiles coram Universitate habuerit, sive in Ecclesia B. Mariæ Virginis, sive in alia aliqua Ecclesia Collegiata, sive in Templo S. Petri ad Orientem.

§. 2. *Formula petendi Licentiam ad Concionandum per Universam Angliam.*

STatutum est, quod Gratiæ pro Licentiatione ad Concionandum, prout aliæ Gratiæ, in Venerabili Domo Congregationis proponentur, sub hujusmodi formula:

Supplicat A. B. Magister Facultatis Artium e Collegio M. quatenus septem Annos in studio Sacræ Theologiæ in Universitate posuerit, in Schola Theologica (vel in Comitiis) Respondерit; quatuor Conciones coram Universitate habuerit; quatenus hæc ei sufficiant, quo admittatur ad annunciandum Dei verbum per Universam Angliam.

1 I. 164. b. 2 L. 238. b.

Quæ

Quæ Gratia, cum conceſſa fuerit, eodem modo quo aliæ, a Procuratore pronunciabitur, et poſtea Literæ Teſtimoniales de eadem fient; quibus, Autoritate et Decreto ejuſdem Congregationis, ſigillum publicum Univerſitatis appendetur.

§. 3. *Formula Literarum Teſtimonialium.*

CAncellarius, Magiſtri, et Scholares Univerſitatis Oxonienſis Dilecto nobis in Chriſto A. B. S. Theologiæ Baccalaureo, et Collegii N. intra Univerſitatem prædictam Socio, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum omnia noſtra ſtudia, conſilia, et actiones ad Dei Gloriam et Fratrum ſalutem referri debeant; nos Cancellarius, Magiſtri, et Scholares Univerſitatis prædictæ (pro ea opinione quam de Scientia tua, vitæque et Morum integritate, habemus) liberam tibi tenore præſentium concedimus facultatem et poteſtatem prædicandi verbum Dei, juxta talentum tibi a Deo concreditum, in quibuſcunque Eccleſiis Angliæ, et Conventibus publicis Eccleſiaſticis ad hoc accommodatis, in perpetuum duraturam; modo nihil interim feceris, aut prædicaveris, contra Ritus et Canones in Eccleſia publice receptos et approbatos; quo in caſu, ſi quid tale admiſeris, hanc noſtram Licentiam ſtatim irritam et caſſam eſſe volumus. Teque ſerio admonemus, et in Domino obſecramus, ut juxta Gratiam a Deo tibi datam Auditores tuos præcipue excites, ut Dei tum præcepta, tum etiam exemplum, in verbo ipſius propoſita, vere in omni vitæ integritate et pietate exprimere conentur; adeoque glorificent cœleſtem Patrem, honorent Regiam Majeſtatem, et caritatem inter ſe colant Chriſtianam. Nos igitur Cancellarius, Magiſtri, et Scholares antedicti teſtamur, præfatum A. B. Juramentum de Primatu Regiæ Majeſtatis ſuſcepiſſe, et ſubſcripſiſſe tam omnibus Articulis Fidei et Religionis in Eccleſia Anglicana receptis et approbatis, quam tribus illis Articulis comprehenſis in Canone xxxvi° Libri Conſtitutionum et Canonum Eccleſiaſticorum, editorum in Synodo Londini cœpta 1603, et Regni Domini noſtri Jacobi &c. primo; in quorum omnium majorem fidem et plenius teſtimonium, Sigillum Univerſitatis Oxonienſis commune, quo hac in parte utimur, Præſentibus apponi fecimus. Datum in Domo noſtræ Congregationis, &c.

1 S. 209. a.

§. 4.

§. 4. *De Qualitate eorum, qui ad Praxin in Medicina licentiandi ſunt.*

STatutum eſt, quod Doctor quilibet in Medicina, poſt inaugurationem ſeu admiſſionem ſuam, practicare licite poterit in omni medicandi genere. Alius vero nemo in Medicina publice practicare Oxoniæ permittatur, [1] niſi ſit Magiſter Artium, et Gradum Baccalaurei in Medicina ſuſceperit, et a Cancellario ſive ejus Commiſſario, et Congregatione Magiſtrorum Regentium, ad practicandum more conſueto admiſſus fuerit. Chirurgiam vero nullus exerceat, intra præcinctum Univerſitatis, niſi Licentia a Cancellario ſive Vice-Cancellario impetrata.

Quod ſi quis ſecus præſumſerit, non ſolum ab ulteriore promotione repellatur, et privilegiis Univerſitatis privetur; ſed etiam (ſi monitus non deſiſtat) ſicut Perturbator Pacis puniatur.

§. 5. *Formula petendi Licentiam ad Practicandum in Medicina.*

PRO qualitate Perſonæ ſupplicantis, in Gratia exprimantur quæ ad hujuſmodi Licentiam neceſſario requiruntur, ſub hac formula: Supplicat &c. A. B. e Collegio N. quatenus in hac Univerſitate Gradum Baccalaurei in Medicina ſuſceperit, et Chirographo vel Profeſſoris et unius alterius Doctoris in Medicina, vel trium quorumcunque Doctorum in Medicina, in Univerſitate reſidentium, approbatus fuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, ut hæc ſibi ſufficiant ad Practicandum in eadem Facultate per Univerſam Angliam.

Qua Gratia conceſſa et pronunciata, prout aliæ ſolent, Literæ etiam Teſtimoniales de eadem fient, et (eodem modo quo Teſtimoniales Licentiæ ad Prædicandum in Domum Congregationis ratæ habebantur) Sigillo publico Univerſitatis munientur.

§. 6. *Formula Literarum Teſtimonialium.*

CAncellarius, [2] Magiſtri, et Scholares Univerſitatis Oxonienſis Dilecto nobis in Chriſto A. B. Artium Magiſtro e Collegio N. inter Univerſitatem prædictam, ſalutem in Domino ſempiternam.

1 A. 97. a. C. 7. a. D. 3. a. 2 S. 208. a.

Cum

Cum omnia noſtra ſtudia, conſilia, et actiones ad Dei gloriam et Fratrum ſalutem referri debeant; cumque Medicina ad hæc, inter reliquas Facultates, plurimum conferat; hinc eſt, quod Nos Cancellarius, Magiſtri, et Scholares antedicti (pro ea opinione, quam de ſcientia tua, vitæque ac morum integritate, habemus) liberam tibi tenore præſentium concedimus poteſtatem et facultatem practicandi in Medicina, et ea omnia faciendi, quæ ad eam ſpectant Facultatem, ubivis per Univerſum Angliæ Regnum, in perpetuum duraturam. Nos etiam Cancellarius, Magiſtri, et Scholares antedicti teſtamur præfatum A. B. Juramentum de Primatu Regiæ Majeſtatis ſuſcepiſſe, &c. [prout ſupra, in forma Licentiæ ad publice Concionandum.]

§. 7. *De Qualitate et Conditione licentiandi ad Praxin Chirurgiæ.*

Formula Supplicandi.

STatutum eſt, quod ita demum Chirurgiæ Studioſus ad Praxin per Univerſam Angliam admittatur, ſi per ſeptem annos integros in ea Arte ſe perite, probe, et honeſte exercuerit; duas Anatomias diſſecuerit; et tres ad minimum curationes præſtiterit; et Chirographo (vel Profeſſoris Regii in Medicina, et unius alterius Doctoris in eadem Facultate; vel trium quorumcunque Doctorum in Medicina, in Univerſitate reſidentium) approbatus fuerit; quodque hæ in forma Gratiæ recenſeantur hoc modo:

"Supplicat A. B. in Chirurgia Studioſus, quatenus ſeptem Annos in ſtudio et praxi Chirurgiæ poſuerit, duas Anatomias adminiſtraverit, et tres curationes fecerit; et Chirographo (vel Profeſſoris Regii in Medicina, et unius alterius Doctoris in eadem Facultate; vel trium Doctorum in Medicina, in eadem Univerſitate reſidentium) approbatus fuerit, et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad practicandum in Chirurgia per Univerſum Angliæ Regnum."

Cujuſmodi Gratiæ conceſſio ſic pronunciari ſolet: "Hæc Gratia conceſſa eſt, modo quatuor ſaltem pauperes gratis et intuitu caritatis curet, cum ad hoc ab iis fuerit requiſitus."

§. 8. *Formula Literarum Teſtimonalium.*

CAncellarius, Magiſtri, et Scholares Univerſitatis Oxonienſis Dilecto nobis in Chriſto A. B. in Chirurgia Studioſo (vel bene Exercitato) ſalutem in Domino ſempiternam. Cum omnia noſtra ſtudia, conſilia, et actiones ad Dei gloriam et Fratrum ſalutem referri debeant; Cumque Chirurgia ad hæc inter cæteras Artes plurimum conferat; Hinc eſt, quod Nos Cancellarius, Magiſtri, et Scholares antedicti (pro ea opinione, quam de ſcientia tua, vitæque ac morum integritate, habemus) liberam tibi tenore præſentium concedimus poteſtatem et facultatem practicandi in Chirurgia, ubivis per Univerſum Angliæ Regnum, perpetuo duraturam; ſub conditionibus ſubſcriptis.

Primo ſcilicet, quod quatuor ſaltem pauperes, gratis et intuitu caritatis (quamprimum ſeſe occaſio tulerit) cures; cum ad hoc ab ipſis fueris requiſitus.

Secundo, quod fines Artis tuæ non excedas, aut Medicinam practices.

Tertio, quod nimium pro ſalario non exigas; aut curationem aliquam retardes, uberioris lucri intuitu: Quod ſi in harum quapiam deliqueris, Licentiam hanc noſtram, tibi ſuper præmiſſis factam, ipſo facto vacare intelliges.

Nos etiam Cancellarius, &c. [ut ſupra, de Licentiandis ad Praxin in Medicina.]

TITULUS

TITULUS X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO I.

De Perſonis, ex quibus conſtat Magna Congregatio, ſive Convocatio Magiſtrorum Regentium et non Regentium.

CUM nullo Statuto hactenus ſatis accurate definitum ſit ex quibus Perſonis conſtat magna Congregatio, ſive Convocatio Magiſtrorum Regentium et non Regentium, unde haud leves oriri poterunt lites, et quæſtiones non facile dirimendæ; viſum eſt Academiæ novo Statuto remedium huic malo adhibere.

Statutum eſt igitur, quod ad Magnam Congregationem ſive Convocationem accedant, et jus ibidem deliberandi et ſuffragandi habeant, Doctores tantum et Magiſtri inferius deſcripti:

Primo, Cancellarius, ſive Vice-Cancellarius, et ambo Procuratores, ſive eorum Deputati.

Secundo, Omnes Doctores in ſacra Theologia, Medicina, vel Jure Civili, neceſſario Regentes; et Magiſtri durante primo Anno neceſſariæ ſuæ Regentiæ.

Tertio, Omnes Collegiorum et Aularum Præfecti, et eorum Deputati; omnes itidem quotquot de Fundatione alicujus Collegii ſint, qui aliquando in Jure Civili vel Artibus rexerunt.

Quarto, Omnes Doctores in ſacra Theologia, Medicina, vel Jure Civili, intra Univerſitatis præcinctum familiam alentes; omnes itidem Profeſſores et Prælectores publici, qui aliquando in Jure Civili vel Artibus rexerunt, ſi modo Exercitia a Statutis præſcripta ſuis vicibus per ſe vel per alium præſtiterint, et Feoda Univerſitati

et ejus Officiariis debita perſolverint. Qui vero hæc Exercitia præſtare, aut Feoda perſolvere, aut recuſaverint, aut moniti neglexerint, iis, cujuſcunque ſint ordinis, nullum jus ſuffragandi concedimus.

Quinto, Omnes Convictores, qui aliquando in Jure Civili vel Artibus rexerunt, qui a tempore capeſſendi Gradum ſive Magiſtri in Artibus, ſive Doctoris, in aliqua prædictarum Facultatum, in libro Promptuarii alicujus ſive Collegii, ſive Aulæ, nomina inſcripta habuerunt, qui ſuas concionandi et diſputandi vices ſuſtinuerunt, et qui Feoda Univerſitati, et ejus Officiaris, debita perſolverunt.

Quod ſi quis ab uno Collegio, vel Aula, ad aliud, juxta formam in Statuto Tit. III. §. 3. deſcriptam, migraverit, modo intra tres menſes in aliud Collegium, ſive Aulam, ſe receperit, neque interim aliquod exercitium aut onus Academicum detrectaverit, is reputabitur, non obſtante hoc intervallo, per omne ſuum tempus nomen in aliquo Collegio, ſive Aula, retinuiſſe.

Si quis vero Doctor, vel Magiſter Artium, ab Univerſitate diſceſſerit, et poſtea rurſus ſtudendi cauſa huc commigraverit, vel ſi quis ab alia Academia adventans hic incorporatus fuerit; talis, poſtquam per centum et octoginta dies continuos, ſive diſcontinuos, intra unius anni ſpatium in Univerſitate perſonaliter reſederit, ſe coram Vice-Cancellario, in Convocatione, ſive Congregatione, ſiſtat, qui teſtimonio reſidentiæ ſuæ a Præfecto Collegii ſui ſive Aulæ, ſive ejus vicem gerente, adducto, eum ad jus ſuffragandi in domo Convocationis teneatur admittere. Poſt quam Admiſſionem eum Jus ſuffragandi habere ſtatuimus, modo nomen inſcriptum in Libro Promptuarii alicujus Collegii ſive Aulæ habuerit, et omnia Exercitia et Onera ab iſta Admiſſione ſubierit.

Proviſo tamen, quod hoc Statutum non extendatur ad eos Doctores et Magiſtros, qui nomina habuerunt in libro Promptuarii alicujus Collegii ſive Aulæ ante Feſtum D. Johannis Baptiſtæ proxime elapſum; quibus jus ſuffragandi concedimus, modo Feoda Univerſitati debita perſolverint, et ſuas in poſterum concionandi et diſputandi vices præſtiterint.

Inſuper ſtatutum eſt quod omnes ſub conditionibus ſupra limitatis ſuffragandi jure gaudeant, qui ad Gradus, quibus inſigniti ſunt, per Diploma, vel per Decretum Convocationis, non autem qui tantum Honoris Cauſa, admiſſi fuerunt.

Ut melius vero conſtet quibus jus ſuffragandi competit, ſtatutum eſt quod unus Bedellorum, ad hoc negotium a Vice-Cancellario deputandus, a Promo uniuſcujuſque Collegii et Aulæ

Schedulam

Schedulam manu Præfecti Domus, ſive ejus vicem gerentis, conſignatam, continentem nomina omnium Doctorum et Magiſtrorum iſtius Domus jus ſuffragii ſecundum conditiones prædictas vendicantium, quotannis poſt Comitia finita exigat et recipiat; quorum nomina una cum nominibus neceſſario Regentium, Doctorum commorantium, et Profeſſorum et Prælectorum extra Collegia, vel Aulas, degentium, in Librum referat, cujus Libri exemplar apud Vice-Cancellarium reponatur. Omnes autem quorum nomina ſic, ut præfertur, in illum referuntur librum, ad omnia Exercitia præſtanda, et Onera ſubeunda, gradui ſuo competentia, ſe firmiter teneri noverint.

§. 2. *De modo indicendi Convocationem Magnam, et ad eam conveniendi.*

QUoties in Convocatione magna Doctores, Magiſtros Regentes, et non Regentes convenire opus fuerit; Statutum eſt, quod Bedelli, juſſu Cancellarii, ſive Vice-Cancellarii (quocunque die et hora, pro arbitrio Vice-Cancellarii aſſignatis, ſive in Termino, ſive in Vacatione) per ſingula Collegia et Aulas, Convocationem magnam (habendam poſt congruum temporis ſpatium) in hunc modum, clara voce, Latino eloquio, denuncient.

"Ad Convocationem omnes Doctores, Magiſtri Regentes et non Regentes, poſt pulſationem parvæ companæ (hora —) per fidem, per fidem, per fidem."

Et inſuper ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, necnon Procuratores perſonaliter adeant, et de Convocatione ſic habenda certiores faciant.

Quodque poſt hujuſmodi monitionem, ſinguli Doctores, Magiſtri Regentes et non Regentes in Univerſitate tunc præſentes, a propriis Collegiis et Aulis, (Habitu Gradui competente induti) hora conſtituta ad Domum Convocationis accedant: Et præeunte Vice-cancellario, et uno e Bedellis proclamante *(Magiſtri intretis in Convocationem, per fidem intretis)* locum Convocationi deſtinatum ingrediantur; eodemque Habitu, necnon [1] Pileis ſuis (ſicut et in Congregationibus) induti, in locis illic ſibi aſſignatis conſideant.

1 N. 100. b.

Cauſa

Cauſa Convocationis per Vice-Cancellarium expoſita, de negotiis propoſitis mature deliberent, et (pro natura negotii) vel ſcriptis per ſcrutinium, vel viva voce, vel in aurem Procuratoris, vel denique per ſeceſſionem ad alteram partem Domus, ſuffragia ferant.

Nihil autem pro decreto aut conceſſo habeatur, quod Cancellarius, ſive ejus Vice-Cancellarius; vel ambo Procuratores, ſive eorum Deputati; vel major pars Regentium et non Regentium, negaverint. Præterquam in Electionibus, quas liberas eſſe volumus, ſecundum antiquam conſuetudinem, per majorem partem omnium ſuffragantium.

SECTIO II.

DE NEGOTIIS IN DOMO CONVOCATIONIS TRACTANDIS.

§. 1. *Enumeratio Negotiorum, quæ ad Domum Convocationis ſpectant.*

QUandoquidem negotia majoris momenti cum majore deliberatione ſunt tractanda; et quæ ad univerſam ſpectant Academiam, ab univerſis approbari congruum eſt; Statutum eſt, ut in Convocatione Doctorum, Magiſtrorum Regentium et non Regentium (prout de antiquo fieri conſuevit) de majoribus negotiis, ac totum Univerſitatis corpus tangentibus, deliberetur et determinetur.

Veluti de Legibus et Statutis rogandis, vel etiam abrogandis, interpretandis, moderandis; de Officiariorum Electionibus; de Delegatis ad certa negotia nominandis; de Diſpenſationibus licitis concedendis; de Præſentationibus ad Beneficia; de Computis ſive Ratiociniis examinandis et approbandis; de Fundis ſive Prædiis Univerſitatis dimittendis ſive elocandis; de Literis ad Regiam Majeſtatem, Prælatos, Proceres, ac Judices, ſive alios quoſcunque conſcribendis; de amovendis Academiæ dehoneſtamentis, et gradu privandis. Denique de quibuſcunque, ſtatum, dignitatem, et incolumitatem Univerſitatis ſpectantibus.

§. 2.

§. 2. *De Statutis et Decretis in Domo Convocationis condendis et interpretandis.*

SI quando ex uſu Academiæ futurum videbitur, aliquid de novo ſtatuere vel decernere; vel, ſi quando circa Decreta et Statuta jam condita, vel in poſterum condenda, dubitatio aliqua emergat, unde ulterior eorundem explanatio requiratur (modo ne, ſub explanandi obtentu, ſenſus Statuto cuivis affigatur, omnem ipſius vim eludens aut enervans; neve hæc explanandi poteſtas ad Statuta Regia Auctoritate ſancita vel confirmata extendatur, ſine ſpeciali ipſius Regis licentia) Statutum eſt, quod priuſquam Lex roganda, vel Statutum explanandum, ſuffragiis Magiſtrorum Regentium et non Regentium permittatur, primo ad hebdomadalem conſeſſum Præfectorum Collegiorum et Aularum per Vice-Cancellarium referatur negotium.

Atque ubi, re mature perpenſa, inter eos convenerit de verbis conceptis, ſub quibus Lex ſciſcenda, aut Statutum explanandum, illis videbitur, ſub iiſdem terminis res ad Magiſtros Regentes in Domo Congregationis per Procuratores referetur, triduo ante Convocationem habendam.

In Convocatione autem ſequente, iiſdem verbis, quibus in Congregatione propoſita fuerat, per Regiſtrarium, mandato Vice-Cancellarii, palam recitetur. Ac demum ubi Vice-Cancellarius, Procuratores, et major pars Regentium et non Regentium, in terminos conſenſerint, ſub quibus Lex ſciſcenda, aut Statutum explanandum, videbitur, ſub iiſdem terminis per Regiſtrarium palam ibidem recitentur; et de iiſdem Regentium et non Regentium ſuffragia rogentur. Sub iiſdem etiam terminis, in quos conſenſum fuerit, in Acta redigantur; nec ante diem trigeſimum, immediate ſequentem publicationem ſive recitationem eorundem in Domo Convocationis, Vim aut Auctoritatem Decretorum ſive Statutorum ſortiantur.

Si quid vero interim (dum ſuſpenſa manet Statutorum Auctoritas) contra quam iis cautum eſt, pœna dignum committi contigerit; vel (in univerſum) ſi quod delictum inciderit, contra quod ſpeciali nullo Statuto cautum fuerit; Vice-Cancellarius (aſſidentibus ſibi Procuratoribus et Præfectis Ædium in Conventu Ordinario) pro arbitrio pœnam irrogabit; donec ſpeciali aliquo Statuto, contra hujuſmodi delictum, proviſum fuerit.

§. 3. *De Statutis Univerſitatis tranſcribendis, et cuſtodiendis.*

CUM [1] jura et ordinationes condere, eaque negligenter cuſtodire, oblivionive tradere, inanis plane et infructoſus ſit labor; Univerſitas ſtatuit et decrevit, quod, præter Regiſtrum, in manibus Regiſtrarii adſervandum, donec ad umbilicum perductum in Abaco, eum in uſum deſtinato, reponendum veniat, in quo quæque Statuta, prout conduntur, ſtatim inſeri oportet, Quinque ſint Statutorum Univerſitatis Exemplaria. Quorum primum ſit Liber Authenticus, Sigillo Honoratiſſimi Cancellarii D. Guilielmi Archiepiſcopi Cantuarienſis munitus, in eadem ciſta cum Univerſitatis Sigillo cuſtodiendus; ſecundum in Archivis publicæ Bibliothecæ reponendum; tria reliqua in manibus Vice-Cancellarii et Procuratorum.

Ac primum quidem, Regiſtrarius Univerſitatis, pro tempore exiſtens, omnia et ſingula Statuta Univerſitatis, in poſterum condenda, in Regiſtro ſuo fideliter deſcribet, intra ſeptimanam.

Ac poſtquam Regiſtro ſuo inſcripta fuerint (nequid, errore aut dolo amanuenſis, contra ſententiam ſciſcentium peccetur) in proxima Congregatione Regiſtrarius palam e libro eadem recitabit: et, ſi Vice-Cancellario, Procuratoribus, et majori parti Regentium (qui legi ſcribendæ in Domo Convocationis interfuere) cum iis, quæ in Domo Convocationis lecta ſunt, congruere videantur; Vice-Cancellarius et Procuratores, Chirographis ſuis Regiſtro eidem inſertis, Apographo vim ac auctoritatem addent; alioqui nullius autoritatis habendo.

Deinde intra quindenam, poſtquam in Domo Congregationis recitata et confirmata fuerint, ſumptibus Univerſitatis inſcribi faciat, Primo in Libro Authentico; ad quem Librum (ſi quando de Statutis hujuſmodi quacunque de cauſa controverſia oriatur) provocandum erit, ejuſque omnino auctoritati acquieſcendum: Deinde in aliquo Libro in publicæ Bibliothecæ Archivis cuſtodiendo; necnon in ſingulis Vice-Cancellarii et utriuſque Procuratorum Libris.

Quod ſi contingat aliquod Statutum in poſterum edendum, vel Statuti alicujus explanationem, intra quindenam in Libris prædictis et eorum quolibet (ut præfertur) non inſcribi; Regiſtrarius, ſine ulla relaxatione, pœnam 40s. Univerſitati ſolvendorum, ipſo facto de quidena in quindenam, toties quoties, incurrat.

1 A. 33. a. C. 111. b.

§. 4.

§. 4. *De materia diſpenſabili, in qua Convocationi diſpenſandi poteſtas permiſſa eſt.*

CUM Statutorum rigorem, modo privatis hominum commoditatibus, modo neceſſitatibus ipſorum, attemperari quandoque expediat; conſuevit V. Domus Convocationis (penes quam eſt poteſtas Statuta et Decreta condendi) ex rationabili cauſa cum nonnullis diſpenſare.

Et primo, ſi a Statutis alicujus Collegii Statuta Univerſitatis in aliquo diſſentiant, vel pugnent; Statuit Univerſitas et Declarat, quod cum Præfectis, Sociis et Scholaribus quibuſcunque hujuſmodi Collegii, ſuper obſervatione Statutorum Univerſitatis, a Collegii Statutis diſſentientium, eiſque repugnantium, abſque ulteriore aliqua ſupplicatione ſive petitione, ipſo Jure diſpenſatum habeatur.

Deinde, ſi quis Lectiones vel Diſputationes (ordinarias et non Pro Forma) per alium præſtare, neceſſum habuerit.

Vel ſi qui, olim hujus Univerſitatis Alumni, perſpectæ probitatis et eruditionis Viri, quique per XV aut XVI Annorum ſpatium (computandum ab admiſſione ſua ad Regendum) Theologiæ operam navarunt (iidemque ſpatium XXX milliarium ab Univerſitate remoti) præſtitis prius omnibus Exercitiis, Gradus accumulare, ſive ſimul capeſſere, deſiderent.

Vel, ſi qui propter interveniens impedimentum, vel cauſam ſonticam (quo minus in proximis Comitiis realiter Incipere poſſint, vel potuerint) in Convocatione vel Congregatione creari et inaugurari deſiderent.

Vel, ſi qui Prælati, Magnates, vel Nobiles, honoris cauſa, Gradus Academicos intra Academiam ſuſcipere cupiunt.

Vel, ſi Univerſitati eoſdem extra Academiam (miſſis qui Cancellarium, Procuratores, et Magiſtros Regentes repræſentent) iiſdem Gradibus ornare viſum fuerit.

Et univerſim, ſi qui alii fuerint Caſus, in quibus per Statuta Univerſitatis diſpenſare non negatum eſt, quique diſciplinæ Academicæ non repugnant; in iis, ex neceſſaria et perurgente aliqua cauſa (prius per Dominum Cancellarium arbitrio Vice-Cancellarii, Procuratorum, et Præfectorum permiſſa, et per ipſos vel eorundem majorem partem approbata in Conventu ipſorum hebdomadali)

Diſpenſationes in Domo Convocationis proponi licebit, et pro conceſſis haberi, ſi Vice-Cancellarius, Procuratores, et major pars Regentium et non Regentium aſſenſum præbuerint.

§. 5. *De materia indiſpenſabili, in qua Convocationi diſpenſare non permittitur.*

QUIA ex nimia Diſpenſandi licentia grave incommodum Univerſitati antehac obortum eſt (nec aliter fieri potuit;) Statuit et Decrevit Univerſitas, ne in poſterum Diſpenſationes ullatenus proponantur in caſibus ſequentibus. Et primo Statuit et Declarat, ne ſuper aliquo Statuto vel Decreto (Auctoritate Regia jubente vel monente) condito vel condendo, in toto vel in parte, Diſpenſatio proponatur, niſi pari Auctoritate Regia ejuſdem mutatio, vel aliqualis relaxatio, expreſſe mandata vel permiſſa fuerit.

Secundo, Statuit et Declarat, ne circa ſupremas Benefactorum defunctorum Voluntates, aut Ordinationes eorum quaſcunque Univerſitati commendatas, nec circa Conventiones vel Compoſitiones inter ipſos Benefactores (dum ſuperſtites eſſent) et Univerſitatem initas (abſque ſpeciali et expreſſo ipſorum conſenſu) nec circa Ordinationes aliquas ex Benefactorum voto vel rogatu, cum Univerſitatis conſenſu, editas vel edendas; aut Literas alicujus ipſorum (ſuper Lecturis aut Lectoribus ſuis) Patentes, quicquam poſtea immutetur, vel de eodem immutando petitio aliqua in V. Domo Convocationis fieri permittatur.

Tertio, [1] ne pro defectu Temporis, aut Exercitiorum (ad aliquem Gradum Baccalaurei, Magiſtri, vel Doctoris in aliqua Facultate requiſitorum,) nec pro Exercitiis (ad Gradum requiſitis) poſt ſuſceptum Gradum præſtandis; præcipue, ne pro Concione Latina, poſt Gradum Baccalaureatus (ut olim) habenda, ullo modo Diſpenſatio proponantur.

Quarto, ne Diſpenſatio proponatur, ut quiſquam Collegii Præfectus, Socius, vel Capellanus, vel in Aula aliqua commorans, vel intra quinquaginta milliaria ab Univerſitate habitans (exceptis iis, qui in ſtudio Theologiæ xv per xvi Annos poſuerunt, quibuſcum, ſi ultra xxx milliaria ab Univerſitate habitent, pro Gradibus Cumulandis diſpenſare licebit) ad Cumulandos Gradus, vel ad Gradum Baccalaurei, et Magiſtri, ſeu Doctoris, ſimul ſuſcipiendum, admittatur.

1 KK. 65. b. L. 241.

Denique

Denique Statutum eſt, ne in aliquo caſu præmiſſo (vel alio, de quo, ſpeciali Statuto, ne ſuper eo Diſpenſatio proponatur, cautum eſt) quiſquam, ſub pœna Bannitionis, Diſpenſationem proponat; niſi Cancellarius Præfectorum arbitrio rem permiſerit; ut de conſilio maturo (in Conventu ipſorum ordinario) prius habito, ex neceſſario et perurgente aliqua cauſa (per Vice-Cancellarium, Collegiorum et Aularum Præfectos, et Procuratores, vel majorem partem eorundem, approbanda) hujuſmodi Diſpenſationem in Domo Convocationis proponi permittant.

§. 6. *De Electionibus in Domo Convocationis habendis.*

CUM in locum alicujus Publici Prælectoris, aut Officiarii, aut communis Miniſtri ſeu Servientis (defuncti, cedentis, vel amoti) alterius Electio; vel ad Beneficium aliquod vacans (ad quod Nominationis, ſive Præſentationis, jus Univerſitati competit) alicujus idonei Electio habenda fuerit; Statutum eſt, quod, ante Convocationem habendam, negotium hujuſmodi Electionis, vel Nominationis, per Bedellos ſingulis Collegiorum et Aularum Præfectis, et per Præfectos Doctoribus et Magiſtris cujuſque Domus, die præcedente, denuncietur.

Quodque præter Electionem Burgenſium Parliamenti (quam, viva voce, aut pedibus eundo in ſententiam, fieri oportere, occaſione litis motæ ſuper ea re, Commiſſarii Parliamenti decrevere) omnis Electio ad Officia et publicas Lecturas, et nominatio ad Beneficia, fiat per ſcrutinium in ſcriptis, in quo (Vice-Cancellario præſidente) Procuratores ſcrutatores erunt. Inſuper ſi in locum Lectoris, Officiarii, aut Servientis munus ſuum reſignantis habenda ſit Electio; fiat Reſignatio ſimpliciter et abſolute, abſque ulla reſumendi conditione; et priuſquam ad Electionem procedatur, Candidatus quivis (exigente alterutro Procuratorum) Juramentum præſtabit ſe nec directe nec indirecte, per ſe nec per alium, cum quoquam contraxiſſe, nec quicquam cuiquam vel dediſſe vel promiſiſſe, quo ad munus illud, quod jam capeſſit, aditum ſtrueret magis expeditum.

Juramentum Procuratorum.

1. Qui a Vice-Cancellario Juramento adſtringentur, "Quod fideliter ſe in illo ſcrutinio gerent.

2. Quodque neminem, ad eligendum vel nominandum aliquem, [1] contra motum proprium inducent.

3. Et quod eum pro electo vel nominato pronunciabunt, in quem major pars ſuffragantium conſenſerit.

4. Nec, [2] ante pronunciationem, quicquam de votis alicui (quoquo modo, verbo vel ſigno) revelabunt."

Deinde, ipſe Vice-Cancellarius, et ſinguli ſuffragaturi (Procuratores, eorumque Deputati, (exigente Vice-Cancellario, ejuſve Deputato) corporale præſtabunt Juramentum, ſub hac Forma:

"Tu jurabis, quod unum aliquem, et unum tantum [3] ſemel (et non amplius) in hoc ſcrutinio ſcribes et nominabis.

Item tu jurabis, quod neminem ad hoc Officium (ſive publicam Lecturam, ſive Beneficium) nominabis, niſi quem ad idem Officium, ſive Beneficium, habilem et idoneum certo ſciveris, vel firmiter credideris; nec [4] ulla conditione nec pacto, propter aliquam promiſſionem vel remunerationem (factam vel faciendam) aliquem ad hoc Officium ſive Beneficium in hac Electione nominabis."

Quodque nemo in Electione aliqua (ſub pœna amiſſionis ſuffragii, et perpetuæ excluſionis a Domo Congregationis et Convocationis) ſuffragium ferre præſumat, priuſquam hoc Juramentum, in eadem Electione, præſtiterit.

In ſcrutinio vero, ubi Vice-Cancellarius et Procuratores ſuffragati fuerint, quiſque Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium, ſecundum ordinem Senioritatis, (quantum fieri poteſt) accedat: et (Procuratoribus a latere Vice-Cancellarii utrinque ſedentibus, et eorum altero Schedulam ſic accedenti exhibente) votum ſuum ſimpliciter et abſolute inſcribat.

Nec Scrutatores prædicti, aut eorum alter, ante peractam Electionem (niſi ex cauſa neceſſitatis) diſcedant. Quo in caſu, Schedula apud Vice-Cancellarium depoſita, Vice-Cancellarius (aut alius ab ipſo deputatus) ejuſdem, dum abeſt, vices ſuſtinebit.

Cum autem longius in Electione proceſſum fuerit, defecerintque qui ſuffragentur; priuſquam Scrutatores ſuffragiorum numerum ineant, ſuperior Facultatis Artium Bedellus, per Domum Convocationis, ad ſuffragandum, alta voce, præconizabit; "Magiſtri ad ſuffragandum, prima vice;" deinde ex intervallo unius horæ quadrantis, "Magiſtri ad ſuffragandum, ſecunda vice;" et tertio, poſt alium horæ quadrantem, "Magiſtri ad ſuffragandum, tertia vice."

1 A. 106. b. 2 A. 93. a. 3 B. 138. 4 A. 106. a.

Tandem

Tandem (poſtquam aliquandiu acceſſuros exſpectaverint, nec quiſquam accedat) prædicti Scrutatores [1] eum, in quem, computatis ſuffragiis, majorem numero partem conſenſiſſe compererint, (ſchedulis interim, quibus ſingulorum vota inſcripta fuerint, penitus abolitis, et igni traditis) pro Electo palam pronunciabunt.

Si duo vel plures æqualem Suffragiorum numerum ſortiti ſint, [2] ſi Graduati fuerint, eorum Senior; ſi Graduati non fuerint, tunc is in quem Cancellarius (vel Vice-Cancellarius pro tempore exiſtens) conſenſerit, pro Electo habeatur; et ad Officium ſuum (peractis præſtitiſque ſingulis, quæ ad hujuſmodi admiſſionem requirentur) e veſtigio, ſi præſens fuerit, admittatur.

Poſtremo cautum eſt, quod in omni Electione (antequam ad ſuffragandum accedatur) præſens Statutum, una cum Juramento prædicto, et Statuto Regni de Electionibus *Elizabethæ* XXXI° legatur; et Juramentum ab omnibus ac ſingulis Suffragaturis exigatur. Et præterea in ipſo Domus Convocationis introitu, aut alio quovis loco conſpicuo (unde omnibus de plano legi poſſit) idem Juramentum, in penſili tabula, ſingulis ſuffragantibus legendum palam proponatur.

§. 7. *De Delegatorum nominatione et munere.*

CUM varia Univerſitatis negotia a paucis citius et commodius, quam a pluribus, expediantur; eoque nomine, ſelectis quibuſdam hominibus per Domum Convocationis delegentur, qui de iiſdem deliberandi vel ſtatuendi, cum nuda relatione ad Domum, vel cum relatione et approbatione ſimul, (prout prædictæ Domui videbitur) poteſtatem habent; quos Delegatos nominandi jus penes Procuratores eſſe conſuevit:

Ordinatum eſt, [3] quod e ſingulis Facultatibus, et ex Doctoribus, Magiſtris Regentibus, et non Regentibus, aliqui ſeligantur, qui impoſitum ſibi onus ſubire, et in Congregatione quavis, diem Delegatorum Conventui deſtinatum antecedente, Juramentum Corporale præſtare teneantur.

1. "Quod legitime de die, hora, et loco præmoniti, de tempore in tempus, in locum per Vice-Cancellarium [4] deſtinatum convenient.

1 A. 106. a. B. 68. a. C. 30. a. D. 10. a. 2 A. 106. b. B. 55. a. C 32. a. D. 10. a. 3 Aa. 69. a. 4 A. 104. a.

2. Officium

2. Officium et munus Delegatorum, ſuper negotiis ſibi commiſſis, ſedulo et diligenter exſequentur.

3. Non omnino aberunt, niſi ex cauſa per Vice-Cancellarium et Procuratores antea vel poſtea approbanda."

Quicquid vero Delegati omnes, vel major ipſorum pars, determinaverint, in negotiis delegatis cum nuda relatione ad Domum, ſine ulteriore diſceptatione ratum eſt; in delegatis vero cum relatione ad Domum, et approbatione ejuſdem, totius Domus ſuffragiis denuo permittitur.

Cum, præter Delegatos ad expedienda negotia intra Univerſitatem, opus ſit nonnunquam delegari quoſdam ad proſequenda negotia extra Univerſitatis præcinctum; Statutum eſt, quod (quoties hoc uſu venerit) ad mandatum Vice-Cancellarii, et Procuratorum, ſinguli ad hujuſmodi negotia pro virili proſequenda (modo hoc fiat expenſis Univerſitatis) paratos ſe præſtent.

Quoniam vero ad computandas rationes Vice-Cancellarii, Procuratorum, et aliorum, novos quotannis Delegatos pro arbitrio Procuratorum deſignari, haud e re Academiæ, uſu compertum eſt; Decretum eſt, quod in poſterum Stati Delegati per Vice-Cancellarium, et Procuratores, cum conſenſu Domus Convocationis, nominandi ſint, qui ſingulas rationes Univerſitatis reddendas accipient, præterquam de quibus ſpeciali Decreto aliter cautum fuerit.

Quorum ſi major pars in Univerſitate præſens non fuerit (quoties rationes quæcunque Univerſitati reddendæ fuerint) Procuratores, vel eorum alter, cum conſenſu Vice-Cancellarii, totidem in locum abſentium ad præſens ſubrogabunt, quot ad majorem partem explendam ſuffecerint.

Quod ſi quos e ſtatis hiſce Delegatis fatis concedere, vel alias Univerſitate excedere, contingat; alii continuo in ipſorum locum, eadem auctoritate, ſubrogentur.

Hi autem Delegati, quamprimum nominati fuerint, in ipſa Convocatione (ſi præſentes fuerint,) alioqui coram Vice-Cancellario, exigente Seniore Procuratore, ſinguli Juramentum præſtabunt in hæc verba.

"Tu [1] Jurabis, quod audies ſtrictum et fidelem computum, de omnibus et ſingulis computandis per (&c. —) nec allocabis niſi quæ allocanda ſunt; ſepoſitis dolo, fraude, amore, et invidia. Ita Deus te adjuvet, et hæc Sacroſancta Chriſti Evangelia."

1 B. 104. a.

§. 8.

§. 8. *De Degradatione.*

CUM nonnulla ſint delicta, quæ, contra Statuta hujus Univerſitatis admiſſa, Graduum [1] privatione plectuntur; alia vero, quæ (licet alibi commiſſa) tamen propter infame ſupplicii (quo vindicantur) genus, detrahi prius inſignia Academica, et delinquentes exauctorari poſtulant; ne ſtigmata, delinquentium Perſonis merito inurenda, ſimul Graduum Academicorum dignitati labeculam aſpergant; unde aliqua ad ipſam Univerſitatem redundet infamia:

Statutum igitur eſt, quod quoties hujuſmodi ſe tulerit occaſio, ſi delinquens intra Univerſitatem præſens fuerit, Vice-Cancellarius (indicta prius Convocatione) ipſum, Habitu Gradui competente indutum, in Domo Convocationis ſiſtendum curet, ubi ipſum Vice-Cancellarius gravi ac ſevera Oratione increpabit, ſimulque atrocitatem criminis ſui ei ob oculos ponet; deinde ipſius mandato e Bedellis inferioribus unus ſingula Gradus ſui inſignia, primo Pileum, mox Caputium, deinde Capam, poſtremo Togam detrahet; ac eum in modum, cunctis inſignibus Academicis exutum et nudatum, e Domo Convocationis proturbabit.

Quod ſi intra Univerſitatem præſens non fuerit, Vice-Cancellarius (indita itidem Convocatione) ibidem delinquentis crimen, et pœnam Degradationis per Statuta (aut alias ex Decreto ſuperioris Curiæ, vel ex congruo) irrogandam declarabit. Deinde, Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium aſſenſu rogato, Inſtrumentum publicum a Regiſtrario palam recitari faciet, in quo Nomen, Gradus et Crimen delinquentis exponantur; et ipſe, de conſenſu Doctorum, et Magiſtrorum Regentium, et non Regentium, Gradu omni Academico exutus et exauctoratus pronuncietur et declaretur. Mox idem Inſtrumentum, ſigillo Officii ſui munitum, Valvis Magnæ Scholarum Portæ appendendum curabit.

1 Tit. 9. Sect. 2. §. 3. et Sect. 7. Tit. 21. §. 17. et 19.

TITULUS

TITULUS XI.

DE CONGREGATIONIBUS ET CONVOCATIONIBUS STATUTA GENERALIA.

§. 1. *Congregationibus alii neceſſario, alii libere, interſunt; Convocationibus ſinguli, rite moniti, tenentur per fidem intereſſe.*

STATUTUM eſt, quod ſinguli Doctores et Magiſtri neceſſario Regentes (quotquot infra ambitum Academiæ commorantur) ſtatim a ceſſatione pulſationis ſolennis Campanæ, ad Congregationem accedent; cui a principio ad finem interſint, nec niſi venia a Cancellario aut Vice-Cancellario impetrata diſcedant: Regentes vero ad placitum, quoties ſpecialiter requiſiti fuerint, aut alias, pro arbitrio ſuo, interſint.

Si quis ex neceſſario Regentibus vel venire neglexerit, vel ſecus quam oportet diſceſſerit, pro prima vice uno ſolido, pro ſecunda duobus, pro tertia tribus ſolidis per Cancellarium, vel Vice-Cancellarium, mulctetur. Et ſi, debita præcedente monitione, ulterius in negligentia perſeveraverit, a Domo Congregationis penitus excludatur.

Ad Magnam vero Convocationem ſinguli Doctores et Magiſtri Regentes et non Regentes, debite præmoniti, venire, ibique, dum negotia ad Univerſitatem ſpectantia tractantur, permanere, (niſi juſtam abſentiæ cauſam, a Vice-Cancellario requiſiti, ipſi approbaverint) noverint ſe fide data Univerſitati obligari.

§. 2. *De Ordine ſedendi in Convocatione et Congregatione.*

STatuit Univerſitas et decrevit, [1] quod in omnibus Congregationibus et Convocationibus Cancellarius vel Vice-Cancellarius, in Cathedra, locum teneat principalem in medio. Deinceps ex

1 A. 104. b. B. 58. a.

utraque

utraque parte Cancellarii vel Vice-Cancellarii, ſedeant primo Doctores in S. Theologia: Deinde, ex utraque parte Theologorum, ad dextram Doctores in Medicina, ad ſiniſtram Doctores Juris Civilis; ſalva tamen conſuetudine, quæ hodie inter Juriſtas et Medicos obtinet, quod qui Senior eſt (id eſt, prius præſentatus ad eundem Gradum) in ſua Facultate, præ Juniore in altera loci ſeu dignitatis prærogativam vendicet, ac obtineat. Cui etiam conſuetudini ne quicquam eo nomine derogatum volumus, ſi forte in hiſce Statutis vel Rubricis, inter nominandas ex ordine ambas Facultates, unam alteri ſæpius præponi vel prænominari contigerit. Juxta vero Cancellarium vel Vice-Cancellarium, utrinque paulo inferius, locum conſuetum habeant Procuratores; et ad latera utriuſque Domus, Magiſtri Facultatis Artium abſque anterioris loci vendicatione: præterquam quod Collegiorum et Aularum Præfectis, ſi qui ſunt Magiſtri Artium duntaxat, et non Doctores, præ aliis magiſtris locus ſuperior concedatur.

§. 3. *In Domo Congregationis et Convocationis Latino idiomate utendum. Loquendi modus et vices ſervandæ. A Contumeliis abſtinendum.*

STatutum eſt, quod quilibet, verba facturus in Domo Congregationis et Convocationis, [1] Latino utatur eloquio, niſi (negotio ſic requirente) Cancellarius Lingua vernacula utendi libertatem permiſerit. Quodque omnes, dum alii loquuntur, ſilentium præſtent; nec quiſquam de loco ad locum migret; aut loquendi vices ſeniori loquuturo præripiat; aut ſæpius de eadem materia interſtrepat; ſed ſimul atque ſententiam ſuam protulerit, aliorum judicio ponderandam relinquat. Quodque a dicacitate, præſertim opprobriis, omnique indecenti verbo aut facto, penitus abſtineant: ſub pœna, quod, ſi quis in præmiſſis deliquerit, a Domo Congregationis vel Convocationis, judicio Cancellarii vel Vice-Cancellarii et Procuratorum, pro illo die, vel (ſi majori parti Domus videbitur) pro longiore tempore, excludatur: Et inſuper obnoxius eſto pœnis ſancitis in Statuto de [2] Contumeliis compeſcendis.

1 A. 93. a. B. 57. b. C. 121. a. L. 242. b. 2 Tit. 15. §. 9.

TITULUS XII.

DE ASSIMILATIONIBUS PARVIS, SEU SIMILE-PRIMO.

Negotia huic conventui permiſſa, item interdicta.

QUO negotia quædam minore Univerſitatis cum moleſtia expediantur, in more poſitum eſt et permiſſum Vice-Cancellario, Conventum Magiſtrorum, qui Simile-primo appellatur, congregare, in quo ipſi cum duobus Procuratoribus, et Magiſtris Regentibus, et non Regentibus, quotquot voluerint intereſſe (modo ne pauciores ſint quam novem) ad parvæ Campanæ ſonitum, qualibet hora, tam in Vacatione, quam in Termino, in Domo Congregationis convenire licet.

Ubi iiſdem fas erit, Literas ex Decreto Convocationis ad Regiam Majeſtatem, Prælatos, Magnates, aut alios quoſcunque, de negotiis Univerſitatis publicis conſcribendas, recitare, approbare, et ſigillare.

Item Literis Teſtimonialibus de Licentiis per Congregationem conceſſis, et quibuſcunque aliis Inſtrumentis, vel Scriptis, ad Univerſitatis negotia ſpectantibus, ex Decreto Convocationis, vel Congregationis, Sigillum commune Univerſitatis apponere.

Et alia minora negotia, in quibus ulterior aſſenſus Congregationis vel Convocationis non requiritur, expedire.

Proviſo ſemper quod (excepto Simile-primo habendo in die Veſperiarum) in hoc Conſeſſu nec Præſentationes habeantur, nec Gratiæ, Diſpenſationes, aut Licentiæ proponantur; nec quicquam aliud, quod ad Congregationem vel Convocationem pertinet, attentetur.

1 KK. 150.

TITULUS XIII.

DE HEBDOMADALI ET ORDINARIO CONVENTU PRÆFECTORUM COLLEGIORUM ET AULARUM.

QUO melius ea, quæ ad regimen et tranquillitatem Univerſitatis pertinent, expediantur et procurentur; ſecundum Ordinationem [1] Sereniſſimi Regis CAROLI ejus nominis Primi, gratioſe nuper ad Univerſitatem ſuper ea re tranſmiſſam, ſancitum eſt, quod die Lunæ cujuſlibet ſeptimanæ per totum Annum, tam in Vacatione quam Terminorum temporibus, (præterquam in principalibus et ſolennibus Feſtis, aut ubi Vice-Cancellario videbitur, ex publica aliqua occaſione, hujuſmodi Congreſſum intermittere) hora prima pomeridiana (et etiam alias quandocunque Vice-Cancellario, ex urgente aliqua occaſione, convocare videbitur) Dominus Vice-Cancellarius ejuſve Deputatus, una cum Procuratoribus et ſingulis Collegiorum et Aularum Præfectis, tum in Univerſitate præſentibus, in loco certo et ſtato conveniant, ibique de Privilegiis et Libertatibus Univerſitatis (prout occaſio emerſerit) tuendis deliberent; et de Statutis et Conſuetudinibus Univerſitatis obſervandis inter ſe tractent, inquirant, et conſilium ineant. Et, ſi quid ſuper bono regimine, profectu ſcholaſtico, honeſtate, vel utilitate communi, et ex uſu Academiæ, ipſi, vel major pars eorum, deliberato opus eſſe duxerint, de eodem deliberandi poteſtatem habeant; quo melius et conſultius, poſt hujuſmodi ipſorum deliberationem, in V. Domo Congregationis proponatur; et deinde, maturo cum conſilio, in V. Domo Convocationis de eodem ſtatuatur, et decernatur. Si quis vero Præfectorum prædictorum in Univerſitate præſentium (ceſſante impedimento legitimo per Vice-Cancellarium approbando) ab hujuſmodi Congreſſibus frequenter ſe abſentaverit, nomen ejus, tanquam Perſonæ, bono Univerſitatis regimini minus faventis, ad Cancellarium per Vice-Cancellarium deferatur.

1 R. 38.

TITULUS XIV.

DE VESTITU ET HABITU SCHOLASTICO.

§. 1. *De Veſtitu Præfectorum, Sociorum, et Scholarium Collegiorum; Et de modo in Veſtibus ſervando a cæteris.*

STATUTUM eſt, quod [1] omnes Præfecti, Collegiorum Socii et Scholares, necnon omnes Sacris Ordinibus initiati, prout Clericos decet, veſtiantur; et ea obſervent, quæ Canonis Sanctionibus præcipiuntur.

Quodque alii omnes (exceptis filiis Baronum in ſuperiore Parliamenti Domo ſuffragii jus habentium, necnon Baronum ex Gente Scotica et Hibernica) veſtibus coloris nigri [2] aut ſubfuſci ſe aſſuefaciant; nec, quæ faſtum aut luxum præ ſe ferunt, imitentur; ſed ab iis procul abſint.

Inſuper, ab abſurdo illo et faſtuoſo publice in [3] ocreis ambulandi more abſtinere compellantur.

Etiam in capillitio modus eſto; nec cincinnos, aut comam nimis promiſſam alant.

Si quis vero in præmiſſis deliquerit; ſi Graduatus fuerit, pœna 6 s. et 8 d. plectatur toties quoties: Si non Graduatus, (ſi per ætatem conveniat) pœna corporali; ſin minus, arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum (ita ut ſummam præfatam non excedant) coerceatur. Quas mulctas partim ad Univerſitatis, partim ad proprios uſus, exigendi Procuratores poteſtatem habeant.

1 B. 111. b. 2 KK. 5. b. 4 N. 156. b.

§. 2.

§. 2. *De reprimendis et puniendis novos et insolitos Habitus invehentibus.*

STatutum est, quod, si contingat aliquos in Vestitu novos et insolitos Habitus introducere, Vice-Cancellarius, et Præfecti Collegiorum et Aularum, habita inter se deliberatione, de eodem sententias suas in medium proferant.

Deinde Vice-Cancellarius Scissoribus, sive Sartoribus vestiariis, hujusmodi vestes conficiendi potestate interdicat; et Præfecti suis singuli Scholaribus hujusmodi vestimentorum usu interdicant.

Si majus remedio vitium invaluerit, nec pœnis, quamvis severis, (quas secundum qualitatem delicti pro arbitrio infliget Vice-Cancellarius) morbi pertinacia expugnari possit; post tres monitiones, vel pœnas ordinarias ter inflictas, ad Bannitionem procedere licebit.

§. 3. *Habitus Academici, singulis Gradibus et Facultatibus competentes.*

STatutum [1] est, quod non Graduati, quotquot alicujus Collegii Socii, Probationarii, Scholares, Capellani, Clerici, Choristæ, denique quotquot de Fundatione Collegii cujusvis, fuerint, Studentes insuper Ædis Christi, quoties in publicum in Universitate prodeunt, Togis laxe manicatis, et Pileis quadratis, induti incedent.

Quotquot vero Commensales, Communarii, Batellarii, Servientes; quotquot denique de Fundatione Collegii alicujus haud fuerint; quoties in publicum in Universitate prodeunt, Togis talaribus et Pileis rotundis induti incedent.

Graduati omnes, Togas Gradui et Facultati competentes, etiam Epomidas, et Pileos quadratos, aut rotundos (Juristæ scilicet et Medici) gestabunt; præcipue in Concionibus, Ordinariis Prælectionibus, et Disputationibus publicis.

In Concionibus vero solennibus, et singulis diebus Dominicis intra Terminum ante meridiem in Templo B. V. Mariæ; etiam in Æde Christi; et in XL^ma^, et in Dominica Paschatis post meri-

1 B. 119. et 120.

diem

diem, ad S. Petri in Oriente; Capis et Caputiis, ſive e Serico ſive e Minuto Vario, obverſis, Concionibus interſint.

Concionatores itidem Habitu Gradui ſuo competente induti (pro ratione temporis, prout ceciderit intra vel extra Terminum) ad Eccleſiam accedant, et eodem induti Conciones ſuas habeant, ſub pœna 6s. 8d.

Lectores etiam et Profeſſores publici, in Lectionibus ſuis ordinariis, Togis Gradui vel Facultati ſuæ competentibus, Epomide, et Pileo induti, ad Scholas accedant, et eodem Habitu induti legant, ac iterum a Scholis recedant. In ſolennibus autem Lectionibus in Veſperiis, Pileis, Capis, et Caputiis, Gradui et Facultati ſuæ competentibus, induti ad Scholas accedant, legant, ac iterum recedant.

Quoties vero ad [1] Congregationes, Convocationes, Preces publicas, et Conciones ad Clerum, accedant, omnes, præter Togas, etiam Capas, vel clauſas vel apertas, et Caputia Gradui congrua adhibeant.

Doctores ſingulis Diebus Dominicis intra Terminum, ante meridiem, in Eccleſia B. Virginis Mariæ; et in Quadrageſima, et in Dominica Paſchatis poſt meridiem, in Eccleſia S. Petri in Oriente; Capa, et Caputio coccineo induti Concionibus interſint.

Si quis vero in præmiſſis delinquere deprehenſus fuerit, ſi non Graduatus fuerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii caſtigetur (corporaliter, ſi per ætatem congruat;) ſi Graduatus, Pro prima vice qua deliquerit, 20d. Pro ſecunda 3s. 4d. Pro tertia 5s. Pro quarta 6s. 8d. et ſic toties quoties. Si [2] quis vero ad Congregationem vel Convocationem acceſſerit, Habitu competente deſtitutus, præter mulctam prædictam nullam omnino ſuffragandi poteſtatem ea vice habeat. Quas mulctas ad uſum Univerſitatis exigendi non ſolum Vice-Cancellarius, ſed et Procuratores poteſtatem habeant. Procuratores etiam ad pœnas conſimiles, ſi in exigendo negligentes fuerint, teneantur.

Ne vero, propter diu intermiſſum Habitus Gradui competentis uſum, ignorantiam cauſari poſſit quis; aut, præ novandi libidine, ab antiquis Schematis deſciſcere, novoſque Habitus introducere moliatur; Statutum eſt, quod Præfecti Collegiorum et Aularum in Conventu ſuo hebdomadali, diligenti inquiſitione habita, de

1 A. 104. a. B. 51. b. C. 23. b. D. 8. b. 2 B. 111. b.

Toga

Toga, Capa (ſeu clauſa, ſeu aperta) Caputio, Epomide, Pileo, cuique Gradui et Facultati (præſertim Medicis ac Juriſtis) competentibus, determinabunt. Ac, prout inter ipſos convenerit, ſingulorum inſtar aliquod (e vili quacunque materia) concinnandum, et, titulo affixo, in Prælum ſive Abacum huic uſui deſtinatum reponendum, curabunt; inde exemplar uniuſcunque Habitus petere ut liceat, ſiquando circa hæc controverſia oriatur.

Si quis autem in forma Habitus præſtituti aliquid novare conetur, puniatur pro arbitrio Vice-Cancellarii, ac inſuper Sartoribus veſtiariis interdicatur, ne a forma ſeu Schemate recepto Habitus, cuivis Gradui competentis, vel latum unguem recedant, ſub pœna pro arbitrio Vice-Cancellarii infligenda.

TITULUS

TITULUS XV.

DE MORIBUS CONFORMANDIS.

§. 1. *De Reverentia Juniorum erga Seniores.*

STATUTUM eſt, quod Juniores Senioribus, id eſt, nondum Graduati Baccalaureis, Baccalaurei Artium Magiſtris, Magiſtri itidem Doctoribus, debitam et congruam reverentiam, tum in privato, tum in publico, exhibeant: ſcilicet, ubi convenerint, locum potiorem cedendo; ubi obvii venerint, de via decedendo; et ad juſtum intervallum caput aperiendo; atque etiam reverenter ſalutando et compellando. Inſuper quilibet Baccalaureus in Jure (qui non etiam Inceperit in Artibus) cuilibet Magiſtro in Artibus ejuſdem Anni cedere debet intra Univerſitatem, locumque dare.

Quodque omnes cujuſcunque conditionis (exceptis Procerum et Baronum, in ſuperiori Parliamenti Domo ſuffragii jus habentium, filiis) qui nondum Gradum Magiſtri in Artibus, Baccalaurei in S. Theologia, Juriſprudentia, vel Medicina adepti ſunt, quando (ſive in Templis inter concionandum; ſive in Scholis publicis inter prælegendum, audiendum, ac diſputandum; et in omnibus denique Actibus ſcholaſticis, præſertim coram publicis Univerſitatis Officiariis, Doctoribus, Magiſtris, vel Baccalaureis in Facultatibus prædictis) præſentes cum præſentibus affuerint, [1] nudatis capitibus adſtent, humiliterque et modeſte ſe gerant. Vice-Cancellario autem et Procuratoribus omni cura et ope annitendum eſt, ut hoc Statutum debite obſervetur, puniendo ad arbitrium Juniores ſi non præſtiterint, Magiſtros ſi non exegerint, debitum obſequium.

1 KK. 341. a.

Proviſo

Proviſo tamen, quod licebit Facultatis Artium Baccalaureis, Habitu Gradui competente indutis, in Scholis Artium vel Philoſophiæ, Pileos etiam in præſentia Magiſtrorum et aliorum induere.

Si vero aliqui ſecus ſe geſſerint (ſi Juniores fuerint, et qui nondum Gradum aliquem adepti ſunt) a Vice-Cancellario et Procuratoribus pro arbitrio caſtigentur; vel pœna corporali, ſi per ætatem congruat; vel ſuſpendantur a Gradu per unum Terminum, toties quoties; et Libro Nigro, ſive Regiſtro Procuratorum, inſerantur nomina ipſorum. Si Graduati fuerint, 3 s. et 4 d. ſinguli mulctentur. Et ſi contumaces perſtiterint, incarcerentur; ac inſuper, ſi quando ulteriorem Gradum ambiant, ſuſpendantur a Gradu per unum Terminum, toties quoties; et in Libro Nigro Procuratorum nomina ipſorum inſerantur.

§. 2. *De coercendis otioſis et male feriatis Scholaribus in Civitate oberrantibus.*

STatutum eſt, quod Scholares (præſertim Juniores et non Graduati) per Civitatem ejuſve Suburbia otioſi non obambulent; neque in Plateis, aut publico Foro, [1] ſeu in Quadrivio (apud *Pennyleſs Bench*, ut vulgo vocant) aut apud [2] Oppidanorum ſeu Artificum officinas, ſtantes aut commorantes (quales vetera Academiæ noſtræ Statuta [3] Scurrivagos et Trutannos vocant) conſpiciantur.

Si quis abſque rationabili cauſa, a Procuratoribus vel Vice-Cancellario approbanda, hac in parte delinquens deprehenſus fuerit; ſi non Graduatus fuerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum corripiatur, vel caſtigetur: Si Graduatus fuerit, 2 s. Univerſitati mulctetur. Et, ſi in contumacia perſtiterit, incarceretur.

§. 3. *Quod Scholares Conventibus Juridicis, qui Seſſiones et Aſſiſæ vocantur, non interſint.*

STatutum eſt, quod nullus Scholaris cujuſcunque conditionis ad publicos et generales Conventus Juridicos, vel Civitatis, vel Comitatus Oxonienſis (qui Seſſiones aut Aſſiſæ vocantur) niſi ex cauſa rationabili, per Vice-Cancellarium approbanda, accedat, vel iiſdem intereſſe præſumat, ſub pœna 10 s. unicuique ibidem de-

1 B. 110. b. 2 L. 242. b. 3 A. 58. b.

prehenſo infligenda; et Incarcerationis etiam, omnibus et ſingulis per Vice-Cancellarium vel Procuratores inde recedere juſſis, nec obtemperantibus: Cui adeundi carceris mandato, (quia graſſanti incommodo alias commode occurri non poteſt) omnes et ſinguli, virtute juramenti Univerſitati præſtiti, obedire teneantur.

Juniores autem, Tyrones, et alii non Graduati (qui illuc ſpectatum maxime confluere ſolent) ibidem deprehenſi, pro arbitrio Vice-Cancellarii aut Procuratorum, pœnas dare teneantur.

§. 4. *De Domibus Oppidanorum non frequentandis.*

STatutum eſt, quod Scholares et Graduati cujuſcunque generis a Domibus et Officinis Oppidanorum, de die, et præſertim de nocte, abſtineant. Præcipue vero ab ædibus infames ſeu ſuſpectas Mulieres vel [1] Meretrices alentibus, aut recipientibus; quarum conſortio Scholaribus quibuſcunque, ſive in privatis Cameris, ſive in Ædibus Oppidanorum, prorſus interdictum eſt. Et ſi quis de die in iiſdem, vel earum aliqua, deprehenſus fuerit (niſi rationabilem acceſſus ſui moræve cauſam reddiderit) ſi non Graduatus ſit, pro arbitrio Vice-Cancellarii, vel Procuratorum, qui deprehenderint, caſtigetur: Si vero Graduatus fuerit, 3 s. 4 d. pro qualibet vice Univerſitati mulctetur. Quod ſi quis ibidem de nocte intereſſe deprehenſus fuerit, pœnis Noctivagorum omnino ſubjiciatur. Quem in finem (in ſubſidium Vice-Cancellarii et Procuratorum) poteſtas ſit Præfectis Ædium Domos Oppidanorum intrandi; ut explorent an aliqui e ſuis illic verſentur de die vel de nocte. Si quis vero Magiſtratui vel Præfecto Domus, de nocte poſt clauſas fores oſtium pulſanti, fores ſine mora vel tergiverſatione non recluſerit, pro prima vice mulctetur 20 s: ſecunda vero, commercio cum Privilegiatis, ſi Oppidanus fuerit; alias, Privilegio ipſi, interdicatur.

§. 5. *De Oenopoliis, ſeu Tabernis vinariis, Popinis, et Diverſoriis non frequentandis.*

STatutum eſt, quod Scholares cujuſcunque conditionis a [2] Diverſoriis, Cauponis, Oenopoliis, ac domibus quibuſcunque intra Civitatem, vel Præcinctum Univerſitatis, in quibus vinum, aut

1 A. 58. A. 2 N. 42. b.

quivis

aut quivis alius potus, aut herba Nicotiana ſive Tobacco, ordinarie venditur, abſtineant: niſi ex cauſa neceſſaria et urgenti, per Vice-Cancellarium aut Procuratores approbanda. Quodque, ſi quis ſecus fecerit, octodecim annis minor, nec Graduatus, publice caſtigetur: major autem annis octodecim, vel Graduatus, pro prima et ſecunda vice ſex Solidis et octo Denariis Univerſitati mulctetur; Pro tertia autem vice, per ſpatium unius menſis incarceretur; vel, ſi Gradum aliquem ambiat, a tempore alias completo, unum alium integrum annum exſpectet, antequam ad ſupplicandum pro Gradu illo admittatur. Si quis vero, ſic deprehenſus, Tutor fuerit; Vice-Cancellarius ipſi Tutoris munere prorſus interdicat. Pro quarta vero vice ab Univerſitate expellatur.

Inſuper Oppidani (ſive Privilegiati fuerint, ſive non) qui, contra formam hujus Statuti, Scholares in illum finem in domus vel loca hujuſmodi receperint, pro prima vice decem Solidos, pro ſecunda viginti Solidos, Univerſitati numerent: Si tertio deliquerint, per duos menſes; ſi quarto, per totum annum, commercium iis cum Scholaribus et Perſonis Privilegiatis interdicatur; vel Privilegium, ſi fuerint Privilegiati.

§. 6. *De Nocturna Vagatione reprimenda.*

STatutum eſt, quod omnes Scholares cujuſcunque conditionis, quos occaſione quacunque extra Collegia ſua vel Aulas veſperi agere contigerit, ante horam [1] nonam (quæ pulſatione magnæ Campanæ Collegii Ædis Chriſti denunciari ſolet) ad Collegia et Aulas proprias ſe recipiant; et quod, ſtatim a pulſatione ejuſdem magnæ Campanæ, ſingulorum Collegiorum et Aularum Portæ occludantur et obſerentur. Quibus occluſis explorabunt nonnunquam Ædium Præfecti, perluſtratis ſingulorum cubiculis (ex præſcripto S. Regis Jacobi) utrum e ſuis aliqui extra Collegium vel Aulam ſuam pernoctent ſeu vagentur. Quodque [2] ſi quis poſtea extra Collegium proprium vel Aulam, in Domo quacunque vel Platea, vel alibi intra Præcinctum Univerſitatis repertus fuerit (niſi cauſam rationabilem oſtenderit, per Vice-Cancellarium et Procuratores approbandam) ſi non Graduatus fuerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum puniatur, vel caſtigetur pœna corporali, ſi per ætatem congruat; alioqui quadraginta Solidis mulctetur. Si

1 N. 42. a. 2 A. 58. a.

vero Graduatus, quinquaginta Solidis mulctetur: Quas mulctas a quibuſcunque deprehenſis exigere, et ipſarum ſemiſſem in Fiſcum Univerſitatis redigere, tenentur Procuratores fide ſua data Univerſitati. Et, niſi fuerit Magiſter Artium vel Baccalaureus Juris, a Procuratore; qualiſcunque vero conditionis, a Vice-Cancellario (ſi propter contumaciam, ſuſpicionem fugæ, vel alia de cauſa mereri videbitur) incarceretur, et ut Perturbator Pacis habeatur. Si vero alius quis deprehendatur, ſive Perſona Privilegiata, ſive non, conſimiliter puniatur. Quoniam vero uſu compertum eſt, qualemcunque Magiſtratus diligentiam ingenioſæ Cauponum et Diverſitorum nequitiæ imparem futuram, niſi arctioribus legum vinculis conſtricta teneatur; eo fine decretum eſt, ut ſinguli Oenopolæ, Caupones et Diverſitores, poſticos ſuos parietes vel ſponte ſua prolapſos, vel ex deſtinata malitia dirutos, legitime moniti (quatenus expedire viſum fuerit) ſtatim reficere teneantur: nec non dædalos illos anfractus, ſive in areis ſuis poſticis, ſive in hortis, obſtruere, per quorum devia nocturni ganeones Magiſtratui ſe ſubducere ſolent, irrito conatu cæca veſtigia prementi.

§. 7. *De Ludis prohibitis.*

STatutum eſt, quod Scholares, cujuſcunque conditionis, abſtineant ab omni luſus genere, in quo de pecunia concertatur; veluti a luſu Talorum, Alearum, et Chartarum Pictarum, nec non a luſu Globorum, in privatis Oppidanorum areis hortiſque; nec hujuſmodi publicis luſibus, per Statuta Regni prohibitis, interſint. Quodque nemo intra Univerſitatem hujuſmodi Ludis ſe exercentes excipiat: Sub pœna caſtigationis corporalis non Graduatis (quibus per ætatem congruit;) aliis vero, et Graduatis, 6 s. 8 d. (præter reſtitutionem ejus quod luſu illicito lucrati ſunt,) ſingulis, qui in his deliquerint, irroganda; et 20 s. iis, qui hujuſmodi luſus exercentes exceperint; et ſub pœna Incarcerationis, donec de hujuſmodi ludentibus ulterius non excipiendis cautionem interpoſuerint. Et in his omnibus, toties quoties.

Item quod abſtineant ab omni genere luſus vel exercitii, ex quo aliis periculum, injuria, vel incommodum creatur; veluti a Venatione ferarum (ut damarum, leporum, et cuniculorum) cum [a] Canibus cujuſcunque generis, Viverris, Retibus, aut Plagis; nec-

[a] B. III. a.

non

non ab omni apparatu et geſtatione Bombardarum, et Arcubaliſtarum; ſive etiam accipitrum uſu ad aucupium: ſub pœna caſtigationis corporalis non Graduatis (quibus per ætatem congruit;) aliis vero et Graduatis, ſex Solidorum et octo Denariorum, delinquentibus, toties quoties, imponenda, præter ſuſpendium Canum, et forisfacturam ſive amiſſionem Retium, Bombardarum, Arcubaliſtarum, et hujuſmodi inſtrumentorum; quæ in uſum Univerſitatis venundentur.

Item quod, intra Univerſitatem Oxonienſem aut Præcinctum, abſque ſpeciali venia Vice-Cancellarii, nec [1] Funambuli nec Hiſtriones (qui quæſtus cauſa in Scenam prodeunt) nec Gladiatorum certamina ſive ſpectacula permittantur; nec Academici aut Scholares eiſdem interſint. Hiſtriones vero, Funambuli, et Gladiatores contravenientes incarcerentur. Et Scholares (ſi qui ad hujuſmodi ſpectacula confluentes deprehenſi fuerint) non Graduati, arbitrio Vice-Cancellarii, vel Procuratorum puniantur vel caſtigentur; Graduati autem, ſex ſolidos et octo denarios Univerſitatis fiſco ſinguli pendant, toties quoties.

Item, quod Scholares cujuſcunque conditionis, (præſertim vero Graduati) ludum pilæ pedalis, intra Univerſitatem ejuſve Præcinctum, (maxime vero in publicis Urbis vicis et plateis) ſive ſoli inter ſe, ſive cum Oppidanis intermixti, omnino non exerceant; nec rudibus inter ſe, aut cum Oppidanis, batuant (vulgo *Cudgel-play*;) unde periculoſiſſimæ contentiones ſæpenumero exardeſcant; aut hujuſmodi ludorum ſpectatores ſe præbeant. Quod ſi aut ipſi luſiſſe, aut vanis hujuſmodi ludis (ut ſpectatores) ultro interfuiſſe, convicti fuerint; Juniores quidem non Graduati, et infra annos octodecim, palam caſtigentur corporaliter; Graduati autem, vel octodecim annis majores, ut Perturbatores Pacis, puniantur, ad arbitrium Vice-Cancellarii vel Procuratorum. Clerici denique et Sacris Ordinibus initiati (ſi qui tales in prædictis deliquerint) ab Univerſitate expellantur.

§. 8. *De famoſis Libellis cohibendis.*

SI quis aliquid ſcripto compoſuerit, unde alicujus exiſtimatio et fama lædi poſſit; vel aliquid ejuſmodi ab alio compoſitum exſcripſerit; aut a ſe lectum, vel ab alio recitante auditum, ad

1 L. 241. b. L. 262. b.

Vice-

Vice-Cancellarium protinus haud detulerit; vel quoquo modo in vulgus ſparſerit aut diſſeminaverit; tanquam Pacis Perturbator banniatur.

§. 9. *De Contumeliis compeſcendis.*

STatutum eſt, quod ſi quis verbis contumelioſis quenquam impetiverit, vel ſi quis in Concione, Oratione, Fabula, vel alio quocunque modo, quicquam publice protulerit vel ediderit, in quo Doctoris cujuſquam, Magiſtri, vel honeſtæ conditionis Studioſi exiſtimatio et fama lædi poſſit, vel perſona deriſui ſeu ludibrio exponi; tanquam Pacis Univerſitatis Perturbator coram Vice-Cancellario conveniatur; et exemplar Concionis, Orationis, ſive Fabulæ exhibere, vel (ſi nullum habere ſe exemplar præ ſe ferat) virtute Juramenti ad objecta reſpondere teneatur. Et, ſi judicio Vice-Cancellarii convictus ſuper horum aliquo fuerit, pro qualitate delicti (quæ ex circumſtantiis et perſonis, tum proferentibus, tum in quas convitia prolata ſunt, cenſenda eſt) Incarceratione, vel Recantatione publica, vel Bannitione (pro arbitrio Vice-Cancellarii) præter ſatisfactionem Parti læſæ exhibendam, puniatur.

§. 10. *De Vi et Injuria prohibenda.*

STatutum eſt, [1] quod ſi quis Studioſus, aut alius cujuſcunque conditionis, alteri de damno corporali inferendo minatus fuerit; vel alium ad pugnam provocaverit; aut capite vel humeris impulerit quempiam, ſeu arietaverit, aut veſtimenta alterius laceraverit, diſciderit, aut quoquo modo corruperit; mulctetur Univerſitati quatuor ſolidis. Si quis cubito, palma, pugno, vel pede percuſſerit, quinque ſolidis.

Si quis baculo, lapide, clavi, vel conſimili, aliquem percuſſerit, vel feneſtras alicujus fregerit, 6 s. 8 d. Incarceretur inſuper, et repellatur a Gradu per duos Terminos ad minimum. Si quis alium ad pugnam (in qua vitæ diſcrimen adeatur) laceſſiverit, vel laceſſitus acceptaverit, vel cultellum, pugionem, gladium, aut aliquod aliud genus teli, aut diſtrinxerit, aut intentaverit cum minis, aut ita, ut conjicere liceat animo lædendi factum, 20 s; ſuſpenſione a Gradu (ſi quem ambiat) per integrum annum ad minimum; et incarceratione, quamdiu Vice-Cancellario videbitur.

1 A. 62. a. B. 78. a. C. 119. b.

Si

Si quis Cultello, Pugione, vel aliquo alio telo, ſeu inſtrumento aliquem percuſſerit, unde leve vulnus, et modica effuſio ſanguinis ſequatur, pœnas proxime præcedentes incurrat, et inſuper veniam genibus flexis petat in Domo Convocationis.

Si quis vero Cultello, Pugione, Gladio, vel aliquo alio telo, ſeu inſtrumento aliquem ita ſauciaverit, ut inde proveniat debilitatio (diu aut perpetuo duratura) ex copioſa ſanguinis effuſione; aut mutilatio totius Membri vel Articuli alicujus, unde ipſe Articulus vel uſus ejus deperditur; aut periculum vitæ; (etiamſi mors non ſequatur;) banniatur. Et ſimiliter, ſi quis armatos congreget, aut pro impedimento Juſtitiæ, aut ut damnum aliquod, ſive corporale ſive non, alicui inferat. Eadem eſto pœna, ſi quis (ſciens volenſque) in Templo aut Cœmeterio, quenquam pugno, vola, aut calce percuſſerit, vel capite, humero, cubitove quemquam impulerit, aut arietaverit.

Inſuper in his omnibus pœnæ Gradibus, Pars peccans ſatisfacere Parti læſæ teneatur (pro ratione damni illati) arbitrio Vice-Cancellarii: et præterea, ſi per ætatem et Gradum liceat, puniatur corporaliter, publice in Domo Congregationis.

§. 11. *De Armis non geſtandis.*

STatutum eſt, quod nullus Studioſus, aut alius, intra Univerſitatis ambitum, ſive offenſiva, ſive defenſiva [1] Arma (veluti Gladios, Pugiones, Pugiunculos (vulgo *Stillettoes)* Sicas, Arcus et Sagittas, Bombardas, vel tela aut inſtrumenta bellica, de die vel de nocte geſtet, niſi [2] cum ad loca remota proficiſci, vel a remotis reverti, eum contigerit; exceptis, qui honeſtæ recreationis cauſa arcus cum ſagittis portaverint. Et ſi quis ſecus fecerit (etſi nulli inſultum fecerit) tanquam Pacis Perturbatæ ſuſpectus incarceretur, donec itidem de Pace Conſervanda fide-juſſerit; et præter amiſſionem Armorum (quæ a Vice-Cancellario vel Procuratoribus, ut forisfacta, capiantur) duobus ſolidis Univerſitati mulctetur.

Quod ſi alteri inſultum vel injuriam fecerit, puniatur ut ſupra §. præcedente.

1 A. 58. a. B. 74. b. C. 53. b. D. 14. b. 2 A. 62. a. B. 75. a. C. 54. b. D. 23. a.

§. 12.

§. 12. *De Conventiculis illicitis reprimendis.*

STatutum eſt, [1] quod nullus cujuſcunque Gradus, ſive Status, conventicula illicita intra Univerſitatis Præcinctum inſtituat, aut iis quoviſmodo [2] interſit, aut in domo vel hoſpitio ſuo haberi permittat. Qualia cenſenda ſunt, in quibus, contrá Pacem publicam, Doctrinam vel Diſciplinam Eccleſiæ, vel regimen et tranquillitatem Univerſitatis, quicquam deliberatum vel geſtum fuerit: vel in quibus homines (ſecus quam Statutis Regni, Canonibus Eccleſiæ, vel Ordinationibus Univerſitatis permittitur) vel palam, vel occulte conveniunt.

Inſuper, ne quis confœderationes ſive conſpirationes ineat, unde Cancellarius, Procuratores, ſeu alii Miniſtri Univerſitatis, in executione Officiorum ſuorum ſecundum Statuta et Ordinationes ejuſdem, impediri vel perturbari poſſint. Neve quis huſuſmodi conventicula ineuntes (ſibi notos aut probabiliter ſuſpectos) celet; quin ipſos Vice-Cancellario protinus denunciet et revelet; ſub pœna expulſionis, et forisfacturæ ſive amiſſionis omnium bonorum juxta Chartam Richardi ſecundi.

§. 13. *De Auctoribus et Fautoribus Diſſenſionis puniendis.*

STatutum eſt, [3] quod nullus Studioſus, cujuſcunque conditionis, Pacem vel Concordiam impediat; aut ſiqua inter aliquos diſſenſio exorta fuerit, (occaſione Nationis, aut Patriæ, aut Facultatis, aut quacunque alia de cauſa) eam foveat vel accendat; aut alteri Partium opem aut conſilium præbeat. Cujus criminis qui ſuſpectus fuerit, ut Perturbator Pacis conveniatur; et, ſi convictus fuerit, eiſdem pœnis, quibus Pacis Perturbatores, ſubjiciatur.

§. 14. *De Oppugnatoribus et Violatoribus publicæ Auctoritatis, et Manutenentibus, coercendis.*

STatutum eſt, [4] quod nullus Studioſus, aut alius, cuivis cauſæ ad alium pertinenti ſe immiſceat coram Vice-Cancellario vel Procuratoribus, niſi fuerit alterius Partis in judicium vocatæ Tu-

1 C. 26. b. 2 A. 8. a. 3 A. 8. a. 4 A. 29. a. B. 78. a. C. 120. a.

tor,

tor, Procurator, Advocatus, Aſſignatus, Teſtis neceſſarius, Creditor, Fide-juſſor, Sponſor, Executor, Judex, Impar, aut Arbitrator in quacunque cauſa electus, vel alias, ex honeſta aliqua cauſa, conjuncta perſona.

Nec in cauſa propria vel aliena, contra Vice-Cancellarium, vel Procuratores, eorumve Deputatos, [1] verba injurioſa vel opprobrioſa proferat, aut quicquam, quod eoſdem in executione Officiorum ſuorum quoquo modo (in judicio aut extra) impediat aut inquietet, agat aut conetur.

Quorum criminum qui rei fuerint (ſive per convictionem, ſive evidentiam facti) ut Pacis Perturbatores tractentur. Et qui ſe alienis cauſis et negotiis immiſcet, 13 s. et 4 d. qui autem verba contumelioſa (in judicio vel extra) protuliſſe, vel publicos Officiarios præfatos in executione Munerum et Officiorum ſuorum impediviſſe, convictus fuerit, 40 ſolidos Univerſitati ſolvere teneatur; incarceretur inſuper, et veniam flexis genibus in Domo Convocationis petat: ac demum a Gradu (ſi quem ambiat) per integrum annum repellatur. Quod ſi Privilegiatus fuerit aut Oppidanus, pro arbitrio Vice-Cancellarii et quantitate delicti ad tempus Privilegio, aut commercio cum Privilegiatis, ei interdicatur.

Si quis vero eo audaciæ proruperit, ut in [2] Cancellarium, Procuratores, vel eorum Deputatos, ſive Locum-tenentes, manus violentas injecerit, vel injicere tentaverit, vel minatus fuerit; eo ipſo Univerſitatis finibus perpetuo expellatur, ſi Studioſus fuerit; alias Privilegio vel commercio cum Privilegiatis reſpective ipſi interdicatur.

§. 15. *De Vehiculis.*

CUM plurima incommoda ex uſu immodico Vehiculorum, præſertim eorum quæ vulgo dicta ſunt *Phaetons*, orta ſint; cumque nullo ſtatuto hactenus de hoc malo cautum ſit, placuit Univerſitati novum ſtatutum condere, quo remedium eidem in poſterum adhibeatur.

1 A. 80. a. B. 77. b. C. 64. b. D. 62. a.

2 A. 47. b. B. 59. a. C. 92. a.

Statutum igitur eſt, quod Scholares cujuſcunque conditionis ab uſu omnium Vehiculorum, quibus invehi ſolent ipſi aurigantes, ſive ea *Phaetons*, ſive alio quocunque nomine dicta ſint, prorſus abſtineant. Quod ſi quis ſecus fecerit, pro prima vice viginti ſolidis, pro ſecunda quadraginta ſolidis, Univerſitati mulctetur; pro tertia vero vice, libro nigro, ſive Regiſtro Procuratorum, inſeratur nomen ejus; et ab omni gradu per annum integrum repellatur. Si quis autem quarta vice hac in parte deliquerit, ab Univerſitate expellatur.

Inſuper Oppidani qui, contra formam hujus ſtatuti, iſtiuſmodi vehicula Scholaribus elocaſſe deprehenſi fuerint, pro prima vice quadraginta ſolidos, pro ſecunda centum ſolidos, Univerſitati numerent. Si tertio autem deliquerint, per duos menſes; ſi quarto, per totum annum, commercium cum Scholaribus iis interdicatur.

TITULUS

TITULUS XVI.

DE CONCIONIBUS.

§. 1. *De Concionibus ante meridiem, diebus Dominicis intra Terminum, habendis.*

STATUTUM eſt, [1] quod quolibet die Dominico intra Terminum ante meridiem Concio Anglice habeatur per Collegiorum Præfectos, per Decanum et Præbendarios Ædis Chriſti, per duos Theologiæ Profeſſores, et per Hebraicæ Linguæ Profeſſorem; ita ut ſinguli, per ſe vel per idoneos Subſtitutos, ordine ſequenti concionentur, viz.

Eccleſiæ Chriſti.	Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Magdal.	Coll. Wadham.
Coll. Novi.	Coll. Lincoln.
Eccleſiæ Chriſti.	Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Omnium Anim.	Coll. Univerſ.
Coll. Merton.	Coll. Exon.
Eccleſiæ Chriſti.	Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Corp. Chriſti.	Coll. Balliol.
Coll. Reginæ.	Coll. Jeſu.
Eccleſiæ Chriſti.	Eccleſiæ Chriſti.
Coll. S. Jo. Bapt.	Coll. Pemb.
Coll. Trinit.	Reg. Profeſ. Theol.
Eccleſiæ Chriſti.	Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Ænei-Naſ.	Margaretæ Profeſſ.
Coll. Oriel.	Profeſſ. Ling. Hebr.

1 B. 117. b. L. 297. b.

 Inſuper

Insuper placuit Universitati, [1] quod hæ Conciones in Ecclesia B. Mariæ Virginis habeantur: præterquam quod, quoties Decano vel Præbendario Ædis Christi concionandum est, iis, aut etiam aliis ipsorum vices supplentibus, necnon solennes conciones habentibus in Natali Domini, in die Passionis Dominicæ, et in festo Ascensionis Domini, in Ecclesia Cathedrali Ædis Christi concionari sit permissum. Si quis secus fecerit, pœnam conciones omittentium incurrat.

§. 2. *De Concionibus habendis ante meridiem, diebus Dominicis extra Terminum, et diebus Festis ante meridiem, ac Dominicis post meridiem per totum Annum.*

STatutum est, [2] quod extra Terminum, in quolibet die Dominico ante meridiem (præterquam in Dominica Pascatis, quando in singulis Collegiis conciones ante sacram Synaxin sunt habendæ) et in quolibet die Dominico post meridiem per totum annum (excepto tempore Quadragesimali, et Dominica Paschatis) et in quolibet die Festo per totum annum, in Ecclesia B. Mariæ Virginis, Concio vernaculo sermone habeatur, quam seriatim peragere tenebuntur, per se vel substitutos suos (ejusdem etiam conditionis, quam præsens Statutum exigit) S. Theologiæ Doctores et S. Theologiæ Baccalaurei: Juris Civilis Doctores et Baccalaurei, ac Artium Magistri (sive in Theologia, sive in Jure Civili studentes) quotquot Presbyteri vel Diaconi fuerint; Magistri, non ante quatuor annos ab Inceptione sua; Baccalaurei autem Juris, post sex annos completos a suscepto gradu: ita ut, cum ad simpliciter Juniorem Theologum deventum fuerit, ad Sacræ Theologiæ Doctores concionandi vices denuo revertantur.

Proviso quod Vice-Cancellarius et Procuratores, pro tempore existentes, ab his vicibus seriatim obeundis excusentur.

§. 3. *De Concionibus Quadragesimalibus ad Divi Petri in Oriente.*

STatutum est, quod prout antiquitus fieri consuevit, in quolibet die Dominico durante Quadragesima, necnon in Dominica Paschatis post meridiem, ad Divi Petri in Oriente solennis Concio lingua vernacula habeatur; ad quas quidem Conciones

1 B. 117. b. 2 L. 241. 247. 289.

habendas,

habendas, viros idoneos nominandi ac deſignandi poteſtas penes Dominum Vice-Cancellarium ſit: ita tamen ut eorum ratio imprimis habeatur, qui, per Statuta Collegiorum ſuorum, aliquam ex iſtis Concionibus in propriis perſonis habere adſtringentur. Quodque quemlibet ita concionaturum Præfectus reliquuſque Collegii Aulæve Cœtus, Habitu Gradui competente induti, a Collegio vel Aula ad Eccleſiam deducant.

Et poſtremo, quod nomina hujuſmodi Concionatorum, quos privata Collegiorum ſuorum Statuta ad has Conciones adſtringunt, Academiæ Regiſtro inſerantur, prout antiquitus obtinuit.

§. 4. *De Concionibus quibuſdam extraordinariis ad Eccleſiam B. Mariæ.*

STatutum eſt, quod (præter illas Conciones quæ in diebus Dominicis et Feſtis a Collegiorum Præfectis, Doctoribus et Baccalaureis S. Theologiæ, et Magiſtris Artium, et Baccalaureis Juris, ut præfertur, ſeriatim præſtandæ ſunt,) aliæ quoque extra ordinem, certis et ſtatis temporibus, in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ habeantur. Nimirum in Feſto Inaugurationis Regiæ; et quinto Novembris pro communi liberatione totius Reipub. a Proditione Sulphurea. Quas conciones, præmiſſis publicis Supplicationibus et ſacra Synaxi ſubſequente, aliquis ad id muneris a Vice-Cancellario aſſignatus habebit. Necnon in duabus Feriis, Dominicam Paſchatis proxime ſequentibus, duæ Conciones ante meridiem lingua vernacula habendæ ſunt, per aliquos ad id muneris a Vice-Cancellario ſpecialiter deputatos. Item in die Dominico Comitiorum, cum ante, tum poſt meridiem, et in die Martis proxime poſt Comitia; et in utroque Conventu Comitatus, qui Aſſiſæ vocantur; ad quas aliqui per Vice-Cancellarium ſpecialiter ſunt deſignandi. Proviſo ſemper, quoad eum quem ad Concionem Latinam die Martis poſt Comitia habendam a Vice-Cancellario deſignari contigerit (ſi Theologiæ Baccalaureus non fuerit, et tempus ad illum gradum per Statuta requiſitum compleverit,) quod ante habitam Concionem ad Gradum Baccalaurei in Sacra Theologia, citra ullam diſpenſationem eo nomine petendam, admitti ipſum licebit. Et in initio cujuſque Termini ac in Die Cineris in Capite Jejunii, coram Baccalaureis Determinaturis, Caputia (obverſo Rhenone, ſeu pelle agnina) geſtantibus, et pro more in Scamnis Magiſtrorum ſedentibus, Concio Latina habeatur, quam ſeriatim obire

tenentur

tenentur S. Theologiæ Profeſſores, et alii in Theologia Graduati, ſacris Ordinibus initiati; aut vice illorum alii, (ejuſdem conditionis quam Statutum requirit) per Vice-Cancellarium approbandi.

§. 5. *De Concionibus Anniverſariis habendis extra Templum Beatæ Mariæ.*

CUM Collegiorum quorundam Statuta, et cum Benefactoribus conventiones, requirant, ut in quibuſdam Collegiis Conciones publice coram Univerſitate habeantur; Statutum eſt, quod, prout fieri conſuevit, in Collegiis hic nominatis, ſtatis quibuſdam diebus Conciones publicæ habeantur.

Nimirum in Eccleſia Cathedrali Ædis Chriſti, in Natali Domini, in die Paſſionis Dominicæ, et in Feſto Aſcenſionis Dominicæ.

In Collegio Beatæ Mariæ Magdalenæ, in Feſto S. Marci Evangeliſtæ, et in Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

In Collegio Novo, in Feſto Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, et in Dominica Trinitatis.

In Collegio Mertonenſi, in Feſto Sanctorum Philippi et Jacobi, et in Dominica prima menſis Auguſti.

In Eccleſia S. Petri in Oriente, in Feſto Sanctorum Simonis et Judæ, per aliquem e Collegio Univerſitatis.

§. 6. *De Concionatoribus approbandis.*

STatutum eſt, [1] quod in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ, aut alibi coram Univerſitate, vel intra Præcinctum ejuſdem, nemo concionari præſumat, niſi qui ſaltem Magiſter in Artibus ante quatuor annos, aut Baccalaureus Juris ante ſex annos fuerit, ſacris inſuper Ordinibus initiatus; quique judicio Vice-Cancellarii aliquando approbatus, ſub Chirographo ipſius id ipſum teſtatum habeat.

Si quis ſecus fecerit, mulctetur toties quoties viginti ſolidis.

§. 7. *De præmonendis Concionaturis, et pœna eorum qui deficiunt.*

STatutum eſt, quod concionaturi [2] Anglice, ante ſex ſeptimanas; [3] Latine vero, ante tres menſes præmoneantur, per Bedellum ſuperiorem S. Theologiæ, ſi in Univerſitate præſentes fue-

1 KK. 314. b. 2 L. 241. b. et 289. 3 KK. 308. a.

rint:

rint: ſin minus, Schedula, tempus quo quis concionaturus ſit indicans, penes Præfectum Ædis ejuſve Deputatum relinquatur. Ad has autem Conciones ſeriatim habendas teneantur non ſolum ii qui actu in Univerſitate commorantur, verum etiam quotquot nomina ſua in promptuarii Libro Collegii cujuſvis vel Aulæ inſcripta habent. Quod ſi præmonendum quempiam (ſive abſentem ſive præſentem) ad tempus præſtitutum non affuturum, vicibuſque ſuis non functurum, quoquo modo reſciverit Bedellus, id ipſum ſub pœna 10s. teneatur Vice-Cancellario protinus renunciare, qui, ne Concio tempore deſtinato habenda intercidat, proximo debite præmonito ſub eadem pœna concionandi neceſſitatem imponet: Quod ut commodius fiat, Bedellus aliquot dierum ſpatio ante tempus præmonendis concionaturis aſſignatum teneatur, ſub eadem pœna, conditionem cujuſque proxime monendi explorare, utrum ſcilicet ad tempus præſtitutum affuturus, parteſve ſuas impleturus, videatur.

Si quis ſic præmonitus defecerit, et nec per ſe nec per alium Concionem habuerit, Quadraginta Solidis Univerſitati mulctetur. Et inſuper alias, per Vice-Cancellarium debite præmonitus, Concionem habere per ſe vel per alium teneatur, ſub pœna dupli.

Quam pœnam ſimiliter incurrat Bedellus prædictus, ſi quem culpa illius, (prout oportuit, non præmonentis,) deficere contingat.

§. 8. *De Commemoratione publicorum Univerſitatis Benefactorum, præ Concionibus ſolennibus intra Univerſitatem habendis.*

STatutum eſt, quod in Precatione ante Conciones Latinas cujuſque Termini initiales; item in Concionibus ante et poſt meridiem in Comitiis; etiam in Feſtivitate Inaugurationis Regiæ, et coram Judicibus ſive Juſtitiariis Aſſiſarum; per quemcunque Univerſitatis noſtræ Oxonienſis concionaturum, expreſſa et grata fiat Commemoratio publicorum Univerſitatis Oxonienſis Benefactorum; ſcilicet, Illuſtriſſimi Principis *Humfredi* Gloceſtriæ Ducis, *Johannis Kempe* Cantuarienſis Archiepiſcopi, *Thomæ Kempe* Londinenſis Epiſcopi, *Margaretæ* Comitiſſæ Richmondiæ, *Henrici* VII. et *Elizabethæ* Uxoris ejus, *Richardi Lichfield* Archidiaconi Middleſexiæ, *Thomæ Woolſey* Cardinalis et Archiepiſcopi Eboracenſis, *Henrici* VIII. *Mariæ* Reginæ, *Elizabethæ* Reginæ, *Jacobi* Regis, *Thomæ Bodleii* Militis, *Henrici Savilii* Militis, *Gulielmi Sidley* Militis, *Nicolai Kempe* Militis, *Thomæ White* S. Theologiæ Doctoris,

Gulielmi

Gulielmi Cambdeni Armigeri, *Caroli* I. Regis et Martyris, *Gulielmi Laud* et *Gilberti Sheldon* Archiepiſcoporum Cantuarienſium, *Henrici* Comitis de Danby, *Georgii* I. Regis, *Johannis Radcliffe* Medicinæ Doctoris, *Nathanielis* Baronis Crew, Epiſcopi Dunelmenſis, *Caroli Viner* Armigeri: vel cujuſcunque alterius, quem poſthæc in Album Benefactorum referre Univerſitati placebit: ſub pœna decem ſolidorum, toties quoties. Alias vero ipſos commemorare, nemo (utcunque juratus antehac) teneatur.

§. 9. *De Offenſionis et Defenſionis materia in Concionibus evitanda.*

STatutum eſt, quod ſi quis pro Concione aliqua, intra Univerſitatem ejuſve Præcinctum habita, [1] quicquam Doctrinæ vel Diſciplinæ Eccleſiæ Anglicanæ publice receptæ diſſonum aut contrarium, aut publica auctoritate, ad tempus vel aliter, prohibitum, protulerit, ſive protuliſſe ab ipſo Vice-Cancellario ſuſpectus, vel ab alio aliquo, rationabilem ſuſpicionis cauſam afferente, delatus fuerit; Quod poſtulanti Vice-Cancellario, ſive ejus Deputato, Concionis ſuæ verum exemplar, eiſdem terminis conſcriptum, virtute juramenti tradet; vel, ſi prætendat ſe exemplar non habere, de iis, de quibus ſuſpectus vel delatus fuit, directe virtute juramenti reſpondebit.

Deinde vero Vice-Cancellarius, ſive ejus Deputatus, verbis ſenſuve eorum, quæ in quæſtionem vocatur, in medium prolatis, et rite perpenſis, adhibito conſilio ſex aliorum S. Theologiæ Doctorum, (quorum unus ſit S. Theologiæ Profeſſor Regius, ſi Concioni interfuerit) ſi quem criminis objecti reum invenerit, eum pro arbitrio vel a munere prædicandi intra præcinctum Univerſitatis ſuſpendet; vel ad ea, quæ protulit, recantandum adiget. Sin verba ad ſeditionem aliquam in Univerſitate, vel Societate, ſive Communitate aliqua excitandam, Vice-Cancellario tendere videantur, ipſe ſolus [2] Vice-Cancellarius, adſcito ſibi uno aliquo S. Theologiæ Doctore, qui interfuit, Incarceratione, Mulcta pecuniaria, vel Recognitione publica (prout ipſi videbitur) puniat: et prædictorum criminum ſuſpectus, perturbatæ pacis reus habeatur.

1 N. 41. 2 KK. 314. b.

§. 10.

§. 10. *De Officiis Divinis ſeu Precibus ſolennibus juxta Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, et Concionibus publicis, frequentandis.*

STatutum eſt, quod ad Officia Divina, ſive Preces ſolennes juxta Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, et Conciones publice coram Univerſitate habendas, omnes Doctores, Magiſtri, Graduati et Scholares, diligenter accedant, et eiſdem debita cum reverentia et attentione, quoad peractæ fuerint, a principio uſque ad finem interſint.

Nec [1] quiſquam, dum ejuſmodi Divina Officia et Conciones coram Univerſitate habentur, ad aliam Eccleſiam, vel Eccleſias, divagari permittatur: ſub pœna caſtigationis corporalis Junioribus, quibus per gradum et ætatem convenit; vel alias, 3 s. et 4 d. infligenda.

Ad Latinas autem Conciones pro initiis Terminorum [2] ſinguli Collegiorum et Aularum Præfecti, univerſo Studioſorum ſuorum cœtu, Habitu ſcholaſtico et Gradui competente indutorum, concomitati accedant.

Quod idem, quotieſcunque alicui ex prædictis Præfectis, ante meridiem in Dominica quavis intra Terminum, concionandum fuerit, præſtari atque obſervari præcipimus.

1 N. 41. 2 B. 118. a.

TITULUS XVII.

DE OFFICIARIIS UNIVERSITATIS.

SECTIO I.

DE CANCELLARIO.

§. 1. *De Cancellarii Electione et Admiſſione.*

STATUTUM eſt, quod quotieſcunque Officium Cancellarii Univerſitatis vacare certo innotuerit, Vice-Cancellarius (ad quem vacante Cancellarii Munere omnis Auctoritas Cancellarii recidit) ad Electionem novi Cancellarii, quamprimum commode fieri poterit, per Scrutinium procedet, juxta formam [1] ſuperius, de Electionibus in Domo Convocationis celebrandis, deſcriptam.

Confeſtim autem poſt Electionem Cancellarii peractam, Inſtrumentum Electionis, ſub Sigillo communi Univerſitatis, Cancellario ſic electo (ſi in Univerſitate præſens fuerit) in ſolenni Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium Convocatione, quamprimum fieri poterit, una cum Officii Cancellariatus Inſignibus, ſcilicet, Statutorum Libro, Clavibus, Sigillo Officii, Bedellorum Faſcibus ſive Baculis, per Vice-Cancellarium, et ſeniorem Procuratorem, exhibeatur. Vel (ſi in remotis agat) per eoſdem, una cum aliis Delegatis per Univerſitatem amandandis, in ſolenni Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium Convocatione, extra Univerſitatem (ut moris eſt) celebranda, inter cæteras Solennitates de more peragendas, eidem Inſtrumentum Electionis præſentetur et tradatur. A quo quidem Cancellario, in ſua ad Officium admiſſione, Vice-Cancellarius hujuſmodi Juramentum corporale exiget.

1 Tit. X. Sect. 2. §. 6.

"Inſig-

"Inſigniſſime et Honoratiſſime &c. Tu dabis fidem, quod omnia et ſingula Statuta, Libertates, Conſuetudines, Jura et Privilegia iſtius Univerſitatis, quacunque partialitate remota, indifferenter, bene, et fideliter, quantum in te fuerit, et ad tuam notitiam devenerint, durante Officio tuo, tueberis et conſervabis. Item quod ea omnia fideliter exequeris, quæ ad Officium ſummi Univerſitatis Cancellarii ſpectant. Sicut Deus te adjuvet, &c."

§. 2. *De Officio, Poteſtate, et Auctoritate Cancellarii.*

ETSI Univerſitas et Civitas Oxonienſis ſuis a ſe invicem Juribus et Magiſtratibus diſtinguantur, ea tamen eſt Cancellarii Prærogativa, ut non ſolum totius Univerſitatis, ſibi ſoli, ſub Domino Rege, concreditæ et commiſſæ, peculiarem habeat Cuſtodiam; ſed etiam totius quoque Municipii ſive Civitatis Oxonienſis, et Suburbiorum ejuſdem, communem cum Prætore urbano Cuſtodiam obtineat; Legeſque cum conſenſu Univerſitatis condere poſſit, quæ Burgenſes etiam ſive Oppidanos, eorumque Communitatem, in ordine ad Univerſitatem, obligandi vim habeant.

Cæterum quoad Academiam, ejuſque Regimen, Cancellarii munus eſt, publicum totius Univerſitatis Regimen curare; Libertates et Privilegia ejus tueri, necnon Concordias et Compoſitiones quaſcunque ſuper iiſdem, cum conſenſu Univerſitatis, inire ac ſtabilire.

Congregationes Regentium, necnon Regentium et non Regentium, convocare, in quibus nihil ſine ipſius aut Vice-Cancellarii ſui conſenſu proponi, aut ſuffragiis permitti, fas eſt. Homines dignos, qui Statutis Academiæ requiſita compleverunt, ad Gradus Scholaſticos promovere, et indignos Moribus aut Scientia ab iiſdem repellere.

Controverſias omnes circa Cauſas Civiles, Spirituales, et Criminales, intra Univerſitatem terminabiles, pertinentes ad Scholares, vel Perſonas ſive utrinque ſive ex altera tantum parte Privilegiatas, audire, dirimere, ac terminare; Foris-facturas et Amerciamenta inde provenientia Univerſitati applicare.

Commiſſarium ſuum Generalem, ſive Vice-Cancellarium, aut Locum-tenentem, annuatim nominare.

Seneſchallum Academiæ et Sub-ſeneſchallum, quoties eorum Officia vacaverint, eligere. Curias et Leetas (quæ et Viſus Franci

Plegii dicuntur) Dies Faſtos et Juridicos Univerſitatis (vulgo *Law-days*) celebrare ac tenere.

Unum e Clericis Mercatus annuatim nominare, ſeu eligere.

Item contra Statutum Univerſitatis delinquentes, pœna corporali, mulcta pecuniaria, incarceratione, degradatione, ſuſpenſione Graduum, diſcommunicatione, proſcriptione, bannitione ſive expulſione ab Academia, cenſuris Eccleſiaſticis, aut quocunque alio modo rationabili (prout qualitas delicti exiget, et quatenus Statutis et Privilegiis Univerſitatis permiſſum eſt,) reſpective punire. Delicta contra quæ ſpeciali nullo Statuto cautum eſt, vel quibus nulla per Statuta irrogatur pœna, pro arbitrio (ſive in Judicio ſive extra) punire. Etiam quoad interdictum, quo Oppidani a commercio cum Scholaribus et Perſonis Privilegiatis arcentur, vel Privilegiatis Perſonis Privilegio interdicitur (ſi delictum ipſius judicio mereri videbitur) protinus hoc Diſcommunicationis fulmen vibrare, nec præviarum mulctarum, quas poſcunt Statuta, præludia morari.

Ordinationes etiam et Statuta, (poſcente ſic uſu) cum conſenſu Univerſitatis ſancire; vel ſancita abrogare.

Aularum Regimen et Adminiſtrationem earundem, ut peculiarem ſibi curam, in ſe ſuſcipere, eumque in finem (quoties commodum ſive videbitur) eaſdem viſitare, et de Præfecturis earundem diſponere.

Incorporationes Artificum intra Univerſitatis Præcinctum, cum conſenſu ejuſdem, conſtituere. Oenopolis inſtruendi Oenopolia Licentiam, ſua ſolius vel Vice-Cancellarii auctoritate, concedere; modo poſt præſentes Oenopolas ad numerum ternarium fato vel alio quovis modo redactos (prout duos quoſvis ex ipſis priores fato fungi aut Oenopolio cedere contigerit) ne pluſquam tria Oenopolia permittat, nec Licentiam Oenopoliæ cuivis concedat pro ulteriori termino, quam durante vita naturali ipſius Oenopolæ. Quorum alterutrum ſi fecerit, ſciat hujuſmodi Licentiam ipſo facto irritam eſſe ac nullam.

Juramentum annuum a Burgenſibus, nec non Vice-comite, et Sub-vice-comite, Comitatus Oxonienſis exigere. Et ſi quæ alia fuerint Cancellariatus Officio ſecundum Statuta, Conſuetudines, et Privilegia Academiæ, peculiariter annexa, ea omnia et ſingula, pro ratione Officii ſui prædicti, exequi et exercere.

SECTIO

SECTIO II.

DE SENESCHALLO ET SUB-SENESCHALLO UNIVERSITATIS.

§. 1. *De Electione et Officio eorum.*

QUoties Seneſchalli aut Sub-ſeneſchalli Univerſitatis Officium vacare contigerit, ſolius Cancellarii eſt alios ipſis Succeſſores, per Literas ſuas Patentes (totius etiam Univerſitatis auctoritate comprobandas) ad terminum vitæ, deſignare.

Seneſchalli autem Officium eſt, Jura, Conſuetudines, Libertates, ac Francheſias Univerſitatis, præcipue ad Officium Seneſchalciæ ſpectantia, tueri, ac defendere.

Cancellario ejuſve Vice-Cancellario, ac Procuratoribus, in executione Munerum ſuorum, ad eorum requiſitionem aſſiſtere.

Seſſiones ſuper Cauſis Capitalibus Perſonarum Privilegiatarum, et per Cancellarium calumniatarum, quæ proprie ſub Cancellarii cognitionem non cadunt, (quemadmodum Proditio, Felonia et Mutilatio membrorum) ad ejuſdem Cancellarii Mandatum (ſecundum Formam in Privilegiis Univerſitatis deſcriptam) tenere; cauſaſque hujuſmodi coram ipſo dependentes, ſecundum Jura Regni, et Privilegia Univerſitatis, audire ac terminare.

Leetas denique, ſive Curias Viſus Franci Plegii Univerſitatis, ad ipſius Cancellarii, ſive Vice-Cancellarii aſſignationem, (et non aliter) per ſe, vel per Sub-ſeneſchallum ſuum, nomine totius Univerſitatis tenere et celebrare.

Cujus Muneris nomine, annuum quinque Librarum Feudum ab eadem Univerſitate recipiet.

Qui in ſua ad id Officii admiſſione, exigente Cancellario vel Vice-Cancellario, ſuper Statutis, Privilegiis, Libertatibus, Juribus, Francheſiis, et Conſuetudinibus Univerſitatis defendendis, necnon iis omnibus, quæ ad Officium Seneſchalli Univerſitatis Oxonienſis pertinent, aut pertinere poterunt, bene et fideliter, quantum in ipſo fuerit, et quantum ad ipſius notitiam et cognitionem pervenerint, exequendis, Corporale Juramentum præſtabit.

SECTIO III.

DE VICE-CANCELLARIO.

§. 1. *De Cancellarii Commiſſario Generali, ſive Vice-Cancellario, ejus Nominatione, et Admiſſione; ac de Deputatis ipſius.*

CUM officium Vice-Cancellarii, qui pro Anno duntaxat deſignari conſuevit, expirare contigerit, conceſſum eſt Cancellario qui pro tempore fuerit, eundem denuo, vel alium quemcunque Collegii Præfectum, in ipſius Succeſſorem nominare; qui ſic nominatus Officium delatum non recuſare virtute Juramenti tenebitur. Admiſſionis autem forma hæc eſto.

Vice-Cancellarius, receptis Cancellarii Literis, quibus ſequentis Anni Vice-Cancellarium deſignat, intra congruum tempus poſt Comitia, indicta Convocatione, eas Literas ſeniori Procuratori palam recitandas tradet: quibus perlectis, et Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium aſſenſu rogato, Vice-Cancellarius pauca de Officiio ſuo et rebus geſtis illius Anni præfatus, Statutorum Libro, Clavibus, et Officii Cancellariatus Sigillo, (Officii ſui Inſignibus) in manus Procuratorum depoſitis, Succeſſori cathedram relinquit.

Tum vero novus Vice-Cancellarius (exigente Procuratore ſeniore) Juramentum, primum de Primatu Regio agnoſcendo, nec non de Allegiantia; deinde vero aliud ſub hac forma præſtat.

1. "Inſigniſſime, &c. Tu dabis fidem ad obſervandum Statuta, Privilegia, Libertates, et Conſuetudines iſtius Univerſitatis.

2. Item tu dabis fidem, quod ea omnia fideliter exequeris quæ ad Officium Vice-Cancellarii ſpectant. Sicut Deus te adjuvet," &c.

Simul et Inſignia Officii per manus Procuratoris recipit, et conſcenſa Cathedra, brevi habita oratione, priuſquam Cœtum dimittat, Procuratori ſeniori in manus tradit Schedulam continentem nomina quatuor Præfectorum Collegiorum, quos ſibi Deputatos adſciſcere placuerit, ſecundum ſenioritatis ordinem ipſius vicibus functuros, quoties Vice-Cancellarium ex neceſſaria et urgenti cauſa abeſſe

abeſſe contigerit. Qui ſi præſentes fuerint, (exigente Procuratore ſeniore) idem Juramentum, quod ipſe Vice-Cancellarius, illico præſtabunt; ſin minus, in proxima Congregatione: ad quod utique præſtandum, et Deputati Munus in ſe recipiendum, fide ſua data huic Univerſitati teneri ſe noverint.

Quibus peractis, primo ſuperioris Anni Vice-Cancellarium, Doctoribus et Magiſtris concomitantibus, Domum deducit; deinde ab iiſdem, Habitu Gradui competente indutis, Domum deducitur.

§. 2. *De Auctoritate et Officio Vice-Cancellarii.*

STatutum eſt, quod, quicquid de conſuetudine vel Statutis Univerſitatis Cancellario, cum præſens fuerit, permittitur, hoc idem, in ejus abſentia, a Vice-Cancellario fieri poſſit; niſi quod, in negotiis momenti ac ponderis, Cancellarii, etiam abſentis, judicium ſit conſulendum.

Illius autem Officio incumbit, in Univerſitate reſidere; niſi, negotiis Univerſitatis ſic requirentibus, vel urgente occaſione aliqua privata, abeſſe neceſſum habeat.

Ipſius etiam eſt, ut Conciones, Prælectiones, et Diſputationes, et omnia ordinum exercitia, debite peragantur, atque ut iiſdem cæteri (quotquot intereſſe tenentur) habitu et more decenti interſint, proſpicere. Ut non niſi digni Moribus et Doctrina ad Gradus Academicos promoveantur. Ut omnes contra Statuta Univerſitatis delinquentes, vel inhoneſte viventes, præſertim ſcandaloſi, contumaces, ſeditioſi, et Pacis Perturbatores ſevere puniantur; quem in finem ſciat Muneris ſui eſſe aliquoties, tum de die, tum de nocte, tales delinquentes diligenter inquirere: Et ut Hæreticos, Schiſmaticos, et quoſcunque alios minus recte de fide Catholica, et Doctrina vel Diſciplina Eccleſiæ Anglicanæ, ſentientes, procul a finibus Univerſitatis amandandos curet.

Quem in finem, quo quiſque modo erga Doctrinam vel Diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ affectus ſit, Subſcriptionis criterio explorandi ipſi jus ac poteſtas eſto. Quod ſi quis S. Ordinibus initiatus (ſive Præfectus Domus cujuſvis, ſive alius quis) Articulis Fidei et Religionis, a Synodo Londini A. D. 1562. editis et confirmatis; nec non tribus Articulis comprehenſis Canone XXXVI°. Libri Conſtitutionum ac Canonum Eccleſiaſticorum, editi in Synodo Londini cœpta A. D. 1603, ſubſcribere a Vice-Cancellario, requiſitus,

requiſitus, ter abnuerit ſeu recuſaverit; ipſo facto ab Univerſitate exterminetur et banniatur. Eadem eſto pœna Beneficiati cujuſvis in Univerſitate commorantis, qui ab Epiſcopo Diœceſeos requiſitus ſubſcribere recuſaverit.

Quod ſiquis de Schiſmate ſuſpectus, Vice-Cancellarii judicio, aſſidentibus ipſi Præfectis in Ordinario ipſorum Conventu, reus hujus criminis compertus fuerit; pro prima vice, mulcta pro arbitrio Vice-Cancellarii ipſi irroganda erit. Sin obſtinate in errore perſeveraverit, iterumve ad Vice-Cancellarium hoc nomine delatus fuerit; præter mulctam, arbitrio Vice-Cancellarii irrogandam, erroris ſui veniam, flexis genibus, ſuppliciter petet, eique palam in Domo Convocationis renuntiabit. Quod ſi recuſaverit, aut rurſus in eodem genere deliquerit, banniatur.

Utque tam Conciones quam Libri, quibus male-ſanæ opiniones propagantur, cohibeantur. Ut Procuratores, et alii Officiarii, Servientes, et Miniſtri Univerſitatis, officiis et muneribus ſibi commiſſis ſedulo fungantur. Ut Bona communia ipſius Univerſitatis, tam mobilia quam immobilia; et Scripturæ, ſive Evidentiæ et Munimenta, eodem ſpectantia, præſertim vero authenticæ Chartæ, necnon Libri de Privilegiis Univerſitatis iſtius, ſumma fide inviolabiliter conſerventur. Ut Curiæ, et Tribunalia publica, pro dignitate Univerſitatis debite celebrentur, ac teneantur; omneſque Rotulæ ac Schedulæ, ad hujuſmodi Curias pertinentes, diligenter conſerventur.

Ut annua Majoris et Oppidanorum, necnon Vice-Comitis, et Sub-vice-Comitis Oxonienſis Juramenta, Univerſitati præſtanda, exigantur. Ut, quæ ad communis Fori procurationem, Cibariorum et Victualium copiam, ſalubritatem, et aſſiſam, vicorum Urbis, et Suburbiorum ejuſdem, munditiem cultumque pertinent, curentur. Ut Lites, quæ in Curia ipſius Commiſſarii tractantur, ſummarie, ſimpliciter, et de plano, abſque ſtrepitu et figura Judicii, ſola veritate inſpecta, abſque mora et dilatione (quantum fieri poteſt) audiantur, et decidantur, et executionem inde debitam ſortiantur. Ut Aulæ et Hoſpitia Scholarium ac Studentium, de tempore in tempus, quoties opus fuerit, juxta Privilegia ac Libertates Univerſitatis, debito modo viſitentur. Denique ut, quæ ad Honorem Univerſitatis, ſalutem et utilitatem communem et ſingulorum, et profectum literarium conducunt, omni ſtudio et ſolicitudine, tum ipſius, tum aliorum quorum intereſt, procurentur et expediantur.

§. 3.

§. 3. *De Computo Vice-Cancellarii et Salario.*

STatutum eſt, quod Vice-Cancellarius, quolibet Anno [1] intra menſem poſtquam Officio ceſſit, de omnibus acceptis et expenſis in uſum Univerſitatis, coram Auditoribus ad rationes accipiendas delegatis, plenum, integrum, et fidelem computum edat; et ſuper eo Apocham Auditorum manibus ſubſcriptam obtineat. Quodque pro labore et induſtria, in Officio ſuperioris Anni adhibitis, ſumma [2] decem Librarum, de pecuniis Univerſitatis numerandarum, eidem allocetur.

SECTIO IV.

DE PROCURATORIBUS UNIVERSITATIS.

§. 1. *De priſtina Procuratores eligendi Forma abrogata, et nova per Sereniſſimum Regem* CAROLUM *invecta.*

QUoniam ex antiquitus uſitato Procuratores per Scrutinium eligendi more multa mala et incommoda, retroactis temporibus, et non ita pridem, in hac Univerſitate exorta eſſe uſu compertum eſt, quæ Univerſitas ipſa per ſe, quantacunque providentia, de medio tollere aut removere non potuit; viſum eſt Sereniſſimo Regi CAROLO, huic rei, hac in parte, manum medicam gratioſe admovere; et, Electione per Scrutinium (ut olim) abrogata, cum conſenſu totius Univerſitatis novam Electionis Procuratorum Formam (pacatiorem illam quidem, et modernis temporibus magis accommodatam) ſcilicet per Vices, et ordinem Collegiorum ſeriatim inſtituere; interpoſitis quibuſdam ſuper hoc negotio [3] Statutis, inviolabiliter in perpetuum obſervandis.

1 L. 241. b. 2 I. 183. a. 3 Vid. Append.

§. 2. *De novorum Procuratorum ad Officia ſua Admiſſione.*

STatutum eſt, quod tempore et loco, juxta Statuta Carolina præſtitutis, ſuperioris Anni Procuratoribus in Domo Convocationis Sellas ſuas capeſſentibus, exſurgens Senior Procurator geſta illius Anni, quæcunque occurrerint memoratu digna, brevi Oratione percenſebit; deinde uterque Officiorum ſuorum Inſignia (ſcilicet Statutorum Libros, et Clavium faſciculos) coram tota Convocatione deponet.

Mox novi Procuratores, (prius a Collegiis ſuis per Præfectos, reliquis comitantibus, et præeunte Bedellorum altero, Habitu Gradui et Officio competente, ſolenniter ad Eccleſiam B. Mariæ deducti) Domino Vice-Cancellario per Collegiorum ſuorum Præfectos, eorumve Deputatos, ad Officia ſua hac Forma, et præciſe ſub his terminis, præſententur.

"Inſigniſſime [1] Domine Vice-Cancellarie, præſento tibi hunc egregium Virum A. B. in Artibus Magiſtrum, e Collegio N. ſecundum Ordinationes Sereniſſimi Regis, Caroli, in alterum Procuratorem iſtius Univerſitatis Electum, ut ad Munus Procuratorium iſtius Univerſitatis, in Annum ſequentem, obeundum admittatur."

Tunc vero Dominus Vice-Cancellarius (Juramentis prius, de Primatu Regio agnoſcendo, necnon Allegiantia, per ipſos præſtitis) utrumque eorum hoc Juramento corporali onerabit.

1. "Magiſter, tu dabis fidem ad obſervandum omnia Statuta, Privilegia, Libertates et Conſuetudines iſtius Univerſitatis.

2. Item [2] tu jurabis, quod ea omnia et ſingula quæ ad Officium (Senioris vel Junioris) Procuratoris iſtius Univerſitatis ſpectant, bene, et fideliter, et indifferenter, quatenus te et Officium tuum concernunt, omnimoda partialitate ſepoſita, durante tuo Officio, exequeris; et executionem eorundem per Deputatos tuos, quantum in te eſt, procurabis."

Deinde propriis, unicuique ipſorum, Officiorum ſuorum Inſignibus traditis, ſcilicet Statutorum Libris et Clavibus, eoſdem ad Officia ſua præciſe ſub hac Forma admittet.

"Egregie Magiſter, Ego Auctoritate mea, et totius Univerſitatis, admitto Te ad Officium Procuratoris iſtius Univerſitatis in An-

1 R. 21. a.

num

num ſequentem; necnon ad reliqua omnia præſtanda et peragenda, quæ ad Munus vel Officium Procuratoris ſpectant." Mox acceptis Officiorum Inſignibus Procuratorum Stellas capeſſent. Deinde quatuor Magiſtros (qui quatuor annos ab admiſſione ſua ad Regendum compleverint) quos ſibi Deputatos adſciſcere placuerit, ſinguli binos, nominabunt. Qui ſi præſentes fuerint, illico, exigente Vice-Cancellario, eodem quo ipſi Procuratores Juramento aſtringentur; alioqui, in proxima Congregatione. Quorum muneris erit, inter alia, Concionum tempore Plateas, Vicos, Popinas et Oenopolia perluſtrare, quo tempore præcipue Juniores ſecure et licenter Plateas obambulant, ocreati et galeros induti.

Dimiſſa autem Convocatione, Procuratores, una cum omnibus Magiſtris, Caputiis obverſis, Vice-Cancellarium Domum ſuam deducent; deinde omnes Magiſtri utrumque Procuratorem, primo Seniorem, dein Juniorem, Bedellis præeuntibus, ad Collegia ſua deducent.

§. 3. *De Officio et Auctoritate Procuratorum.*

PRocuratorum Munus eſt, (id quod nomen ipſum indicat) negotia Univerſitatis, Rationeſque procurare: Delegatos in quibuſcunque negotiis, necnon Judices in cauſis Appellationum, dare: Debent inſuper Procuratores, in [1] ſingulis Caſibus in Univerſitate tractatis, ipſi Cancellario, ſive ejus Commiſſario, Aſſeſſores eſſe, et unus Judex ad inhibendum in Cauſis Appellationum. In [2] Scrutiniis vota ſuffragantium excipere, et, inito Suffragiorum numero, ſecundum eum pronuntiare, in quem major ſuffragantium numerus conſenſerit; in licentiandis Baccalaureis cujuſcunque Facultatis Vice-Cancellario aſſidere, et Depoſitiones excipere: necnon eoſdem, et Inceptores quoſcunque, Juramentis, tum de præterito, quoad præſtita, tum de futuro, quoad præſtanda, onerare; ac inſuper Juramentum in Primatu Regio agnoſcendo, et de Fidelitate præſtanda, a ſingulis exigere. Auditores in Computis, Actores et Diſputantes in Comitiis et Veſperiis, Cantatores in Officiis Divinis in initiis Terminorum, vel alias, deſignare. Literas ad Academiam miſſas legere: nomina abjurantium villam, ſeu Bannitorum, necnon Perturbatorum Pacis publicæ, et aliorum hujuſmodi

1 A a. 89. b. B. 74. a. C. 59. b. 2 A. 107. a. B. 56. a. C. 33. a. D. 10. b.

crimina perpetrantium (quæ Graduum ſuſpenſione, aut negatione, ſecundum Statuta Univerſitatis, punienda ſunt) Regiſtro peculiari (penes Seniorem Procuratorem adſervando) ſecundum ſeriem Alphabeti inſerere: quod Regiſtrum in ſingulis Congregationibus præſto eſſe, ac demum, finito Anno, ad ſuccedentem Procuratorem tranſmitti oportet. Chartas ac Munimenta Univerſitatis diligenter cuſtodire; Urbe raro, nec ſine urgente aliqua occaſione, excedere. Exercitiis et Actibus Scholaſticis frequenter intereſſe, utrum omnia rite ſecundum Statuta præſtentur, exploraturi. Quem in finem, eos, quos Exercitiis intereſſe Statuta requirunt, crebro citare nominatim tenentur; non obſtante qnod Vice-Cancellarius, quandocunque videbitur, eodem munere fungatur. Noctivagos, (impetrata prius, in introitu Muneris ſui, a Vice-Cancellario venia) diligenter inveſtigare. Deinde in ſingulos, Statuta, Conſuetudines, et Privilegia Univerſitatis violantes, anxie inquirere, et ſevere animadvertere; Juniores quidem, infra gradum Baccalaurei in Jure, aut Magiſtri in Artibus, increpando, caſtigando, mulctando, incarcerando, quemque reſpective, prout Statuta requirunt: ab aliis vero mulctas ſecundum Statuta exigendo; quas exigendi non ſolum poteſtas, verum etiam officium, juxta antiquas Academiæ conſuetudines ipſis incumbit. Eoque ſi in mulctis exigendis remiſſiores fuerint Procuratores, tenetur Vice-Cancellarius, quaſcunque non exactas reſciverit, ipſorum Capiti irrogare in Computo ipſorum; miſſo ad Auditores Computi Catalogo Delictorum, quæ impune abire paſſi ſunt Procuratores. Mulctæ vero in uſum Univerſitatis cedere intelligendæ ſunt, quotquot vel expreſſe addicuntur Univerſitati, vel indefinito irrogantur. Et in gravioribus delictis, ad Vice-Cancellarium nomina delinquentium deferendo.

§. 4. *De Famulis Procuratorum.*

QUIA compertum eſt aliquando, Procuratorum Famulos, non ſolum negligenter Officium ſuum præſtare, ſed etiam, pecuniis corruptos, delinquentes non detegere, immo etiam in delictis fovere: Statutum eſt, quod, quicunque eorum negligenter Officio ſuo fungitur, per Herum ſuum ab ejus ſervitio et famulatu amoveatur: ſin autem pecuniis corruptus fuerit, et legitime ſuper hoc convictus ſit, per Vice-Cancellarium ab Univerſitate expellatur.

§. 5.

§. 5. *De Computo Procuratorum.*

STatutum eſt quod Procuratores in Rotulo omnia accepta et Expenſa nomine Univerſitatis fideliter deſcribant; et quod non liceat eis, in uno Anno, ultra Summam Decem Librarum in excipiendis Cantabrigienſibus et Extraneis de Bonis Univerſitatis, ex permiſſu Commiſſarii et Regentium, expendere: quam Summam ſi exceſſerint, de proprio expendiſſe intelligantur, etiamſi Expenſæ in utilitatem Academiæ ceſſerint.

Intra [1] quindecim vero dies, ex quo Officiis ſuis ceſſerint, tam Bonorum et Pecuniarum, quam [2] Chartarum et Munimentorum ad Univerſitatem ſpectantium, coram Auditoribus ad audiendum Computum ſuum delegatis, fidelem Computum reddant; et ſuper eo Apocham etiam, Auditorum manibus ſubſcriptam, obtineant.

Et ſi in Ære Univerſitatis diſceſſerint, intra unius Hebdomadis ſpatium, ſub pœna dupli, ſatisfaciant.

Ipſis vero, [3] pro Laboris ſtipendio, Summa Sex Librarum, 13 s. 4 d. cedat, inter ipſos annuatim dividenda.

SECTIO V.

DE ELECTIONE ET OFFICIO MAGISTRORUM SCHOLARUM.

CUM Procuratoribus ipſis, juxta antiquas Conſuetudines Academiæ, competat Scholis ac Diſputationibus Artiſtarum præeſſe; ad eoſdem quoque de Jure pertinet, ſtatim a prima ipſorum ad Munus Procuratorum Admiſſione, ex Magiſtris, quatuor annorum ad minimum, duos Scholarum Magiſtros, qui illorum in Scholis vices ſuppleant, nominare, et Scholarum curam eiſdem pro illo Anno demandare.

1 A. 106. b. 2 A. 107. a. 3 I. 183. a.

[1] Illorum

' Illorum igitur Munus eſt, primum Diſputationibus Auguſtinenſibus Seniorum Baccalaureorum, in Schola Naturalis Philoſophiæ, alternis vicibus, per ſe et non per alium (niſi de conſenſu Vice-Cancellarii et Procuratorum ſubſtituendum, in caſu ægritudinis aut extremæ alicujus neceſſitatis) in pleno Termino, ſub pœna decem Solidorum, Habitu Gradui competente indutos, præeſſe: Et ut Baccalaurei Facultatis Artium, eo ad diſputandum per Collectores (ſcilicet duos alios e numero Baccalaureorum, per Procuratores ad hoc Munus deputatos) præmoniti, vices ſuas in Diſputando ſuppleant, curare; ac delinquentes hac in parte ipſis Procuratoribus denunciare. Diſputationes atque ipſos Diſputantes moderari, corripere, ſententiam ſuam de Quæſtione propoſita declarare, ac demum concludere.

Item in Parviſiis et Quadrageſimalibus Baccalaureorum Determinantium Diſputationibus, in Scholis Artium, intereſſe ac intendere; Et ne in aliquo, vel circa Quæſtiones ipſas, vel diſputandi Formam, vel contra Bonos Mores aut Pacem Univerſitatis, inter diſputandum peccetur, quantum in ipſis eſt, providere. Speciatim vero, quoad Parviſia, cujuſlibet Reſponſuri Quæſtiones examinare; id ipſum et diem Reſpondendi ſub Chirographo ſuo teſtari; in defectu Reſpondentium pro Forma Bedellis edicere, ut alios moneant ſecundum Statuta pro Termino diſputaturos; quo nomine a ſingulis (præterquam pro Termino Reſpondentibus) ſex denarios recipient.

Denique, in abſentia Procuratorum, in omnibus Diſputationibus Facultatis Artium, non ſolum quoad poteſtatem mutandi Quæſtiones, ſed etiam quoad delinquentes puniendos, Procuratoriam habent Poteſtatem.

Sectio VI.

DE MAGISTRIS VICORUM DESIGNANDIS, ET EORUM OFFICIO.

PRÆTER internos Regentiæ ſuæ actus, quos Magiſtri neceſſario regentes intra Domum Congregationis (ut præfertur) exercent, iidem etiam, tanquam Annui Univerſitatis Officiarii, alios externos Regentiæ ſuæ actus, foris et extra

1 A. 50. b. B. 101. b. C. 122. a.

Domum

Domum Congregationis, exercere tenentur. Conſuetudo enim eſt, quod, incipiente Termino Michaelis, Procuratores univerſum municipii Oxonienſis et Suburbiorum ejuſdem Circuitum, in quoſdam Vicos ſeu Plateas diſtributum, inter aliquot Regentes partiantur, qui Magiſtri Vicorum nuncupantur. Quorum eſt, Pacem Domini Regis et Univerſitatis in eiſdem Vicis (ſiqua tulerit occaſio) cuſtodire; Munditiæ Vicorum, et ne quid incommodi aut detrimenti, ex communibus ſordibus et fimis illic congeſtis oriatur, proſpicere: eoſque, quorum intereſt, hujus rei admonere; et negligentes ſive non curantes, modis quibus poterint, ad remedium adhibendum cogere.

Juniores Scholares, in iiſdem Vicis otioſe, et abſque Habitu ſibi competente, obambulantes, aut commorantes, aut immodeſte ſe gerentes, aut debitam reverentiam Senioribus non exhibentes, corripere et increpare, eoſque, ut ad Aulas et Collegia ſua ſe recipiant, cogere.

Recuſantes autem, et inobedientes, tum Vice-Cancellario et Procuratoribus denunciare, tum a Gradibus Scholaſticis impedire et prohibere, ſecundum Statuta prius poſita, et non aliter.

SECTIO VII.

DE PUBLICO UNIVERSITATIS ORATORE.

QUotieſcunque Publicum Univerſitatis Oratorem, fatis, vel loco, cedere aut amoveri contigerit, Vice-Cancellarius, indicta Convocatione (ſpatio ſaltem viginti quatuor horarum, antequam Electio novi Oratoris habenda ſit) et cauſa Convocationis per Bedellum in ſingulis Collegiis et Aulis publicata, ad alium, vel Artium Magiſtrum, vel Baccalaureum Juris (modo ne ſit ex eadem Domo, unde prior electus fuerat) loco cedentis, vel amoti, aut defuncti ſubrogandum, via Scrutinii procedat.

Electus vero, tempore Admiſſionis ſuæ ad prædictum Munus coram Procuratoribus (ut alii) jurabit, "Quod omnia Statuta, Conſuetudines, ac Libertates et Privilegia iſtius Univerſitatis obſervabit:

ſervabit: Et quod ea omnia et ſingula fideliter exequetur, quæ ad Publici Oratoris Officium ſpectant."

Cujus quidem Officio incumbit, Literas et Epiſtolas ex Decreto Convocationis, vel etiam Congregationis, quoties opus fuerit, conſcribere, et eaſdem in Domo Congregationis et Convocationis palam recitare. In Receptione Principum, Procerum et Magnatum, Academiam inviſentium, necnon in quacunque alia occaſione ſolenni, cum Vice-Cancellario expedire videbitur, Orationes Tempori et Occaſioni accommodatas habere.

Orator in Academia perpetuo reſidere teneatur, niſi ratione infirmitatis, aut urgentis negotii, Vice-Cancellarius cum ipſo ad tempus diſpenſaverit. Quod ſi ægritudo diutius fuerit, aut negotia hujuſmodi, ut eum ab Univerſitate avocent ultra ſpatium quartæ partis Anni (diebus vel continuis, vel interpolatis) procedat Vice-Cancellarius ad Electionem novi Oratoris. Interim tamen, durante infirmitatis, vel abſentiæ, tempore per Statuta indulto, alius, non ab ipſo Oratore nominatus, arbitrio Vice-Cancellarii erit ſubſtituendus.

Sectio VIII.

DE CLERICIS MERCATUS.

QUO melius et auſpicatius provideantur ea quæ ad communis Fori procurationem et gubernationem conducunt, Ordinatum eſt, quod inter cæteros Univerſitatis Officiarios duo Clerici Mercatus, vel e Principalibus Aularum, Artium Magiſtris, vel Baccalaureis S. Theologiæ, Medicinæ, aut Juris, aſſignentur; Unus per ſummum Univerſitatis Cancellarium, Alter per Vice-Cancellarium, in prima Congregatione poſt Feſtum Michaelis Archangeli, annuatim deputandus. Horum Munus eſt, omnia ad Victus neceſſitatem et commodum ſpectantia curare, et, quantum in ipſis eſt, in Aſſiſa Panis, Cerviſiæ et Vini, in Menſuris et Ponderibus, in Annonæ qualitate et pretio, ne qua fraus fiat, providere. Quem in finem tenentur Panis pondus frequenter explorare: Zythepſæ ſive Cerviſiarii uniuſcujuſque Dolia, ſemel ſaltem

ſaltem, quotannis examinare; et ſiquæ a juſta menſura, Statutis Regni præſcripta, deficere compererint, ea confringere vel comburere, præter arbitrariam mulctam ipſi Cerviſiario a Domino Vice-Cancellario irrogandam: Utrum Fœni faſciculis et Pabulo equino juſta conſtet menſura: Utrum Faſces juſtæ magnitudinis ſint: Utrum Carbonariorum Sacci debitæ ſint capacitatis, i. e. quatuor modios contineant; et, ſiqui a juſta menſura defecerint, Saccos quidem ipſos in Foro cremare; Carbones vero inter pauperes partiri.

Denique ipſorum eſt, ut omnia ſuo tempore, et loco, in Foro communi ordinentur, proſtent, ac venum exponantur, proſpicere. Delinquentes autem, ut Regratores, Forſtallatores, injuſtos Tollenagii Exactores, aut hujuſmodi communis Mercatus Depeculatores, accurate inveſtigare, ipſoſque amerciare, vel Vice-Cancellario amerciandos deferre. Quod ſi e querelis ad Vice-Cancellarium allatis conſtiterit Clericos Mercatus Officio ſuo defuiſſe, ſiquidem in Doliis Zythepſarum examinandis negligentes inventi fuerint, mulcta eſto, in ſingulos, decem libræ; in aliis vero rebus ad Munus ſuum pertinentibus, negligentia ipſorum 10 s. in ſingulos, toties quoties, mulctabitur.

Ad illos etiam pertinet Menſurarum et Ponderum, et Sigillorum, omniumque aliorum Inſtrumentorum eo ſpectantium (in Archivis Univerſitatis ad cuſtodiam Standardi repoſitorum) Inventarium conſcriptum penes ſe habere, ac Succeſſoribus ſuis relinquere.

In ſua autem Admiſſione (præter conſuetum de Primatu Regio et Allegiantia Sacramentum) corporale Juramentum, exigente Procuratorum Seniore, præſtabunt; "Quod omnia Jura, Privilegia, Libertates, et Conſuetudines iſtius Univerſitatis obſervabunt."

Item aliud ſub hac Forma. "Magiſtri, vos jurabitis quod nec odio nec amicitia, nec timore nec ſpe, propter aliquam promiſſionem vel remunerationem factam vel faciendam, quicquam vel facietis, vel fieri, quantum in vobis eſt, patiemini; ſed omni favore Perſonarum et lucri intuitu ſepoſito, diligenter ea curabitis (quatenus et Statuta Regni et Conſuetudines Univerſitatis permittunt) quæ ad Officium Clericorum Mercatus aliqua ratione vel pertinent, vel pertinere poſſunt. Sicut Deus vos adjuvet, et Sacroſancta Dei Evangelia."

SECTIO IX.

DE PUBLICO ARCHIVORUM UNIVERSITATIS CUSTODE DESIGNANDO.

CUM ex minus diligenti Archivorum noſtræ Univerſitatis cuſtodia, et craſſa Privilegiorum noſtrorum (quibus totus Academiæ Status potiſſimum innititur) ignoratione, multa mala ac diſpendia huic Univerſitati antehac contigerint; præcipue vero, in quotidianis fere concertationibus cum Municipibus Oxonienſibus (antiquis noſtræ Univerſitatis æmulis, et Privilegia noſtra oppugnandi nullam non occaſionem captantibus) cum neminem habeamus Archivorum et Scriniorum publicorum peritum, qui in hujuſmodi negotiis Academiæ uſui eſſe potuit:

Ex matura deliberatione Ordinatum eſt, ut de cætero, et in perpetuum, de aliquo idoneo provideatur, qui Archivorum et Scriniorum Univerſitatis curam habeat, Munimenta et Chartas omnes, tam Authenticas quam alias, Prædia, Poſſeſſiones, communia Univerſitatis Jura et Privilegia, aut Publicarum Lecturarum Dotationes concernentia, Regiſtra inſuper quæcunque ad Univerſitatem ſpectantia, colligat, et in ordinem digerat ac diſponat; ut ea, quoties uſus poſcet, expedite promere valeat;[1] prout in Statuto de Chartis ac Munimentis Univerſitatis cuſtodiendis ſpecialiter cavendum erit. Quæ ſic diſpoſita et in ordinem digeſta diligenter evolvere ac perlegere, adeoque in numerato habere, teneatur, ut Cancellario, Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Seneſchallo, prout occaſio tulerit, præſto adeſſe, eiſdem aſſiſtere, conſulere, ac in tuendis et defendendis Univerſitatis Privilegiis, ac Juribus, expeditum et paratum vindicem præſtare ſe, valeat.

Quodque omnes et ſinguli, tam Graduati quam non Graduati, Privilegiorum ac Libertatum hujus Univerſitatis participes, (exceptis tantummodo Servientibus, ſive Pauperibus Scholaribus indigentioribus, quique ex ſtipe vivunt) unum Solidum quotannis

1 Tit. XX. §. 2.

Univerſitati,

Univerſitati, ad tuenda (ſi qui forte litem moveant) ipſius Privilegia, contribuant. De Summa vero inde corrogata Vice-Cancellarius annuatim Quadraginta Libras ad minimum Archivorum Cuſtodi, Salarii nomine, numerabit. Hujus autem Officiarii deſignatio, quotieſcunque Munus vacaverit, penes Venerabilem Domum Convocationis eſto. In quo officio continuetur, quamdiu, Convocationis judicio, in eo ſe bene et fideliter geſſerit, ac in ſua admiſſione juramentum præſtet, quod Chartas omnes, Munimenta, Regiſtra, et alia quæcunque ad Univerſitatem ſpectantia, ſuæ fidei concredita, ſalva et in tuto cuſtodiet; quodque ſecreta Univerſitatis non revelabit.

TITULUS

TITULUS XVIII.

DE MINISTRIS ET SERVIENTIBUS UNIVERSITATIS.

SECTIO I.

DE REGISTRARIO UNIVERSITATIS.

REGISTRARIUS Univerſitatis, eodem modo quo alii Officiarii, in ſolenni Convocatione Doctorum Magiſtrorum, Regentium, Artium Magiſter, aut LL. Baccalaureus, et Notarius Publicus, per Scrutinium itidem eligatur. Qui etiam, in ſua ad Officium Admiſſione, de obſervandis Statutis, Privilegiis, Libertatibus et Conſuetudinibus Univerſitatis, necnon eis omnibus et ſingulis, quæ ad ejus Officium ſpectant, fideliter adimplendis, Juramentum corporale præſtabit, Procuratore Seniore exigente.

Illius autem eſt, ſingulis Convocationibus, Congregationibus, et Aſſimilationibus parvis, per ſe vel Deputatum idoneum, Habitu Gradui competente, a principio uſque ad finem intereſſe. In eiſdem Acta habita et geſta, velut Diſpenſationes, et Gratias conceſſas, vel etiam negatas, necnon Electiones, et Licentiationes, intra Septimanam; Decreta vero et Statuta, intra tempus in Statutis ſuperius limitatum, ſub pœna illic præfixa Regiſtro inſerere. Admiſſiones Magiſtrorum ad Regendum in peculiare Regiſtrum, eo ipſo die quo quilibet admiſſus fuerit, referre; quo nomine a ſingulis admiſſis 12 s. recipiet.

Deinde vero, Literas ab Univerſitate vel ad Univerſitatem miſſas, Locationes, Indenturas, Conceſſiones, et alia majoris momenti negotia, quæ Sigillo Univerſitatis Publico, vel etiam altero Sigillo Officii Cancellariatus, munienda ſunt, priuſquam eodem muniantur,

tur, distinctis et peculiaribus Libris ad id comparatis (postquam publice ab eodem in alterutra Domo recitata fuerint) in scripta ordinate ac distincte, sub Diarii forma, redigere.

Item quoties coram Delegatis a Venerabili Domo Congregationis, vel Convocationis, causas Appellationum ventilari contigerit, Acta omnia insinuare, et conservare.

Quæ in ordinario Vice-Cancellarii et Procuratorum ac Præfectorum Collegiorum et Aularum Conventu consulta et deliberata fuerint, scriptis mandare.

Libros insuper, seu Registra publica Universitatis negotia continentia, quæ in ipsius manibus sunt, fideli custodia conservare, sub cautione 100 l. pro quolibet Registro, per Obligationem in Abaco reponendam: ubi Registra vetera in tuto reponenda esse, sub custodia Archivorum Custodis, nec inde promenda, sine Obligatione 100 l. pro unoquoque volumine, præsenti Statuto cautum esto.

Reditus denique Universitatis annuos colligere, ac recipere, ac de receptis ratiocinium ac computum reddere, necnon aliorum Officiariorum computos irrotulare, sub pœna 13 s. et 4 d. pro quolibet delicto, toties quoties; excepta mulcta prædicta 40 s. pro Decretis juxta [1] Statuta in publicos Libros non transcriptis.

SECTIO II.

DE BEDELLIS.

§. 1. *De Bedellorum Electione.*

JUXTA Chartas, et Privilegia, necnon antiquam Consuetudinem Universitatis, sex sunt Universitatis communes Ministri sive Servientes, qui Bedelli, Præcones, et Viatores nominantur: Tres scilicet superioris ordinis, Armigeri; et totidem inferioris ordinis, qui vulgo *Yeomen Bedells*, sive Sub-Bedelli vocan-

[1] Tit. x. Sect. 2. §. 3.

tur.

tur. Ex quo ſenario Bedellorum numero, ſingulis Facultatibus, S. Theologiæ, Juriſprudentiæ, et Medicinæ una cum Artibus, unus ſuperioris, alter inferioris conditionis, aſſignatur.

Eorum cujuſvis locus ſi quando vacaverit, Vice-Cancellarius, intra triduum poſtquam innotuerit, Convocationem Doctorum, Magiſtrorum Regentium et non Regentium, indicendam curabit, et eodem prorſus modo, quo ipſe Cancellarius eligitur, in Bedelli electione procedetur. Electum vero Procurator Senior hoc Juramento, vel lingua Latina, ſi intelligat; vel (ſi non) vernacula, (præter conſuetum de Primatu Regio, et Allegiantia, Juramentum) onerabit.

" Tu dabis fidem ad obſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines et Libertates iſtius Univerſitatis. Et quod quemcunque, adverſantem Statutis, Conſuetudinibus et aliis Univerſitatis noſtræ Juribus, non juvabis conſilio, auxilio, aut favore; et quod, ſi talem obſervaveris, ſtatim ad Cancellarium vel Vice-Cancellarium nomen ejus deferes.

Item tu dabis fidem, quod ea omnia et ſingula fideliter exequeris, quæ ad Officium communis Miniſtri ſeu Servientis Univerſitatis (ſuperioris vel inferioris, in tali vel tali Facultate, Bedelli vel Sub-Bedelli) pertinent. Sicut Deus te adjuvet &c."

Tum vero Dominus Vice-Cancellarius eundem ſic admittet, " Ego A. B. Vice-Cancellarius hujus Univerſitatis admitto te ad Officium (talis Bedelli vel Sub-Bedelli in tali Facultate) et ad omnia præſtanda, quæ ad Officium illud pertinent; et inſuper ad emolumenta eo jure ſpectantia."

Deinde Officii ſui Inſigne, Baculum ſcilicet, Armigero quidem Bedello deauratum, Sub-Bedello autem argenteum, Facultatis, cui deſervit, inſcriptionibus inſignitum, ante ſe geſtandum tradet.

§. 2. *De Bedellorum Officiis.*

STatutum eſt, quod Bedelli continue in Univerſitate præſentes reſideant, nec niſi ex cauſa perurgenti ac neceſſaria (venia prius a Vice-Cancellario et Procuratoribus impetrata) Urbe excedant.

Eorum vero Officio incumbit, aſſidue ac diligenter Cancellario, ſive ejus Vice-Cancellario, ad manum præſto eſſe, eique in

1 I. 136. a.

omnibus

omnibus et ſingulis, quæ ad Officium ipſius ſpectant, inſervire et obſequi. Coram eorum alterutro intra Univerſitatis præcinctum exiſtente, aut in publicum (præſertim ad Actus Scholaſticos) prodeunte, Habitu decenti et conſueto togatos, et rotundis Pileis indutos, ſolenniter, et pro ratione ſive diſtinctione Facultatum et Locorum ſuorum, (Armigeris Bedellis locum proxime ante Cancellarium ſive Vice-Cancellarium obtinentibus) Clavis, Faſcibus, ſive Baculis inverſis, incedere; coram Domino Rege quidem, intra Univerſitatis præcinctum exiſtente, ſuperiorem et obtuſam Baculorum ſuorum partem de more attollentes, coram vero Cancellario, ejuſque Vice-Cancellario, inferiorem ſive acuminatam partem, ad differentiam, elevantes et erigentes.

Totum Univerſitatis ambitum et præcinctum per circuitus quoſdam inter ſe partiri, inque eis, ea quæ ad Muneris ſui functionem ſpectant, ſeorſim exequi; ita tamen, quod teneantur, etiam extra præcinctum ſuum fungi quæ ſunt Muneris ſui, ſi uſus flagitet.

Præcepta et Mandata Cancellarii, ejuſve Vice-Cancellarii, denuntiare, et promulgare: ad Mandatum Vice-Cancellarii in quoſvis manus injicere, eoſque in carcerem compingere; ſub pœna amittendi Muneris ſui, ſi recuſaverint, vel hominem quemcunque, in quem manus ſemel injecerint, cujuſve comprehendendi poteſtas fuerit, e manibus ſuis elabi patiantur.

Citationes et Summonitiones facere; Dies Juridicos, ſive Curias et Leetas Univerſitatis indicere; Scholares aut alios coram Cancellario aliiſve Univerſitatis Officiariis, ſive in Judicio ſive extra Judicium, ad comparendum ſiſtere, et a Scholaribus quidem nihil eo nomine exigere; Convocationes Doctorum, Magiſtrorum Regentium et non Regentium, præcognizare.

Item ſingulis diebus, quibus Lecturæ habendæ ſunt, publicum Facultatis ſuæ Prælectorem, Baculos præferentes, ad Scholam deducere, et Domum reducere: Scholarium a Lecturis publicis abſentium nomina ad Vice-Cancellarium vel Procuratores deferre; et, in eum finem, ſingulorum nomina, qui ad unamquamque Scholam pertinent, in Commentariis deſcripta habere, et quoties Vice-Cancellario, Procuratoribus, aut Profeſſori videbitur, nominatim ſingulos Auditores in quaque Schola citare; Et poſt menſem a finito quolibet Anni quarterio, a Collegiorum et Aularum Præfectis, eorumve Deputatis, mulctas debitas exigere: Quarum una pars Procuratoribus, ſecunda Lectori; tertiæ vero partis duæ

portiones

portiones ſuperiori Bedello, tertia inferiori, cedant. Niſi forte, ſpeciali aliquo Statuto, per Fundatorem alicujus Lecturæ, aliter proviſum fuerit.

Quod ſi Bedelli in Scholis frequentandis tempore Lectionum negligentiores fuerint, licebit utrivis Procuratorum, aut Lectori cuicunque, iis mulctam 12 d. irrogare, inter Procuratores et Lectorem dividendam.

Si vero mulctas irrogatas debite non exegerint, aut nomina ſolvere recuſantium ad Vice-Cancellarium protinus haud detulerint, pro arbitrio Vice-Cancellarii puniantur.

Matriculationis Regiſtrum, ſive Tabulas publicas de Junioribus Scholaribus, et Tyronibus recenter ad Academiam adventantibus, diligenter cuſtodire.

Item ſingulis ſingularum Facultatum Diſputationibus intereſſe, et pro more Moderatores et Reſpondentes (ſi ſupra Gradum Baccalaurei fuerint) ad Scholas deducere et reducere; quin et Scholares in Parviſiis reſponſuros a Templo B. Mariæ ad Scholas, Baculis prælatis, deducere; quemadmodum etiam Reſpondentes et Opponentes in hujuſmodi Diſputationibus (præſertim Ordinariis) necnon Concionatores, (quod Armigero S. Theologiæ Bedello convenit) de ſuis in concionando vicibus præmonere; eoſque a Collegiis, vel Aulis, ad Eccleſiam et Suggeſtum deducere et reducere.

Ad Bedellos itidem inferiores ſpectat, in Collegiis et in Aulis, pro more antiquo, Conciones ad Clerum, pridie antequam habentur, denuntiare.

§. 3. *De Bedellorum Baculis ſive Columnis quotannis deponendis et reſignandis.*

QUanquam ſupponatur unumquemque Præconem ſive Bedellum, rite ad Officium ſuum electum et admiſſum, durante vita naturali, Officio ſuo frui debere, (niſi gravem aliquam ob noxam amoveri merebitur) quo diligentius tamen Officiis ſuis fungantur, Statutum [1] eſt, quod, in prima Magiſtrorum Regentium poſt Feſtum S. Michaelis Congregatione, quotannis Baculos vel Columnas (Officiorum ſuorum Inſignia) coram Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magiſtris Regentibus, ſolenniter et de

1 A. 107. b.

more

more, deponant ſeu reſignent, et ſtatim domo Congregationis excedant. Ubi illi receſſerint, Vice-Cancellarius a Magiſtris neceſſario et ad placitum Regentibus tunc præſentibus inquiret, quomodo in Officiis ſuis prædicti Bedelli ſuperiori Anno ſe geſſerint; aut ecquid Magiſtri habeant, aut aliquis eorum habeat, quod cuivis ipſorum juſte et legitime objiciant: Et, ſi nihil de ipſis aut eorum aliquo detegatur, quominus ſedulo, diligenter, et inculpate ſe in Officiis ſuis geſſiſſe judicentur, in domum iterum revocatis Vice-Cancellarius Officiorum ſuorum Inſignia, Baculos ſcilicet ſive Columnas, reſtituet.

Quod ſi quid ab iis, vel eorum aliquo, minus honeſte commiſſum, vel per negligentiam omiſſum, quiſquam Magiſtrorum conqueſtus fuerit, et probabiliter hoc ipſum demonſtraverit; Vice-Cancellarius ſi in minoribus delictis fuerit, in Baculorum reſtitutione, eum qui ſic delatus fuerit Muneris ſui admonebit, eumque ſuſpenſione Baculi ad tempus, ſubtractione Salarii, pro ratione culpæ cujus convictus fuerit, puniet. Si vero delictum gravius fuerit (quod penes judicium Domini Vice-Cancellarii, Procuratorum, et majoris partis Magiſtrorum Regentium tunc ibidem præſentium eſto) non ſolum ei Baculus non reddetur, ſed etiam, eo ipſo, Officio ſuo privabitur, et ad novam Bedelli Electionem, juxta Formam Statutorum, procedetur.

Quod ſi tale aliquid circa Bedellorum aliquem extra hoſce Terminos quocunque tempore contigerit, Judicio Vice-Cancellarii (aſſidentibus ipſi Procuratoribus et Præfectis in Conventu ſuo Ordinario) relinquetur; et juxta poteſtatem et auctoritatem ipſis, in his et ſimilibus cauſis et Univerſitatis negotiis, delegatam, ordinarie procedatur. Ita quod, quocunque tempore quiſquam illorum inſigniter negligens adverſus Cancellarium, Pro-Cancellarium, aut Procuratores extiterit, et ſuper hoc ſemel atque iterum, ac tertio admonitus, ſeſe corrigere noluerit; vel aliquid flagitioſum perpetraverit, unde Academiæ ſcandalum aut infamia creetur; Cancellarius, (aſſidentibus ſibi Procuratoribus, et Ædium Præfectis in Conventu ſuo Ordinario) eum a Munere ſuo vel ſuſpendat, vel in perpetuum amoveat.

SECTIO III.

DE STATIONARIO, SEU VIRGIFERO UNIVERSITATIS.

TAmetsi quatuor antiquitus Stationariis usa fuerit Academia (sic requirente illorum temporum et Muneris ipsius conditione) hodie tamen unicus est Stationarius, sive Virgifer, eodem prorsus modo quo cæteri Bedelli, et communes Universitatis Ministri, eligendus. Cujus est, in publicis et solennibus Universitatis Actibus et Conventibus, Officii sui Insigne (scilicet argenteam Virgulam) una cum cæteris Bedellis, Anteambulonis more, coram Cancellario sive Vice-Cancellario, Habitu decenti indutum, gestare. Graduatos Cumulantes, sive pro Gradibus cum Universitate componentes, ad Ecclesiam et Scholas deducere, et Domum reducere: Scholarium, sive aliorum de Jurisdictione Universitatis, intra ejusdem Universitatis præcinctum mortuorum, sive decedentium, sive etiam foris-facientium, Libros, Res, et Bona mobilia, cujuscunque generis fuerint, cum altero Bedello appretiare, et de Inventariis et Schedulis inde factis fidelem computum reddere. Qui in sua ad prædictum Officium Admissione idem cum Bedellis (mutatis mutandis) corporale Juramentum præstabit.

SECTIO IV.

DE CLERICO UNIVERSITATIS, ET DE TINTINNABULARIO EJUSDEM, VULGO, *LE BELL-MAN.*

DUO sunt, inferioris ordinis, communes quoque Universitatis Servientes; Clericus sive Ædituus Universitatis, qui et Campanarum pulsator dicitur; et alter, quem vulgo Tintinnabularium

rium vocant, ſuis a ſe invicem Officiis et Muneribus diſtincti. Quorum Muneribus vacantibus, Domino Cancellario vel Vice-Cancellario licebit (ſive cum conſenſu Congregationis Magiſtrorum Regentium, ſive aliter) ex propria auctoritate, alios illis Succeſſores, ſub ſigillo Officii, ad terminum vitæ (niſi demeritis aliter exigentibus) nominare.

Clerici autem Munus eſt, per ſe, aut per Deputatum ſuum (per Vice-Cancellarium approbandum) ad Publicos Academicorum Conventus (ſacros, ſeu alios) necnon ad omnia Publica Univerſitatis Exercitia, per pulſationem Campanæ ſolitæ, convocare: ipſaque Loca, Scholas, Ædes, Domos, Cathedras et Pulvinaria munda præſtare, ſuiſque ornamentis inſtruere. Academicam ſupellectilem, iſtis uſibus ac officiis comparatam, diligenter et tuto cuſtodire; deque ea (quoties per Vice-Cancellarium requiſitus fuerit) fidelem computum ac ratiocinium reddere. Mandata et Edicta Cancellarii, ejuſve Vice-Cancellarii, B. Mariæ foribus et alibi (ſi opus fuerit) publice affigere. Horologium Univerſitatis curare; Quod ſi incurioſe obſervaverit, aut alias, de induſtria, curſum ipſius ſufflaminet, et mox præcipitet (unde horæ Publicis Exercitiis deſtinatæ, et ſpatium aperiendæ Bibliothecæ, in Studioſorum fraudem et præjudicium, fiant juſto contractiora) ſi ſuper hoc convictus fuerit, Vice-Cancellarius mulctam 10 s. toties quoties, ei irrogabit. Scholarum Publicarum valvas claudere, ac recludere; Pueros, ſi qui plagas commeruerint, ad Mandatum Vice-Cancellarii vel Procuratorum publice caſtigare; et ſi qua ſint ſimilia. Clericus autem in ſua ad prædictum Officium Admiſſione, de Statutis, Privilegiis, Libertatibus, et Conſuetudinibus Univerſitatis obſervandis, necnon de omnibus et ſingulis quæ ad Officium Clerici Univerſitatis ſpectant, bene et fideliter (quantum in ipſo fuerit) perimplendis, corporale Juramentum præſtabit.

Tintinnabularii autem Munus eſt, Doctorum, Magiſtrorum, Scholarium, aliarumque Perſonarum Privilegiatarum fato fungentium Exequias, decedentium exuviis indutum, pulſato quod in manu geſtat Tintinnabulo, per totam Academiam, ſingula Collegia et Aulas, Urbemque ipſam, publice et ſolenniter, per ſe, aut Deputatum ſuum (per Vice-Cancellarium approbandum) denuntiare; Funebres Conciones, et Exequialem Diem indicere: eodemque Habitu, cum effertur cadaver, pulſato itidem Tintinnabulo, Pompam feralem ad Templum et Sepulchrum deducere; quo nomine,

mine, debitum ſibi Feudum recipiet, etiam tum, cum de nocte Exequias defunctis ducunt.

Eidem quoque incumbit Cancellarii Edicta, per totam Academiam Urbemque (facta prius Tintinnabulo audientia) viva voce publicare.

Hic, in ſua ad id Officii Admiſſione, idem cum Clerico Univerſitatis (mutatis mutandis) Juramentum corporale præſtabit.

Sectio V.

DE TYPOGRAPHIS UNIVERSITATIS.

CUM Sereniſſimus Rex Carolus ejus nominis Primus, pro eo affectu quo Literas ac Literatos fovet, Privilegia Univerſitatis, quoad rem Typographicam nimis antehac arctata, mirum in modum amplificaverit; ne Clementiſſimi Regis indulgentia ſordidi ac illiberales Artifices ad privatum ſuum quæſtum abutantur, Statutum eſt, quod nullus Typographus in poſterum his Privilegiis, aut titulo Typographi Univerſitatis noſtræ, gaudebit, niſi qui in Admiſſione ſua ſingulis Statutis et Ordinationibus circa regimen Typographorum, per Domum Convocationis factis, vel in poſterum edendis, ſe ſubmiſerit.

Quoniam vero in re Typographica uſu compertum eſt, Mechanicos hoſce Artifices (lucri ſui compendium cum diſpendio operis plerumque ſectantes) Calligraphiæ ſeu Operis decori et elegantiæ minime ſtudere, ſed opera quæque rudia ac inemendata in publicam lucem extrudere; Idcirco præſenti Statuto cautum eſto, quod publicæ Univerſitatis Typographiæ inſtruendæ in Domo aliqua huic uſui ſpecialiter deputata præficiatur Architypographus unus; Vir Græcis Latiniſque literis probe inſtructus, et in Studiis Philologicis verſatiſſimus; cujus munus erit Operis Typographicis ibidem præeſſe, Materiam ſive Supellectilem Typographicam (Chartam ſcilicet, Præla, Typos, et alia hujus Opificii inſtrumenta) ut ſint in ſuo quæque genere lectiſſima, providere. In Operibus e publica Univerſitatis Typographia prodeuntibus, Typorum modulum, Chartæ qualitatem, Marginum menſuram præſcribere,

ſcribere, Correctorum errata emendare; et alia quæcunque, ad operis ornatum et perfectionem ſpectantia, ſedulo curare: cui muneri quo alacrius et liberius vacet (præter certam portionem lucri e libris impreſſis provenientis, ipſi poſthæc, pro ratione ſymbolæ quam ad publicæ Typographiæ peculium ſeu ſortem communem contulerit, aſſignandam ab iis qui a Domo Convocationis ad ordinanda Statuta Typographica delegandi erunt) Officium ſuperioris Bedelli in Jure Civili (utpote reliquis minus negotioſum) quandocunque primum quoquo modo vacaverit, perpetuo in poſterum annectendum fore præſenti Statuto cautum eſto.

SECTIO VI.

DE BALLIVO UNIVERSITATIS.

QUamvis Majores noſtri, prout diligentes Patres-familias decuit (deſignatis Procuratoribus Domorum, Superviſoribus Fundorum, et Collectoribus Redituum, Vice-Cancellario itidem et Procuratoribus Univerſitatis demandata provincia Tenementa Univerſitatis quotannis una cum Collectoribus Redituum perluſtrandi) quoad Fundos, Prædia, ac Tenementa Univerſitatis, ne quid detrimenti caperet Academia ſatis provide caviſſe videri poſſint; quoniam tamen ex eo tempore damnoſa experientia compertum eſt, fruſtra fuiſſe hanc ipſorum qualemcunque providentiam (cum nec Magiſtratus, gravioribus negotiis diſtricti, huic curæ vacare poſſent; nec Officiarii, tam tenui Salariolo conducti, fidelem operam addicerent) eoque factum eſſe, ut non ſolum Reditus imminuti, ſed et Tenementa quoque nonnulla interverſa fuerint: Statutum eſt ideo, quod in poſterum Cancellarius per literas ſuas Patentes Ballivum Univerſitatis pro Termino vitæ deſignabit. Cujus muneri incumbet, quotannis ineunte Martio ſingula Tenementa Univerſitatis intra villam Oxonienſem perluſtrare; utrum ædificia ſarta tecta præſtentur, explorare; et ſi quæ vitium fecerint, Vice-Cancellario renuntiare: Inſuper, quamprimum commode fieri poterit, ipſorum menſuras inire, fines ac terminos ſingulorum deſcribere, et peculiari Regiſtro inſerere. Etiam quoad Fundos et Prædia, ſive anti-

antiquitus Univerſitati donata, ſive nuper ad dotandas Lecturas alioſve in uſus collata, juſſu Vice-Cancellarii, impenſis Univerſitatis, ſingula perluſtrare: utrum ædificia ſarta tecta præſtentur, aggeres et ſepimenta probe curentur, agri rite colantur, explorare; ipſorum Terraria conficere; etiam, ſi uſus poſcat, ipſorum Tabulas Geodæticas ſive Topographicas conficiendas curare. Quo nomine ſummam ſex librarum, tredecim ſolidorum, quatuor denariorum ad minimum, ſi quid e reditibus Benefactorum vacuum, aut nullis caſſiſve uſibus deputatum ſuperfuerit, inde ſolvendam, operis ac laboris ſui annuam mercedem ſeu ſtipendium, recipiet: ſcilicet e reditibus Doctoris WHITE, pro octo libris annuis partiendis inter certos quoſdam Concionatores qui ſingulis diebus Martis concionandi munus ultro in ſe recipere ſolebant, (id quod jamdudum exolevit;) et pro annua penſione, Societati Mercatorum Sciſſorum Londinenſium ab eodem deſtinata, de conſenſu ipſorum, ſummam hodierno redituum eorundem decremento proportionalem.

Inſuper quoniam in grave præjudicium Univerſitatis bona Felonum, ad Univerſitatem ſpectantia, interverti nonnunquam et hoſtium potiri contingit; Ipſius muneri incumbet, ad omnes hujuſmodi caſus ſeu occaſiones perpetuo excubias agere, et in bona Felonum ad uſum Univerſitatis manus continuo injicere. Quo nomine, in ſingulas Libras quibus hujuſmodi bona æſtimantur, 12 d. recipiet.

Ad ipſius etiam munus ſpectabit, in Operibus publicis per Univerſitatem exſtruendis (ubi molis et ſumptuum ratio poſcet) Operarum diligentem et aſſiduum exactorem ſe præbere; ut juxta legem operi dictam, artiſque normam, et ex pacto conventu ſingula rite præſtentur, providere. Quo nomine in ſingulas Septimanas, durante opere (niſi ſi quando ex occaſione interrumpi Opus, ſeu intermitti ad tempus, contigerit) 20 s. recipiet, operis expenſis imputandos.

Porro perfecti operis (ſicubi opus fuerit) menſuram inire ejuſdem muneri incumbet; et Operariorum rationes ad calculum vocare, Libroque peculiari inſcribere, et Delegatorum examini præparare; quo nomine mercedem, pro ratione laboris ac operæ, Delegatorum arbitrio æſtimandam recipiet.

TITULUS

TITULUS XIX.

DE FEODIS, AD UNIVERSITATEM, OFFICIARIOS, ET SERVIENTES PERTINENTIBUS.

QUONIAM varia ac multiplicia Feoda, pro diverſa Perſonarum et Graduum conditione, multis nominibus exigenda veniunt; quæ omnibus nota ac perſpecta eſſe illorum intereſt, tum quibus, tum a quibus, debentur (horum ſiquidem ignoratio et Hos fraudi magis opportunos, et Illos iniquis ſuſpicionibus magis obnoxios, reddit) Statutum eſt, quod Feoda ad Univerſitatem, Officiarios, et Servientes quoſcunque ſpectantia, ſevere ac diligenter examinata, et in Tabulas penſiles redacta, in Apodyterio Domui Congregationis vicino, palam omnibus ſpectanda et legenda proponantur; nec, ultra Feoda illic præſtituta, quiſquam a quovis, Feodi nomine, quicquam exigere præſumat, ſub pœna pro arbitrio Cancellarii irroganda. Sed nec Feoda ſibi debita quiſquam per ſe et immediate a quovis recipiat, ſed Bedellorum opera ac miniſterio in colligendis Feodis ſibi debitis utatur.

Illud ante omnia cavendum diſtricte præcipimus, ne Feoda expreſſa in Tabulis Archetypis (ſigillo Honoratiſſimi Cancellarii Guilielmi Archiepiſcopi Cantuarienſis ſignatis, et una cum authentico Statutorum exemplari in Chartarum ac Munimentorum Abaco repoſitis) quovis prætextu aut colore poſthac augeantur ſeu amplificentur; Neve quis de amplificandis Feodis hiſce, aut eorum quocunque, ſupplicationem ullam in Domo Convocationis proponere præſumat, ſub pœna bannitionis ipſo facto incurrendæ, niſi prius Cancellarius Præfectorum arbitritio rem permiſerit, iique, in conventu ipſorum ordinario Supplicationis æquitate rite penſata, dignam cenſuerint quæ ad Venerabilem Domum Convocationis referatur.

TITULUS

TITULUS XX.

DE BONIS ET LOCIS PUBLICIS UNIVERSITATIS.

§. 1. *De Communi Ærario, et Bonis Univerſitatis in tuto cuſtodiendis.*

ORDINATUM eſt, quod, pro firmiori publicarum Univerſitatis Cuſtodia, communis et magna Ciſta, ferreis laminis circumdata, et quinque feris obfirmata, in tuto intra Collegium Corporis Chriſti cuſtodiatur. In qua quidem Ciſta omnes et ſinguli Univerſitatis Reditus, tam ex Dotatione Reginæ Mariæ, quam alio quocunque modo, ad Univerſitatem ejuſque uſum communem et publicum provenientes, necnon Jocalia, Vaſa aurea et argentea (ſi quæ fuerint) in tuto reponantnr.

Cujus quidem Ciſtæ ſeræ ita diſponantur, ut duarum, quæ in medio ſunt, ſerarum Clavigeri ſint Collegii Magdalenæ Præſidens, et Cuſtos Collegii Mertonenſis: Duarum ibidem ſerarum, ad dextram, Clavigeri ſint Decanus Ædis Chriſti, et Præſidens Collegii Corporis Chriſti: unius vero exterioris ſeræ, ad ſiniſtram, Claviger ſit Collegii Novi Cuſtos.

Nec quicquam ex eadem Ciſta extrahatur, niſi in publicos Univerſitatis uſus; idque, ſub Chirographis Clavigerorum, aut ipſorum vices gerentium, teſtatum ſit in duabus Schedulis: quarum una in Ciſta reponatur; alterum Vice-Cancellarius Auditoribus Computi ſui exhibeat, cum de Acceptis et Expenſis rationem reddet.

§. 2. *De Chartis et Munimentis Univerſitatis cuſtodiendis.*

STatutum eſt, quod omnes Chartæ, tam authenticæ quam aliæ, et Munimenta, (Prædia, Poſſeſſiones, communia Univerſitatis Jura et Privilegia, aut publicarum Lecturarum Dotationes concer-

concernentia) in Pyxides peculiares, Titulis Fundorum ſive Prædiorum inſignitas, ordine digerantur, et in Abaco tribus ſeris obſerato, (vel, ſi unus Abacus non ſufficiat, in pluribus Abacis, totidem quoque ſeris obfirmatis) reponantur: Claves autem ſint in cuſtodia Vice-Cancellarii et Procuratorum; nec quicquam inde promatur, niſi in præſentia et cum conſenſu Vice-Cancellarii et Procuratorum, aut ab ipſis deputatorum.

Duo autem peculiaria Regiſtra fiant, (quorum unum in Abaco remaneat, alterum in manibus Procuratorum ſucceſſive) in quibus, quid quiſque, quo tempore, et e qua Pyxide extraxerit, ſub Chirographo ipſius extrahentis annotetur; ut Procuratores, pro ratione Officii ſui, facile diſpicere valeant, quid in quaque Pyxide deſideretur, et a quo exigendum habeant.

Inſuper omnium et ſingulorum Scriptorum, Chartarum, et Munimentorum hujuſmodi, duo Inventaria conficiantur ab Archivorum Cuſtode, et Sigillo communi Univerſitatis muniantur: Quorum unum in Abaco illo communi repoſitum conſervetur; alterum penes ipſos Procuratores ſit; qui, intra XV dies poſtquam Officiis ſuis ceſſerint, in præſentia Auditorum Computi ſui, prædictum Inventarium Succeſſoribus ſuis in manus tradent; atque e Regiſtro Extractorum, quæ ſcripta extracta, quæ reſtituta, quæ adhuc deſiderentur, palam recitabunt; et deinde Regiſtrum itidem Succeſſoribus ſuis in manus tradent.

Etiam, ſi quid de novo in Abaco repoſitum fuerit, illud ipſum in Inventarium redigi curabunt; ſub pœna quod, ſi quis contra Statutum deliquerit, viginti Marcarum mulctam Univerſitati ſolvere teneatur.

§. 3. *De Sigillis Univerſitatis.*

STatutum eſt, quod, prout antiquitus fieri conſuevit, pro [1] diverſis negotiis expediendis, diverſa Univerſitatis Sigilla adhibeantur.

Unum quidem minuſculum, ad Literas, Epiſtolaſque, ex Decreto Convocationis vel Congregationis conſcriptas, ſigillandas deſtinatum.

Alterum majuſculum, quod ad ipſius Cancellariatus Officium duntaxat ſpectat; et Cancellarius vel Vice-Cancellarius, non ſo-

1 KK. 229. a.

lum ad ea confirmanda, quæ ratione executionis Officii ſui fecerit vel ediderit, ſed etiam ad publicam fidem faciendam, cuivis Inſtrumento appendet, quoties opus fuerit, et ſibi expedire videbitur. Quæ quidem Sigilla in propria Cancellarii vel Vice-Cancellarii cuſtodia remanent.

Tertium publicum eſt et commune Cancellarii, Magiſtrorum, et Scholarium Univerſitatis in Oxonia, adeoque totius Academiæ Communitatis et Incorporationis, Sigillum; quod Indenturis, Inſtrumentis originalibus, Syngraphis, Evidentiis, publicis Tabulis, Literis ſive Libellis Teſtimonialibus, nomine totius Univerſitatis conſignandis, iiſque, quæ ad Utilitatem communem et Dignitatem Univerſitatis ſpectant, confirmandis inſervit.

Quod quidem Sigillum in quadam Pyxide ad id comparata in eodem reponitur Abaco, in quo adſervantur Chartæ et Munimenta Univerſitatis, ſub cuſtodia Vice-Cancellarii et Procuratorum; nec unquam, ſine conſenſu Convocationis, cuivis Inſtrumento apponendum eſt, præterquam Literis Teſtimonialibus ſigillandis, quas, ut concedendi, ſic et ſigillandi poteſtatem habeat Domus Congregationis.

§. 4. *De Scholis Publicis.*

CUM in novis Scholis extruendis, Benefactorum quamplurimorum benigna ſatis liberalitate exhauſta, plurimum æris alieni Academia contraxerit, nec Operi perficiendo pecuniæ aliunde ſuppeterent, aut Univerſitas impræſentiarum haberet, quo ſe tanto ære alieno exolveret, neceſſarium viſum eſt [1] ſtatuere;

Primo, Quod Convivia (a ſingulis Graduatis in unaquaque Facultate, in die Licentiationis, ſive Præſentationis ſuæ, Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Officiariis Univerſitatis debita) in Summam pecuniariam converterentur; diverſam quidem illam, pro ratione Gradus et Promotionis; videlicet,

		l.	s.	d.
Doctor in quacunque Facultate ſolvet,	Reſidens, non promotus vel beneficiatus —— —— ——	2	10	0
	Peregrinus, non promotus vel beneficiatus —— —— ——	5	0	0
	Reſidens, promotus vel beneficiatus	5	0	0
	Peregrinus, promotus ad valorem 40 l.	6	13	4

1 K. 156. b.

Cumulans

			l.	s.	d.
Cumulans Gradus in eadem Facultate,		——	8	0	0
Baccalaureus in Theologia, Residens,	Non promotus vel beneficiatus	—	1	10	0
	Promotus vel beneficiatus	——	3	0	0
	Promotus ad valorem 40 l.	—	5	0	0
Baccalaureus in Medicina, vel Jure Civili,	Non promotus	—— —	1	10	0
	Promotus ad valorem 40 l.		5	0	0

Necnon, [1] quod quinque Libræ, loco Prandii in die computi Procuratorum, et totidem pro Prandio, in die computi Domini Vice-Cancellarii, allocari consuetæ, eisdem usibus deputarentur.

Secundo, quod quisque Doctor in posterum creandus (pro Chirothecis, in die Comitiorum, Doctoribus, Procuratoribus, aliisque donari consuetis) ad eundem usum persolveret decem Libras.

Tertio, quod quilibet Magister, pro se vel pro alio Dispensationem proponens in Domo Congregationis, duodecim denarios; in Domo Convocationis, duos solidos et sex denarios, ultra Summas alias requisitas, ad eundem usum persolveret.

Quarto, quod unusquisque Magister vel Baccalaureus in Facultate Artium, potens expendere de proprio annuatim 40 l. solvat loco Convivii in die Præsentationis quinque Libras.

Quinto, quod unusquisque Baccalaureus in Artibus præsentatus ad Determinandum, loco Convivii in die Ovorum Senioribus Baccalaureis debiti, si filius natu maximus fuerit Equitis Aurati, 10 s. Equitis Aurati filii natu minores, Doctorum et Armigerorum filii, 6 s. 8 d. reliqui 5 s. solverent.

Sexto, quod singuli Scholares, in Collegium aliquod vel Aulam admittendi, tempore Admissionis (Bursario in Collegiis, in Aulis Obsonatore, exigente) hac proportione contribuant. Videlicet,

	l.	s.	d.
Plebeii filius. —— —— ——	0	2	6
Generosi filius. —— —— ——	0	5	0
Baronetti filius. —— —— ——	1	6	8
Equitum Auratorum filii natu minores, Doctorum et Armigerorum filii. ——	0	10	0
Equitis Aurati filius natu maximus. ——	1	0	0
Baronis filius. —— —— ——	2	0	0
Comitis filius. —— —— ——	3	6	8

[1] N. 232.

De quibus pecuniarum Summis rationem reddent, (pro Conviviis ſcilicet, et Chirothecis, et Feſto Ovorum) Superiores Bedelli, quiſque in ſua Facultate; pro Diſpenſationibus, Regiſtrarius; intra quindenam a fine cujuſque Termini: pro Admiſſionibus Tempore Matriculationis colligendis, Bedelli qui Feoda Matriculationis recipiunt.

Quamvis autem Contributiones iſtas, tum cum decernerentur, non ulterius duraturas cenſuerit Domus Convocationis, quam quoad reſarcitum eſſet, quicquid pecuniæ, ad Fabricam novarum Scholarum perficiendam, e Ciſta D. Thomæ Bodley mutuari neceſſe habuit Academia; (id quod intra ſeptem Annos obtineri poſſe ſpes erat:) quoniam tamen ex eo tempore deprehenſum eſt, totam Scholarum Fabricam male materiatam eſſe, ac porro vitium facturam ſubeſt periculum; neque vero ſuſtentandæ aut reparandæ ſumptuoſæ huic Moli aliunde quicquam ſuppetit: Decretum eſt, has Contributiones deinceps in perpetuum duraturas eſſe, in ſuſtentationem Fabricæ novarum Scholarum, quoties uſus feret, erogandas; interim vero, ceſſante hujuſmodi impendii occaſione, quicquid eſt hujus Proventus, (quod Univerſitati honorificum juxta ac utile futurum eſt) in inſtruendam et alendam publicam Univerſitatis Typographiam impendatur; ad Manuſcripta Volumina quamplurima, tum Græca, tum Latina, modo in Bibliotheca publica ſepulta, (indigna certe, quæ cum blattis ac tineis uſque rixentur) aliquando in lucem protrahenda.

§. 5. *De Bibliotheca.*

QUoniam ſpatium aperiendæ Bibliothecæ per Statuta [1] Bodleiana præſtitutum, præ inæquabili Horologii motu plerumque juſto contractius, non mediocre Studentibus præjudicium affert; Statutum eſt, quod, in conſpicuo aliquo Bibliothecæ loco, Clepſammidium trium horarum locetur; quod, ſtatim poſt pulſatam Bibliothecæ Nolam, erigatur, et tempus moræ in Bibliothecæ trahendæ metiatur.

Quoniam tum in Artibus, tum in aliis Facultatibus, varii ſunt Studentes, quorum haud intereſt Diſputationibus Theologicis in Schola Theologica habitis intereſſe: Statutum eſt, quod deinceps non claudetur publica Bibliotheca hoc nomine, quia Diſputationes Theologicæ in Schola Theologica habentur.

1 Vid. Append.

Denique

Denique Statutum eſt, quod ſinguli Libri in uſum Bibliothecæ empti aut donati, quamprimum commode compingi poterunt, (ſi alias incompacti fuerint) illico in Catalogum Bibliothecæ referantur, et in ipſa Bibliotheca reponantur: Ne quis fruſtra putet, liberum ſibi eſſe, Libros in uſum Bibliothecæ coemptos vel donatos (modo ne in Catalogum relatos, aut in Bibliotheca repoſitos) mutuo dare aut accipere.

§. 6. *De Platearum Regimine.*

QUoniam indecorum juxta et inſalubre eſt Plateas aut Angiportus intra præcinctum Univerſitatis (illas præcipue, quæ ad Loca publica ducunt, et vulgo pedibus hominum teruntur) neglectas jacere, fimo ac ſordibus oppletas; alibi, omnino non ſtratas; alibi, extrito et comminuto pavimento ſalebroſas; Statutum eſt, quod deinceps ſinguli præ foribus ſuis pavimentum lapidibus ſterni et complanari curabunt. Si quis autem a Vice-Cancellario monitus, intra tempus præſtitutum, ſternendum non curaverit, pœna eſto pro arbitrio Vice-Cancellarii: quod ſi in contumacia ſua perſtiterit, ſi Privilegiatus, Privilegio; ſi Oppidanus, commercio cum Privilegiatis, ipſi interdicatur.

Item quod nemo ſordes, retrimenta, vel rudera, imbris tempore in plateam projiciat, pluviæ beneficio pro Fimigerulo uſurus; ſub pœna 20 s. legitime ſuper hoc convicto, toties quoties, per Vice-Cancellarium infligenda.

Item quod nemo præ foribus ſuis fimetum aut ſterquilinium congerat; ſed intra domeſticos parietes contineat, quicquid ſordium aut fimi egerendum habet, quoad Fimigerulus (vulgo *Scavenger* dictus) cum plauſtro fimum omnem avecturus acceſſerit, ſub mulcta 3 s. 4 d. toties quoties, irroganda.

Quem in finem Statutum eſt, quod Univerſitas, ad hoc Fimigeruli munus, ſemper honeſtæ conditionis aliquem ſub Sigillo ſuo deputatum habeat, qui juxta conditiones, et pacta conventa inter ipſum et Univerſitatem, hoc munus ſedulo exequetur, et pactam mercedem, pro rata cujuſque Domus, recipiet.

Quod ſi quis pro rata ad hunc viſum contribuere recuſaverit, præter mulctam arbitrio Vice-Cancellarii irrogandam; ſi Privilegiatus fuerit, Privilegio; ſi Oppidanus, commercio cum Privilegiatis, ipſi interdicatur.

Inſuper ne tempore hiberno, cum illunes fuerint noctes, cæci in tenebris palpare neceſſe habeant, quos Urbem veſperi obambulare cogunt aliquando negotia: Statutum eſt, quod deinceps, ſingulis Annis, a Feſto Omnium Sanctorum uſque ad Feſtum Purificationis B. Virginis, ab hora ſexta veſpertina uſque ad nonam, lucernæ præ foribus ſingulorum Collegiorum ac Aularum, necnon privatarum Ædium, ſuſpendentur, ſub pœna 1 12 d. omittentibus, toties quoties, per Vice-Cancellarium infligenda.

1 N. 104. b.

TITULUS

TITULUS XXI.

DE JUDICIIS.

§. 1. *De Jurisdictione Universitatis tuenda.*

CUM non solum juxta Privilegia, a Sereniſſimis Regibus inclyti hujus Regni et Prælatis (Studioſorum tranquillitati gratioſe conſulentibus) conceſſa et indulta; verum etiam ſecundum diuturnam Conſuetudinem, quæ memoriam hominum excedit, poteſtas cognoſcendi ac terminandi omnes Cauſas, Scholares aliaſque Perſonas Privilegiatas quoquo modo concernentes, (exceptis Cauſis Liberi Tenementi, Mahemii, Feloniæ, et Proditionis,) ad Cancellarii Univerſitatis Juriſdictionem ſpectet et pertineat: Statutum eſt, [1] quod nullus Scholaris vel [2] Perſona Privilegiata, de quacunque Cauſa in Univerſitate terminabili, quempiam in Curia aliqua [3] extra Univerſitatem (niſi ordine Appellationis ſervato) conveniat; nec cujuſquam alterius Curiæ Juriſdictioni ultro ſe ſubmittat; ſed alibi impeditus, Cancellarium vel Vice-Cancellarium, quamprimum poterit, de Lite ſibi intentata certiorem faciat; et, modis quibus poterit, Privilegiorum Univerſitatis hac in parte conſervationem ſolicite curet; ſub pœna, quod, ſi quis Scholaris vel Perſona Privilegiata ſecus fecerit, ut [4] Perturbator Pacis incarceretur et mulctetur; et, ſi in contumacia perſtiterit, Privilegiis Univerſitatis exuatur. Perſona vero non Privilegiata, vel Oppidanus, qui Scholari vel Perſonæ Privilegiatæ extra Univerſitatem in hujuſmodi Cauſis litem intentaverit, commercii cum Scholaribus et Perſonis Privilegiatis interdicto, donec ſatisfecerit, coerceatur: Extraneus vero, tanquam Juriſdictionis Univerſitatis contemptor, ſi apprehendi poterit, incarceretur.

1 A. 46. a. B. 72. a. C. 52. D. 18. b. 2 B. 102. a. 3 A. 95. b. B. 72. b. C. 62. b. 4 A. 29. a. B. 77. b. C. 119. a

Cancella-

Cancellarius etiam, et Vice-Cancellarius, omneſque alii, pro ſua cujuſque auctoritate ac poteſtate, quo minus in hac parte Univerſitatis Privilegia violentur, ſe, virtute Juramenti Univerſitati præſtiti, teneri et obligari noverint.

§. 2. *De Curia Commiſſarii ſive Vice-Cancellarii Univerſitatis.*

PRO expediendis majoris momenti Cauſis in Univerſitate controverſis, Statutum eſt, quod ſemel in qualibet Septimana Terminorum temporibus, et Vacationum etiam (quamdiu Vice-Cancellario expedire videbitur) die ſcilicet Veneris poſt meridiem, in Boreali Sacello Eccleſiæ B. Virginis Mariæ, aut alio Loco per Univerſitatem aſſignando, Curia habeatur. Cui præſit Commiſſarius ſive Vice-Cancellarius Univerſitatis, ejuſve Deputatus; [1] aſſidentibus ſibi duobus (cum ipſis videbitur) qui pro tempore fuerint, Univerſitatis Procuratoribus.

Coram quibus, Procuratores ad Lites quiete et modeſte ea omnia edant, proferant, et exhibeant, quæ ad Cauſas directe facere videbuntur: Edita vero, prolata, et exhibita, Curiæ Regiſtrarius, ex mandato Judicis, vel ad requiſitionem Partis, fideliter deſcribat, in Acta redigat, et cuſtodiat.

Singulis item Curiis interſit Bedellus inferior Facultatis Juris, aut alius ab eo ſubſtitutus, qui Mandatarii et Præconis Officio fungatur, et alia, quæ Vice-Cancellarius vel ejus Deputatus imperabit, exequatur.

In qua Curia, Vice-Cancellarius ejuſve Deputatus ſecundum Jura, Privilegia, et Conſuetudines ipſius Univerſitatis procedat, decernatque quæ ad Cauſas ordinandas et determinandas conducent. Quin et (ſi quid tumultuoſe, proterve, vel indebite a Procuratoribus Cauſarum, vel aliis Curiæ Officiariis, actum vel geſtum fuerit) mulcta pecuniaria corrigendi, incarcerandi, ſuſpendendi ab Officio, aut etiam Officio Procurationis privandi, et amovendi, poteſtatem habeat.

§. 3. *De Aſſeſſore, ſive Deputato Vice-Cancellarii.*

QUO melius in Curia Univerſitatis ordo procedendi obſervetur, et cum minori moleſtia Vice-Cancellarii (qui pluribus occupationibus diſtinetur) negotia Forenſia expediantur; Statu-

1 A. 89. b. B. 74. a. C. 59. b.

tum

tum eſt, quod Vice-Cancellarius aliquem e Doctoribus vel Baccalaureis Juris (quem magis idoneum, judicio ſuo, exiſtimaverit) aſſumere poſſit, qui in audiendis Cauſis ipſi aſſideat; et, cum Vice-Cancellarium abeſſe contigerit, ejus in Judicio vices ſuſtineat.

Qui, tempore Admiſſionis ſuæ ad hujuſmodi Officium, corporale Juramentum præſtet, "quod Statuta, Privilegia, Libertates, ac Conſuetudines Univerſitatis obſervabit, et, quantum in ſe fuerit, ab aliis obſervari procurabit. [1] Inſuper quod ſine acceptione Perſonarum, ſecundum Jura, Statuta, Privilegia, Libertates, et Conſuetudines ipſius Univerſitatis, Cauſas ſine ulla mora aut dilatione audiet, decidet, ac terminabit."

§. 4. *De Regiſtrario Curiæ Vice-Cancellarii.*

STatutum eſt, quod is, qui Officium Regiſtrarii in Curia Univerſitatis ſuſtinebit, ſit Notarius publicus, Artium Magiſter, vel Baccalaureus Juris, et in ejuſdem Praxi exercitatus; judicio et auctoritate Cancellarii, ſub Literis ipſius Patentibus, ad id Muneris deputandus; qui etiam in ſua Admiſſione Juramentum præſtet,

1. "De Statutis, Conſuetudinibus, Libertatibus, et Privilegiis Univerſitatis obſervandis.

2. "Necnon de bene et fideliter iis omnibus exequendis, quæ ad Officium Regiſtrarii pertinebunt.

3. "Et de ſecretis Univerſitatis celandis."

Ipſius vero Munus eſt, Vice-Cancellario ſive ejus Deputato, in Cauſis tam publice quam privatim audiendis, adeſſe; coram eo Acta Regiſtro inſcribere, et Actorum Libros, ſeu Regiſtra, publica Univerſitatis negotia concernentia, quotquot in ipſius manibus fuerint, ſub fideli cuſtodia conſervare; data ſcilicet Cautione 100 l. pro quolibet Regiſtro, per Obligationem reponendam in Abaco; ubi Regiſtra vetera in tuto reponenda eſſe, nec inde promenda ſine obligatione 100 l. pro unoquoque Volumine, præſenti Statuto cautum eſto.

Denique Regiſtro peculiari (penes Vice-Cancellarium perpetuo adſervando) nomina ipſorum, qui coram Domino Vice-Cancellario majorum Criminum rei peracti ſunt, ſecundum ſeriem Alphabeti

1 A. 59. b. B. 70. b. C. 50. b. D. 16. b;

inſerere, una cum Crimine, Condemnatione, Cautione, et quota vice ſic deliquerint. Quod quidem Regiſtrum, ubi ad umbilicum perductum fuerit, in Abaco reponendum erit, et aliud ipſi ſuccenturiandum.

§. 5. *De Procuratoribus ad Lites.*

AD Officium Procuratorum in Curiis Univerſitatis admittendi ſunt, non niſi Artium Magiſtri, aut Juris Baccalaurei, in Praxi Juris exercitati, et arbitrio ac auctoritate Vice-Cancellarii comprobati. Qui etiam, in ſua ad prædictum Officium Admiſſione, Juramentum præſtent,

1. "De Statutis omnibus, Privilegiis, Libertatibus, et Conſuetudinibus iſtius Univerſitatis obſervandis.

2. Necnon, ſuper Officio Procuratorum Curiæ Cancellarii diligenter et fideliter exequendo.

3. Et quod [1] Cauſas, quas ſuſceperunt, ſecundum Ordinationes et Conſuetudines Univerſitatis tractabunt et expedient.

4. [2] Nec cuiquam conſilium, favorem, aut auxilium dabunt, ex quo Juriſdictio Univerſitatis aliquid detrimenti capiat."

§. 6. *De Contumacia coercenda.*

STatutum eſt, quod, ſi quis alicui in Curia Cancellarii Litem intentare velit, primum, Partem cui Litem intentat, per Bedellum Curiæ inſervientem, ad comparendum in Judicio, certo die monendum curet; et, ſi quæſitus a Bedello conveniri non poterit (facta fide, quod ſic quæſitus conveniri non potuerit) Citatio Viis et Modis decernatur, Cubiculi foribus in Collegio vel Aula ubi moratur, et Domus, in qua habitat, oſtio affigenda.

Et, ſi perſonaliter monitus, vel poſt affixionem Citationis Viis et Modis, (facta itidem fide) definito tempore non compareat, contumax, et in pœnam contumaciæ, (h. e. Incarcerationem vel Excommunicationem) incidiſſe pronuncietur. Et, ſi in contumacia per tres Menſes perſtiterit, Scholaris aut Perſona Privilegiata banniatur; Oppidanus vero, commercio interdictus declaretur, quamdiu in contumacia perſtiterit; ita ut, cum Juri paruerit, abſque alio præjudicio reſtituatur. Quod intelligi volumus duntaxat de

1 A. 60. b. B. 71. b. C. 53. a. D. 18. a. 2 D. 55. b.

Banni-

Bannitione et Interdicto Commercii, ob contumaciam adverſus Curiam, non ob aliam cauſam quamcunque. Quod ſi Extraneus fuerit, in Univerſitate moram non facturus, vel quiſpiam alius de fuga ſuſpectus; licebit ex Decreto Judicis, quocunque tempore, per Arreſtationem Corporis, vel Diſtrictionem Bonorum (ſi quæ intra Univerſitatis præcinctum habuerit) in Jus pertrahere.

§. 7. *Cum Reus comparuerit in Judicio, quid agendum.*

DIE Juridico, Reo comparente, Actor ſive is qui eum in Jus vocavit (niſi id antea apud Regiſtrarium fecerit) ſtatim in Curia ſtipuletur; et de Lite proſequenda, Expenſiſque ſolvendis, caſu quo in Cauſa ſuccubuerit, Fide-juſſorem interponat: Reus item de Re Judicata et Expenſis ſolvendis ſtipuletur et fide-jubeat; uterque etiam Procuratorem ſibi conſtituat. In quibus ſi Actor defecerit, Reus cum Expenſis dimittatur: ſi Reus, donec præſtiterit, incarceretur. Fide-juſſoribus vero interpoſitis, et Procuratoribus conſtitutis, Partes Juramentum utrinque ſuſcipiant, quod ſuper Libellis, Exceptionibus, aliiſque materiis hinc inde proponendis, cum examinati fuerint, omnem, quam ſciverint vel crediderint, veritatem, quatenus ad id de Jure aſtringuntur, proferent.

§. 8. *De modo procedendi in Cauſis levioribus: et in Cauſis quæ pecunia æſtimandæ non ſunt.*

IN Cauſis levioribus (quales habendæ ſunt quæ Summam 20 s. non excedunt; aut in quibus de injuriis agitur, quæ ſatisfactione pecuniaria æſtimandæ non ſunt) utpote cum nec Corpus nec Exiſtimatio læditur, et vel recognitio injuriæ vel reclamatio verborum ſufficiat, licebit Vice-Cancellario, vel ejus Deputato, ſine aliqua ſolennitate aut longiore dilatione procedere: et intra [1] tres Dies Juridicos, vel tres alios communes, prout ſibi viſum fuerit, negotium terminare. In quorum primo, pars Actrix, per ſe vel per Procuratorem ſuum, Actionem vel Querelam, [2] viva voce vel in ſcriptis, breviter proponet; et Pars Rea, per ſe, vel cum Procuratoris conſilio, reſpondebit; et, ſiquam defenſionis materiam ha-

1 A. 60. a. B. 7. a. C. 51. a. D. 16. b. 2 A. 61. b. B. 70. b. C. 50. b. D. 18. a.

beat, ſtatim proferet. In ſecundo, Actor teſtes producet: In tertio, Reus defenſionis probationes faciet; et Judex negotio finem imponens, Sententiam feret, quæ per Regiſtrarium in Scripta redigetur.

§. 9. *De modo procedendi in Cauſis gravioribus.*

STatutum eſt, quod in Cauſis pecuniariis quæ 20 s. Summam excedunt, et in quibus agitur de injuriis, ex quibus damnum aliquod infertur aut inferri poterit, ſatisfactione pecuniaria reſarciendum, modo ſolenniori, ſummario tamen, procedatur: Ita ut primo die Juridico, quo Reus comparet, Actor Libellum edere; in proximo, Reus Libello reſpondere, et Materiam Exceptivam ſive Defenſivam proponere teneatur; in tertio, Actor Materiæ Exceptivæ ſive Defenſivæ reſponſionem interponat. Deinde tres dies Juridici ſequentes ſtatuantur, in quibus Inſtrumenta exhibeantur, Teſtes producantur et examinentur, et cujuſque generis Probationes, quæ antea factæ non ſunt, in medium adducantur; quibus elapſis, publicentur Teſtes, et Cauſa concludatur; qua concluſa, non ultra biduum terminus pro informatione Judicis affignetur.

§. 10. *De modo procedendi in Cauſis Criminalibus.*

IN Cauſis Criminalibus, et iis quæ ad reformationem morum ſpectant, non ſolum publice in Curia, ſed etiam in privato Hoſpitio, aut alibi extra Curiam, Cancellarius ſive Vice-Cancellarius, vel ad ſectam Partis, vel ex Officio procedere poterit: Ita quod, ſi quis de delicto aliquo graviori conveniatur, (cui, per Statuta, mulcta Univerſitati applicanda irrogatur; vel Incarcerationis, Suſpenſionis, vel alterius majoris Coercitionis pœna infligitur,) Regiſtrarius ejuſve Deputatus adhibeatur, qui Crimen objectum, Probationes, et Sententiam in Acta redigat.

§. 11. *De Incarceratione, Cuſtodiæ cauſa.*

SI quis de perturbata Pace, vel gravi aliquo Crimine, Vice-Cancellario delatus, vel ſuſpectus, vel ab ipſo deprehenſus fuerit: Statutum eſt, quod Carceri Cuſtodiæ cauſa committatur. Et, ſi Studioſus cujuſcunque Gradus, vel Perſona Privilegiata, aut etiam

etiam Oppidanus, (dummodo in Cauſa cognitionem Cancellarii ſpectante altera pars extiterit) juſſus a Vice-Cancellario, vel, ejuſdem Mandato, a Bedello requiſitus fuerit in Carcerem ſe conferre, ſtatim obtemperare teneatur; vel ſi recuſaverit, ab [1] Univerſitate penitus expellatur. Quod ſi Privilegiatus fuerit vel Oppidanus, Privilegio, aut commercio cum Privilegiatis, reſpective, ipſi interdicatur.

Proviſo tamen, quod (ſi Fide-juſſores idoneos, de comparendo in Judico, et uſque ad Sententiam permanendo, interpoſuerit) a Carcere liberetur. Quod ſi Fide-juſſores dare non poterit, Vice-Cancellarius, vel is qui detulit, intra duos dies, crimen in Judicium deducat; et, quamprimum fieri poteſt, examinato Negotio, de eodem ſecundum Juris exigentiam ſtatuatur.

§. 12. *De iis qui Majorum Criminum Suſpicione tenentur.*

SI quis vel publica fama, vel privati cujuſquam fide digni informatione, de perturbata Pace, vel [2] gravi aliquo Crimine, apud Cancellarium, vel Vice-Cancellarium, aut etiam Procuratores delatus fuerit, nec ad convincendum et condemnandum probationes ſufficiant, ejuſmodi tamen ſint, ut ex iis vehemens ſuſpicio oriatur; poteſt Vice-Cancellarius [3] Reo [a] Purgationem indicere; et, ſi in ea defecerit, perinde ac de Convicto ſtatuere. Cavebit tamen ne quempiam ad Purgationis periculum admittat, quem in Perjurium ruiturum crediderit, [4] aut quem ſontem eſſe judicaverit. Quod ſi per modum purgationis procedere non libeat, Cautionem tamen fide-juſſoriam ſufficientem, de Pace conſervanda, et quoad Crimina objecta honeſte in poſterum ſe gerendo, interponere, priuſquam dimittat, coget et compellet.

§. 13. *De Reis, Majorum Criminum convictis.*

SI quis Perturbatæ Pacis vel gravis alicujus Criminis Reus (etiamſi intra privatum Collegium quodcunque vel Aulam perpetrati; ſi privata Statuta hujuſmodi Crimini pœnam nullam ponant; aut Parti læſæ intra privatos parietes ſatisfieri non poſſit)

1 A. 62. b. B. 75. b. C. 55. a. D. 23. b. 2 Infr. §. 1.
3 A. 58. b. B. 75. b. C. 55. a. D. 15. b. 4 A. 35. b.

a Hoc Statutum Decreto Parliamenti jam reſcinditur.

per

per Probationes legitimas et ſufficientes convictus fuerit, aut deprehenſus in ipſo facto, (Actu deſuper a Regiſtrario confecto) in pœnis, juxta Juris et Statutorum exigentiam, condemnetur; et [1] quoad ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo, et [2] Pace conſervanda, et honeſte ſe gerendo Cautionem ſufficientem (ſcilicet fide-juſſoriam) interpoſuerit, incarceretur: ejuſque Nomen, Crimen, Condemnatio, et Cautio, et quota vice ſic deliquerit, in Regiſtro Vice-Cancellarii ad hoc ſpecialiter deſignato, regiſtretur. [3] Et, ſi quis quarto in perturbatione Pacis, vel in eodem gravioris alicujus Criminis genere, deliquiſſe convictus fuerit, in perpetuum ab Univerſitate expellatur.

§. 14. *De iis qui de ſe Juſtitiam fieri non permittunt.*

SI quis de crimine aliquo accuſatus, vel ſuſpectus, [4] fugam fecerit; vel ſi quis in Plateis vel Domibus, viſo Vice-Cancellario vel Procuratoribus, ut culpæ conſcius (ſcilicet galero vel ocreis indutus) in fugam ſe conjecerit; vel poſt Citationis Schedulam oſtio Cameræ vel Domus, in qua morari conſuevit, affixam, die ac tempore præſtituto coram Vice-Cancellario ejuſve Deputato non comparuerit; vel comparens, [5] cum numero ſupra tres vel quatuor ſe ſtiterit; [6] vel de ſe Juſtitiam fieri non permiſerit (utpote, juſſus a Cancellario, [7] Carcerem adire recuſaverit, vel Incarceratus, priuſquam legitime ſolutus vel liberatus ſit, exierit) Bannitus ſtatim denuntietur, [8] ejuſque nomen in Regiſtro Vice-Cancellarii regiſtretur. Et ſi Clericus fuerit, qui ad locum aliquem extra Univerſitatem ſe receperit (niſi intra menſem, a tempore quo reſiquitus fuerit, ſe ſubmiſerit) illius nomen, ſimul cum delicto de quo notatus vel convictus fuerit, [9] Diœceſano Loci, in quo moratur, ſub Sigillo communi Univerſitatis tranſmittatur, ut contra ipſum per Diœceſanum procedatur.

Quod ſi quis, Mandato Vice-Cancellarii per Bedellorum aliquem arreſtandus, Bedello, Warrantum Vice-Cancellarii monſtranti, vel manus injicienti, protinus ſeſe haud dediderit, in Carcerem, vel Cuſtodiam alicubi compingendum; quin potius fuga

1 A. 63. a. 2 A. 58. b. B. 75. b. C. 55. a. D. 15. b. 3 A. 63. b. 4 A. 83. b. B. 76. a. C. 56. a. D. 16. b. 5 A. 63. b. 6 A. 110. a. C. 31. b. D. 22. a. 7 A. 62. b. B. 75. b. C. 55. a. D. 23. a. 8 C. 56. a. D. 22. b. 9 A. 110. a. C. 31. b. D. 22. a.

ſe

ſe ſubducere, aut vi e manibus Bedelli eluctari paraverit: Ipſo facto, ſi Perſona Privilegiata fuerit, Privilegiis Univerſitatis exuatur; ſin Scholaris fuerit, banniatur, et ſi Graduatus fuerit, Gradu privetur.

§. 15. *De iis, qui Univerſitatis Juribus, ac Privilegiis adverſantur, diſcommunicandis, vel diſprivilegiandis.*

QUoniam Oppidani, Academicis plerumque infeſti et adverſi, Privilegia Univerſitatis oppugnandi nullam non occaſionem captant; quin et Privilegiati nonnunquam, publicam utilitatem privato commodo poſthabentes, Privilegiis Univerſitatis adverſantur: Statutum eſt, quod, ad compeſcendam hujuſmodi inſolentiam ſive vecordiam, (ſiqui ſuper hoc convicti fuerint,) Privilegiatis, Privilegiis Univerſitatis; Oppidanis vero, commercio cum Privilegiatis, interdicatur.

§. 16. *De Perturbatoribus Pacis, ſive iis quorum Appellationes recipiendæ non ſunt.*

CUM, de Jure Communi, Appellationis beneficium quibuſdam denegandum ſit, nonnunquam præ odio delictorum quæ commiſſa ſunt, nonnunquam ad compeſcendam eorum inſolentiam, qui in mediis tumultibus (quando ſilent Leges, ac imperio utendum eſt ubi Lege agi non poteſt) Juris obtentu ſe contra Legum ac Magiſtratuum auctoritatem muniunt: Statutum eſt, [1] quod, perturbatæ Pacis, ſive quorundam Criminum inferius enumeratorum Reis, (hoc eſt, vel probabiliter [2] ſuſpectis, vel convictis) omni prorſus Appellandi poteſtate interdictum ſit. Cujuſmodi ſunt,

Primo, [3] qui ad aliorum Exiſtimationem minuendam Libellos famoſos condiderunt, ſeu in vulgus ſparſerunt; aut etiam recitando, vel tranſcribendo, publicarunt; quive ab aliis recitatos aut lectos audiverint, nec protinus ad Vice-Cancellarium Recitantis aut Legentis nomen detulerint; vel, [4] qui, ſive in Exercitiis publicis, ſive in Scena publice, ad alicujus contumeliam et

1 A. 59. a. 84. b. B. 73. a. C. 53. b. D. 16. a. 21. a. 2 B. 103. b. C. 142. b. 3 KK. 277. b. Tit. XV. §. 8. 4 Tit. VII. Sect. 2. §. 3. et Tit. XV. §. 9.

infamiam

infamiam quicquam protulerunt; [1] vel, qui de damno alicui inferendo minati ſunt.

Secundo, [2] qui aliis vim intulerunt, aut inferentibus opem præbuerunt; ſcilicet impellendo, percutiendo, vulnerando, aut ſimile aliquid committendo.

Tertio, [3] qui Arma, ſecus quam Statutis Univerſitatis permiſſum eſt, portaverunt; [4] et qui de nocte vagati ſunt; et qui, [5] Ebrietatis, [6] Perjurii, Fornicationis vel Adulterii, et his ſimilia, Crimina perpetrarunt, vel horum participes fuerunt.

Quarto, qui coram Domino Cancellario, ejuſve Commiſſario, aut ipſius Deputato, legitime moniti ſive citati, comparere recuſarunt; vel comparentes, cum multitudine acceſſerunt; vel in eundem verba opprobrioſa conjecerunt; vel Carcerem adire juſſi, non obtemperarunt, aut inde injuſſi ſe proripuerunt; vel, qui de ſe, aut aliis, juſtitiam fieri non permiſerunt; vel, poſt tres conformes Sententias, non acquieverunt.

Quinto, qui privatim Conventicula ſive Conſpirationes et Confœderationes, vel publice turbas hominum, congregaverunt, vel eiſdem ultro interfuerunt: [7] quive, pro Concionibus, quicquam ad ſeditionem aut factionem in Univerſitate, vel Collegio aliquo Aulave, alendam, aut excitandam; [8] vel, quod Doctrinæ aut Diſciplinæ Eccleſiæ Anglicanæ deroget aut diſſentiat, diſſeminaverunt: aut [9] qui exemplar Concionis aut Orationis alicujus publice habitæ, a Cancellario vel ejus Commiſſario requiſiti, exhibere recuſaverunt; aut, Concionis exemplar non habere ſe prætendentes, de iis, de quibus ſuſpecti ſeu delati fuerint, virtute Juramenti directe reſpondere abnuerint.

Decretum eſt denique, quod, qui Rei peraguntur horum Criminum, vel alicujus illorum, cui Statuto aliquo jam edito, vel in poſterum edendo, Appellationis remedium interdicitur, quodve in aliquo Statuto inter Crimina perturbatæ Pacis numeratur; quive ab hominibus fide dignis delati, vel Judicio Domino Cancellarii, ejuſdemve Commiſſarii ſive Vice-Cancellarii, aut Deputati ſui, de iis probabiliter ſuſpecti fuerint; nec a Decreto aliquo In-

1 A. 63. b. B. 78. a. C. 119. b. Tit. xv. §. 10. 2 A. 63. a. B. 73. a. C. 53. a. D. 21. a. 3 L. 242. a. A. 58. a. B. 74. b. C. 53. b. D. 14. b. 4 Ibid. 5 B. 110. K. 4. 6 A. 59. a. B. 73. b. C. 53. a. D. 16. a. 7 KK. 314. b. Tit. xvii. §. 9. 8 N. 43. 9 Tit. xv. §. 9. et Tit. 7. Sect. 2. §. 3.

terlocutorio,

terlocutorio, prætextu gravaminis; nec a Sententia Definitiva, prætextu injuſtitiæ, appellare poſſint: Sed, quacunque Appellatione non obſtante, ejuſdem Decreto ſive Sententiæ obtemperare teneantur; modo graviorem pœnam, quam quæ per Statuta irrogatur (ubi aliqua irrogatur) alicui non imponat.

§. 17. *De Cauſis in quibus dubitatur, utrum Appellatio admittenda ſit, necne.*

SI contingat aliquem de delicto conveniri vel condemnari, de quo dubium ſit, utrum Perturbatio Pacis ſit; vel, utrum ſub aliqua Delictorum ſpecie, in præcedenti Statuto contentorum, comprehendatur; ſive, utrum hujuſmodi Criminis Reus ad Appellationem admittendus ſit, necne; Ordinatum eſt, quod (hujuſmodi occaſione, Appellatione interpoſita) intra triduum Vice-Cancellarius duos Doctores, qui Procuratoris Munus aliquando ſuſtinuerunt, (ſi qui tales in Univerſitate exiſtant) alioqui duos quoſcunque alios Doctores; et Procuratores Anni inſtantis duos alios, ejuſdem conditionis, nominent, vel ſaltem duos Magiſtros qui Procuratorum Munere functi ſunt; qui, una cum Juris Profeſſore Regio, vel, (in ejus abſentia) Seniore Graduato in eadem Facultate, qui tunc in Univerſitate præſens fuerit, intra Quatriduum a tempore nominationis (Cauſæ natura ſummarie inſpecta) utrum Appellatio illa admittenda ſit, determinare teneantur. Quodque, prout major pars eorum determinaverit, Procuratores, vel in admittenda, vel in rejicienda Appellatione prædicta, procedant.

§. 18. *De Appellationibus admittendis in Cauſis Civilibus, Perturbationi Pacis annexis.*

ORdinatum eſt, ſi contingat aliquem Appellationem debite interponere in Cauſa Civili (veluti in Cauſa Damni ſive Injuriarum) quæ connexa ſit Cauſæ Perturbationis Pacis, vel alteri cuicunque Cauſæ Criminali, in qua (ut præfertur) Appellare non licet; [1] quod Appellatio hujuſmodi, quoad Cauſam ſic connexam et conjunctam, locum habeat.

1 A. 84. b. 59. a. B. 73. b. 103. b. C. 53. a. 142. b. D. 16. a.

§. 19. *Quo ordine Appellandum ſit.*

ORdinatum eſt, quod in iis Cauſis, in quibus Appellare permittitur, Appellatio gradatim, et abſque ſaltu (ut loquuntur) fiat: id eſt, [1] primum a Cancellario, ejuſve Commiſſario ſive Locum-Tenente, ad Congregationem Magiſtrorum Regentium: tum a Congregatione Regentium, ad Convocationem Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium: et deinde, ſi tres conformes Sententiæ non præceſſerint, a Convocatione Doctorum, Magiſtrorum, Regentium et non Regentium, ad Regiam Majeſtatem in Cancellaria; ſub pœna Excommunicationis, Bannitionis, et Degradationis, ei qui ſecus fecerit infligenda.

§. 20. *De Judicibus Delegatis, in Cauſis Appellationum.*

STatutum eſt, quod Procuratores, in prima Congregatione poſt ſuſceptum Officium, pro Congregatione Magiſtrorum Regentium, ſeptem Judices Delegatos nominent: quorum Duo S. Theologiæ, Unus Juris, Unus Medicinæ Doctor, et Tres in Artibus Magiſtri (neceſſario vel ad placitum Regentes) ſint; qui, ut ſtati Delegati, cum approbatione illius Domus, Cauſas omnes Appellationum, a Cancellario, ejuſque Vice-Cancellario ſive locum Tenente, ad Domum Congregationis devolutas, audiendi ac terminandi, per totum Annum inſequentem, poteſtatem habeant. Ita tamen ut prorogetur et continuetur Juriſdictio Delegatorum, quoad Cauſas coram ipſis inceptas, donec Sententiam tulerint, vel aliter finem impoſuerint, et Sententiam Executioni debitæ mandaverint.

Quodque deinde, in proxima Convocatione, pro Domo Regentium et non Regentium, novem alios Judices Delegatos itidem nominent: Quorum duo Theologiæ, duo Juris, duo Medicinæ Doctores, tres Magiſtri ad placitum Regentes ſint; qui ſimiliter, ut ſtati Delegati, Anno inſequente, Cauſas Appellationum, a Domo Congregationis ad Domum Convocationis delatas, audiant et determinent: prout ſupra conceſſum eſt Delegatis Congregationis, quoad Cauſas, intra annum inceptas, anno inſequente determinandas.

1 A. 89. b. 95. b. B. 72. b. 74. b. C. 59. b. 62. b.

Et,

Et, ſi quempiam eorum qui ſic nominati fuerint, deficere, vel diutinæ abſentiæ cauſam habere, vel ex juſta etiam cauſa recuſari, contigerit, Procuratores, vel eorum alter, cum Domino Vice-Cancellario, alium ejuſdem Facultatis et Gradus, ſi talis in Univerſitate præſens fuerit, alias quemlibet alium (prout ipſis videbitur) in ejuſdem locum ſubſtituant. Ita tamen quod liceat tribus quibuſcunque ex iiſdem utriuſque Domus Delegatis, aliis rogatis et abſentibus, quoad citationes et actus alios, uſque ad Sententiam procedere.

Et quicquid in quacunque Cauſa major pars omnium Delegatorum utriuſvis Domus reſpective ſtatuerit vel decreverit, ratum ſit, et effectum debitum ſortiatur. Proviſo, quod, priuſquam quiſquam vel pro Congregatione, vel pro Convocatione, Judicis Delegati Officium in ſe ſuſcipiat, palam in Curia, (altero Procuratorum, ejuſve Subſtituto, exigente) juramentum præſtet, "Quod ſine acceptione Perſonarum, ſecundum Jura, Statuta, Privilegia, Libertates, et Conſuetudines iſtius Univerſitatis, Cauſas coram ipſis ventilandas audiet ac decidet.

§. 21. *De Cautionibus ab Appellantibus deponendis penes Procuratores Univerſitatis, priuſquam inhibitionem obtineant.*

STatutum eſt, quod duo Procuratores, cum iis conſtiterit Appellationem, vel a Sententia aut Curia Cancellarii ad Venerabilem Domum Magiſtrorum Regentium, vel ab illa Domo ad Venerabilem Domum Convocationis Doctorum, Magiſtrorum Regentium, et non Regentium, legitime interpoſitam eſſe; id eſt, ſecundum Statuta et intra XV dies a tempore gravaminis vel Sententiæ; ([1] ſi intra triduum a tempore Appellationis interpoſitæ Pars Appellans petierit; et non aliter:) Judicem a quo, vel Judices a quibus, [2] inhibeant, ſive ab illis Appellatum eſſe ſignificent: et ne ulterius in hujuſmodi Cauſa procedant, moneant ſive interdicant.

Modo tamen, priuſquam inhibuerint, [3] Appellans coram eis aut eorum altero juraverit, quod, non cauſa frivolæ dilationis procurandæ, ſed ex juſta cauſa (quam ſe probaturum credit) Ap-

1 A. 60. b. B. 72. b. C. 52. a. D. 17. a. C. 59. b. 2 A. 89. b. B. 74. a. 3 C. 46. b. D. 26. b.

pellaverit; et Cautionem ſufficientem (id eſt, viceſimam partem condemnationis principalis in priori inſtantia, in Appellatione a Sententia Definitiva; in Appellatione vero a Sententia Interlocutoria, ſummam quinque ſolidorum) depoſuerit.

Quod ſi res aliqua in Judicium deducta fuerit, cujus æſtimatio non fit, aut certo fieri non poterit; iſtiuſmodi rei æſtimatio, ejuſque Cautio, ad arbitrium Procuratorum, vel alterutrius eorum, (puta recipientis) referatur. Quæ quidem Cautio, ab altero Procuratorum prius petita, penes eundem intra triduum, proxime a tempore quo exſtitit appellatum, deponatur; alias Appellatio pro deſerta habeatur.

Juramentum autem et Cautionem prædictam Procuratores, virtute Juramenti Univerſitati præſtiti, petere ac recipere, receptamque Cautionem, caſu quo Appellans obtineat, eidem reſtituere, et, caſu quo ſuccumbat, in Computo generali Officii ſui Procuratorii, coram dicti Computi Auditoribus, una cum cæteris ad uſum et utilitatem Univerſitatis receptis, hujuſmodi Cautionis rationem reddere teneantur.

§. 22. *De modo procedendi in Cauſis Appellationum.*

STatutum eſt, quod Judices Delegati, tam [1] Vacationum quam Terminorum temporibus, (exceptis diebus feſtis,) in Cauſis Appellationum procedere poſſint: Quodque poſtquam a Procuratoribus vel eorum altero Appellationem ad eoſdem interpoſitam ſignificatum fuerit, Delegatorum munus in ſe ſuſcipiant; et quolibet die Mercurii, inter horas primam et ſecundam (aut ſæpius, ſi viſum fuerit) in loco deſignando conveniant; et ſine intermiſſione uſque ad Sententiam ferendam et Executioni demandandam conſtanter procedant. Quodque Appellationis Inſtrumento, loco Libelli, ab Appellante ejuſve Procuratore iis porrecto et oblato, diem competentem ſtatuant, intra quem Appellans, ipſam Actorum et Proceſſus in Curia, a qua appellatur, Copiam tranſmittendam, vel ſaltem Originalia per Regiſtrarium adducenda, et Partem adverſam citandam, procurare poſſit. Quo die, ſi, ceſſante impedimento legitimo, pars Appellans deficiat, Cauſam Judici, a quo, remittant; ſin Pars Appellata, Contumaciæ cenſuris, donec

1 B. 73. b. C. 53. b. D. 18. b.

compa-

comparuerit, coerceatur. Utraque vero comparente, ſi ex eiſdem Actis procedere voluerint, uno vel altero die ea quæ conſiſtunt in facto cognoſcent: et, ſi res ita poſtulet, unum vel alterum diem pro informationibus in Jure concedent. Et quamprimum, habita inter ſe matura deliberatione, inter omnes vel majorem eorem partem convenerit, Sententiam ferant. Si vero Pars alterutra, vel utraque, de novo aliquid allegare vel probare petierit, ita demum admittent, ſi Pars petens prius fidem fecerit, ſe verum credere quod allegat, et probare intendit. Deinde terminos expediendo negotio, quam fieri poteſt, breviſſimos ſtatuent. Quibus elapſis, quamprimum fieri poterit, eodem modo de Facto et de Jure cognoſcent, et Sententiam ferent.

P

APPENDIX STATUTORUM,

IN QUO

SPECIALES ORDINATIONES A VARIIS FUNDATORIBUS ET BENEFACTORIBUS EDITÆ, STATUTA CAROLINA DE CYCLO PROCURATORIO, ET STATUTA AULARIA CONTINENTUR.

ORDINATIO D. MARGARETÆ COMITISSÆ RICHMUNDIÆ,

CIRCA LECTOREM THEOLOGIÆ

A ſe inſtitutum, A. D. 1502. Septembris 8°. e Fundatione ipſius deprompta.

ET volumus inſuper, quod de cætero, quolibet Biennio, ultimo die ceſſationis cujuſlibet Termini, ante magnam Vacationem Univerſitatis prædictæ, una habilis, apta, et idonea Perſona, in Lectorem Lecturæ prædictæ, [1] pro uno Anno integro (videlicet a Feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis tunc proxime ſequente duntaxat duraturo) eligatur ſub forma quæ ſequitur. Videlicet, quod Cancellarius aut Commiſſarius Univerſitatis prædictæ, qui pro tempore fuerit (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus) necnon omnes Doctores tam Sæculares quam Regulares, Inceptores et Baccalaurei in Divinis, (qui antea fuerint in Artibus Regentes in Univerſitate prædicta) ad tunc in Univerſitate prædicta exiſtentes (qui intereſſe voluerint) conveniant. Videlicet, quolibet ultimo die ceſſationis Termini prædicti, ante magnam Vacationem, in Domo vocata *le Aſſemblie-Houſe* in Univerſitate prædicta. Et ibidem quilibet Doctorum, Inceptorum, et Baccalaureorum prædictorum, coram Cancellario aut Commiſſario Univerſitatis prædictæ pro tempore exiſtente (aut eorum, ſeu eorum alterius, De-

1 Sic Codex MS. Authenticus, manifeſto mendo ut patet infra, Pag. 2. Lin. 17.

putato)

putato) Juramentum ſolenniter præſtabit corporale: Ad "eligendum eundem Lectorem, qui tunc erit, aut aliam talem Perſonam aptam, habilem, et idoneam, qualem ſibi melius et utilius videbitur expedire; omni favore, partialitate, mercede, timore, et affectione ſiniſtra, totaliter poſtpoſitis." Quo facto idem Cancellarius, aut Commiſſarius (aut eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus) cum Doctore et Baccalaureo ſenioribus ibidem exiſtentibus, accipiet Scrutinium de ſingulis votis et vocibus omnium eorundem Doctorum, Inceptorum, et Baccalaureorum ibidem exiſtentium, propriis eorum manibus ſubſcriptis, et eidem Cancellario aut Commiſſario (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputato) Doctori et Baccalaureo ſenioribus præfatis ſecreto deliberatis; incipiendo Scrutinium illud a juniore Baccalaureo, et ſic aſcendendo uſque ad ſeniorem Doctorem, tunc ibidem exiſtentem. Et ille qui pluribus votis et vocibus in Electione illa prævalebit, in Lectorem Lecturæ prædictæ per dictum Cancellarium, aut Commiſſarium, (vel eorum ſeu eorum alterius Deputatum) pro duobus Annis integris (uti prædictum eſt) admitti volumus et ordinamus per præſentes. Proviſo ſemper, quod ſi ſint diverſæ Perſonæ, æquales voces in Electione illa habentes, tunc illa Perſona earundem Perſonarum, quæ votum et vocem dicti Cancellarii, aut Commiſſarii (ſeu eorum, vel eorum alterius, Deputati) obtinuerit, in eadem Electione prævalebit.

Et volumus quod ante quamlibet hujuſmodi Electionem Cancellarius, aut Commiſſarius Univerſitatis prædictæ (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus) ſolenniter publicari et declarari faciet in omnibus Scholis Univerſitatis prædictæ, quolibet Anno, (per tres dies, ultimum diem ceſſationis cujuſlibet Termini ante magnam Vacationem prædictam, proxime præcedentes) quod omnes et ſinguli, intereſſe in Electione illa habentes, Die et Loco prædictis ad eandem Electionem faciendam (ſi voluerint) conveniant.

Etiam volumus et ordinamus per præſentes, quod ſi contingat aliquem Lectorum prædictorum Ordinationi et Voluntati noſtris ſupradictis contravenire, aut de aliquo crimine, vitio, ſeu malefacto, per Cancellarium, aut Commiſſarium Univerſitatis prædictæ, pro tempore exiſtentem (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatum) et majorem numerum Doctorum in Univerſitate prædictæ tunc ibidem exiſtentium, notari; tunc idem Lector primo, ſecundo, tertio, inde moneatur. Et ſi ad ſecundam monitionem ſe non reformaverit cum effectu, tunc per ſubtractionem Stipendii

ſui

ſui, ſecundum diſcretionem Cancellarii, aut Commiſſarii prædicti, vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputati, et Doctorum illorum, puniatur. Quæ pecunia ſic ſubtracta ad utilitatem Univerſitatis prædictæ, per diſcretionem dicti Cancellarii aut Commiſſarii, diſponatur. Et ſi poſt tertiam monitionem ſe non reformaverit, tunc a Lectura prædicta et ſervitio ſuo prædicto penitus moveatur.

Et Volumus, et Ordinamus per præſentes, quod, quotieſcunque Lectura prædicta de Lectore per talem amotionem, aut per mortem, vel ceſſionem alicujus Lectorum, ſeu aliquo alio modo quocunque vacaverit; tunc Cancellarius, aut Commiſſarius Univerſitatis prædictæ (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus) indilate ſolenniter publicabit et declarari faciet in omnibus Scholis prædictæ Univerſitatis (ſi infra aliquem Terminum Lecturam prædictam ſic vacare contigerit) per tres dies tunc proxime ſequentes, quod Lectura prædicta Lectore vacaverit. Et ſi ſit extra Terminum, tunc idem Cancellarius, aut Commiſſarius (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus) illud publicari faciet in duobus Locis communioribus Univerſitatis prædictæ (videlicet ad oſtium introitus in communes Scholas, et ad oſtium Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis) in Scriptis Sigillo ejuſdem Cancellarii, aut Commiſſarii (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputati) conſignatis, ibidem per quatuor dies tunc proxime ſequentes permanſuris; ad præmonendum omnes et ſingulos (intereſſe in Electione prædicta habentes) convenire ad Domum prædictam (vocatam *le Aſſemblie-Houſe*) quinto die proxime poſt primam monitionem ſic factam, ad Electionem novi Lectoris in forma prædicta faciendam. Et tunc idem Cancellarius, aut Commiſſarius, (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputatus,) ſimul cum Doctoribus et Baccalaureis prædictis procedant et faciant Electionem novi Lectoris, in omnibus, modo et forma ſupradictis.

Volumus etiam quod quilibet Lector Lecturæ prædictæ, immediate poſt Admiſſionem ſuam prædictam coram præfato Cancellario, aut Commiſſario (vel eorum, ſeu eorum alterius, Deputato) et Doctoribus prædictis tunc ibidem exiſtentibus, Juramentum ſolenniter præſtabit corporale, quod "Ipſe omnes et ſingulas Ordinationes noſtras Lecturam prædictam concernentes, pro parte ſua, juxta vim, formam, et effectum earundem, bene et fideliter obſervabit et adimplebit; quatenus nec Verbo Dei, nec Statutis hujus Regni Angliæ, nec Statutis hujus Univerſitatis, repugnant; niſi aliter ſecum diſpenſatum erit."

Et Volumus et Ordinamus, quod quilibet Lector Lecturæ prædictæ pro tempore exiſtens habeat pro Salario, Stipendio, et Labore ſuis, videlicet pro quolibet Anno, treſdecem libras, ſex ſolidos, et octo denarios legalis monetæ Angliæ per Abbatem, Priorem, et Conventum Monaſterii B. Petri Weſtmonaſterii, et Succeſſores ſuos, ad Feſtum Paſchæ et Sancti Michaelis Archangeli, per æquales portiones (juxta voluntatem noſtram, in quibuſdam Indenturis, inter nos et præfatum Abbatem, Priorem, et Conventum inde conficiendis, ſpecificatam et declaratam) bene et fideliter in dicta Univerſitate Oxonienſi ſolvendas.

Et Volumus et Ordinamus per præſentes, quod quandocunque, et toties quoties aliquis Lector Lecturæ prædictæ in Officium Cancellarii, aut Commiſſarii Univerſitatis prædictæ electus et præfectus fuerit, quod ex tunc idem Lector, ſic in Officium Cancellarii aut Commiſſarii electus, Lecturam ſuam in Lectura prædicta, in forma ſupradicta, a tempore cujuſlibet Electionis hujuſmodi, per unum menſem tunc proxime ſequentem, et non ultra, continuabit. Et quod, infra quindecim dies poſt Electionem cujuſlibet hujuſmodi Lectoris in Officium Cancellarii aut Commiſſarii Univerſitatis prædictæ, novus Lector Lecturæ prædictæ in forma prædicta eligatur.

STATUTA

STATUTA BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ,

PROMULGATA ET CONFIRMATA IN DOMO CONVOCATIONIS,

Anno Dom. 1610. Junii 20mo.

PRÆFATIO.

QUandoquidem in hoc rerum humanarum curriculo ſatis confirmavit experientia, aggregatum ad publicam curam Opus, aut Incœptum, quod et Multitudinis interſit, quodque perenne manſurumque fore ſperetur, infirmis et labantibus fundamentis niti, neque eas commoditates ſecum afferre poſſe (quarum gratia primum natum repertumque eſt) niſi effrœnata improborum hominum conſuetudo Legum Sanctionumque repagulis ita demum coerceatur, ut eorum maleficia ſiſtantur: eum itaque ob finem, ex intima neceſſitate proſpiciendum, adeoque optimis quibuſque conſiliis præcavendum, videtur, nequid unquam (quantum conſequi poſſumus) prava Librorum tractatione, clandeſtina corruptione, aut aperta (quod abſit) diſſipatione, hoc noſtrum Armarium capiat detrimenti; quo Orbis quidem iſte Europæus nullum abſolutius inſtructiuſque ad bonas Literas promovendas, Deo auſpicante, (tametſi cuncta hodie monumenta ad memoriam poſteritatis ſpectantia ubivis gentium conſulantur) unquam viſurus eſt.

Proinde, Nos Cancellarius, Pro-Cancellarius, Doctores, una cum Procuratoribus, Artiumque Magiſtris, tam Regentibus quam non Regentibus, in magnam Convocationis Oxonienſis Domum Suffragiorum cauſa convenientes, re prius, per crebras Conſultationes et Colloquia, communicata cum THOMA BODLEIO, Equeſ-

tris Ordinis Viro, incomparabili bonarum Literarum Patrono, et Mæcenate divinitus nobis conceſſo (qui Bibliothecam inſtructiſſimam hic inſtituendo id effecit, ut nunquam, non modo referenda, ſed ne excogitanda gratia, tam excellens beneficium conſequamur) illo ſæculi noſtri altero quaſi Ptolemæo: ſolenni omnium conſenſu Statuimus et Decernimus, ut pro fide nobis in Bibliotheca gubernanda concredita, Cenſuſque (quod diligentes Patresfamilias decet) ab illo aſſignatos procurando, Ordinationes hæ, Scita, Statutaque noſtra, perpetua quadam Religione, ab univerſo Studentium cœtu, ad quos quoviſmodo pertinere poterint, colantur, obſerventurque.

1. *De Bibliothecario eligendo, quibuſque eum Dotibus inſtrui et adornari deceat.*

INTER cætera, quæ pro communis hujus Bibliothecæ tutela maxime faciunt, aut eorum commodo, uſu, et auxilio, qui eam indies frequentabunt; expedire potiſſimum videtur, Cuſtodiam ejus tali Viro commendatam eſſe, qui, cum ob aſſiduam in Studiis operam, et conſtantiam, celebris emineat; tum ob fidem, probitatem prudentiamque, bene apud omnes audiat: Inſuper qui Gradu aliquo inſigniatur, et Linguarum, quas eruditas vocant, mediocri, vulgarium quoque nonnulla, peritia imbuatur; Nexu Conjugali, quemadmodum et Beneficio Curato (niſi prope adjuncto) ſolvatur. Neque enim pietati conſonum eſſe poteſt, ut tanto oneri, ſimul cum publicis occupationibus, ferendo ſit; et Conjugium domeſticis plerumque negotiis ſic abundat, ut otium ſuppetere non poſſit ſui copiam in dies ſingulos exhibendi.

2. *De Forma eligendi.*

AD Electionem Admiſſionemque Bibliothecarii quod attinet, modumque Claves in ejus poteſtatem tradendi, id perpetuum eſſe volumus, quod in eligendis Procuratoribus fieri ſolenne fuit. Candidati ſuum in prenſando ſtudium ſimpliciter enunciabunt, et Curatorum objectionibus ſe ſubmittent; cæterum, antequam cuiquam Electorum ſuffragandi jus permittatur, Sacramento in hanc formam concepto omnes obligentur. "Ego A. B. policeor ſancteque recipio (pro fide illa et obſequio, quæ Omnipotenti Deo præſtare ſemper debeam) quod, in hac Electione idonei

nei dignique Bibliothecarii hujus Univerſitatis celebranda, conſilium mihi eſt (ſepoſita omni mercedis ſpe, poſthabitiſque pactionibus, petitionibus, ſupplicationibus, directis vel indirectis, ſive Perſonæ, ſive Perſonarum, cujuſcunque Conditionis demum fuerint) præ cæteris omnibus, quos vel ſciam vel conjiciam hoc Munus ambituros, homini Gradu aliquo inſignito ſuffragari, quem, remota omni depravati animi corruptela, per ſummam judicii conſcientiæque meæ integritatem, aptiſſimum et præſtantiſſimum cenſebo, cenſeoque, ad amplificandum hujus Univerſitatis Decus et Dignitatem, et commune omnium bonum in publica Bibliotheca ſtudentium."

Poſt conſummatām in hunc modum Electionem, hujuſmodi Juramentum Electus ſubibit: "Univerſa et ſingula Statuta, Conſtitutiones, et Decreta, lata aut ferenda, quæ Officium Bibliothecarii et Bibliothecæ ſtatum quoviſmodo attingunt, Ego in propria perſona mea perimplebo; et, quantum in me fuerit, a reliquis omnibus, quorum interſit, obſervari procurabo; ita me Deus adjuvet per infinitam miſericordiam ſuam, perque Chriſti Jeſu merita in ſacris Evangeliis annutiata."

Tum Juramentum de Primatu Regio agnoſcendo ſubibit, ſimulque Religionis Fideique Articulos ſubſignabit.

3. *De Cauſis, propter quas libere recedere vel amoveri debeat.*

INſuper de Bibliothecario accipiendum illud eſt; niſi libere velit et aſſentiatur (quo in Caſu per menſem integrum ante ceſſionem ſuam Vice-Cancellario id denuntiabit; qui intra triduum poſtquam reſciverit, exterioribus valvis Bibliothecæ affixo Programmate, idipſum palam omnibus notum faciet) ad Munus ſuum reſignandum cogi eum non poſſe; niſi, ob indignum aliquod facinus perpetratum, aut inſignem inſufficientiam, diutius in Officio permanere ineptus judicetur. Id vero ubi acciderit, aut qualicumque de cauſa locum vacare contigerit (ſive per mortem, ſive per reſignationem, aut alia quacunque occaſione) tum Pro-Cancellarius ipſe, ejuſve Deputatus, intra triduum proxime ſequuturum, ſolennem Convocationem indicet, in qua (ad eam formam, quæ a nobis ſuperius deſcripta, quæque in Procuratorum Electionibus uſitata fuit) alium, prioris vice, per Suffragia ſubrogandum procurabit.

Quod

Quod de triduano ſpatio antea diximus, id obtinere (niſi, aut graſſante peſte, aut feriis autumnalibus, Electionem habendam eſſe contigerit) ſemper volumus; et, in his quidem, intra Septimanas tres; in illa, intra tres dies poſtquam coierit iterum Academia, publiceque haberi cœpta ſunt Exercitia.

4. *De Officio et Munere ejuſdem.*

ATQUE ut intelligatur quæ ipſius Functionis et Officii maxime ſint propria, Statuimus et Decernimus, quod de cætero grande illud Album, vel Nominum, quam vocant, Matriculam (pluteo ampliſſimæ in Bibliotheca feneſtræ, quæ Orientem ſpectat, catena alligatam) penes ipſum ſervandi perpetuandique poteſtas ſit; in quam referri deſcribique volumus illorum nomina (prout uſus erit, et multitudo proveniet) quorum beneficentia aliquid aut Librorum, aut Pecuniarum (circiter Summam quadraginta Solidorum) aut rerum denique pretioſarum, in uſum et emolumentum Studentium, Bibliothecæ accreverit. In quo tamen, non ſolum munificentiæ Magnatum Hominumque Illuſtrium, ſed et eorum etiam, qui vulgaris mediæque Conditionis fuerint, rationem habendam ordinamus. Siquidem in reponenda gratitudine inprimis decere arbitramur, ut, pro ſuo cujuſque beneficio, par gratiarum cumulus rependatur: perpaucos enim invenias famæ atque exiſtimationis ſuæ uſque adeo negligentes, ut, conſcientia meritorum ſuorum contenti, obſcuram in vulgus benefactorum memoriam vaneſcere æquo animo ferant. Quamobrem, hunc in finem firmiter injungendo mandamus, ut Bibliothecarius Catalogum hunc, ſive Album, pulcherrimis gratiſſimiſque Characteribus ſcribi procuret, ſimulque ad conſpectum omnium exponi; unde alii expreſſam perpetuamque in nobis recognoſcendæ liberalitatis alienæ imaginem intueantur; poſteritas vero, propoſitis quaſi exemplis, ad tam illuſtria facta æmulandum incitetur.

Proximum in hoc Bibliothecarii Munere et valde præcipuum erit, ut Libros cujuſcunque magnitudinis, juxta Facultates, in Claſſes ſuas digerat: ſingulis Facultatibus Catalogos, et Tabulas aſſignet, pluteo cuique (ubi commode fieri poterit) affigendas; Auctores in ſingulis Tabulis nominatos Ordine alphabetico diſponat. In quibus, præter nomen Auctoris et Titulum operis, qua forma Voluminis excuſum, quo Loco Annoque editum fuerit,

rit, ſubjiciat. Quippe Studioſis pleriſque uſu venire ſolet, ut ex hac particularum (quæ leviſſima videntur) intelligentia, uberrimos inter ſtudendum fructus percipiant.

Rurſus quandocunque, ex Donatione et Munificentia cujuſquam, Librum unum vel plures, ſive Typis impreſſos, ſive Manuſcriptos, aut alia nonnullius pretii Scripta, Bibliothecario commendari contigerit, una cum cæteris in Bibliotheca collocanda, tantiſper in hac re curanda moram ei indultam volumus, donec Librorum, ſive rerum fidei ſuæ creditarum, defectus (ſiqui fuerint) reſarciverit; et unumquodque Volumen (ſi forte male habitum) ad uſum et perpetuitatem probe concinnaverit.

Quod ad ſumptum operis attinet, Pro-Cancellarius, qui tum fuerit, (quem nos, ut poſtea conſtabit, accipiendis cuſtodiendiſque Bibliothecæ Cenſibus præficimus) pecunias, cæteraque neceſſaria, prout poſtulat occaſio, ampliter ſuppeditabit; quorum propterea Bibliothecarius rationes ei reddere tenebitur; quæ, ſi uſus poſcat, proferri per Vice-Cancellarium in ſuo poſtea Ratiocinio poſſunt.

Quod ſi largitio pecuniaria fuerit, quæ, ad Libros pro voluntate et arbitrio ipſius coemendos, illius fidei concreditur, Donantis deſiderio ſine cunctatione morem geret, ſi quovis pacto tot Libros comparandi facultas fuerit; vel, ſi commode id fieri non poſſit, tum Vice-Cancellario auctor erit, ut ſimul cum Bibliothecæ Reditibus tam diu reſervetur, donec in Libris perquirendis erogari poſſit; quem in finem prima opportunitas captanda eſt, et in emendis ſumma diligentia adhibenda; delectus quinetiam bonorum Auctorum et Editionum faciendus; denique nullus non lapis movendus, ut officii fideique numeros omnes abſolvat, votoque Donantis reſpondeat: cui (priuſquam Libri ſic coempti in Bibliothecam communem inferantur) Catalogum Titulorum, Pretiumque ſingulorum Librorum repræſentabit ipſe, aut ad eum tranſmittendum curabit; mox, abſque aliqua pretii mentione, eoſdem in Matriculam Mæcenatum referet.

5. *De tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam.*

CÆterum quoniam hoc Librorum Repoſitorium omnino ad publicas perpetuaſque Studentium opportunitates comparatum eſt, multiſque modis expediat, ut ad cunctos certa dierum hora-

horarumque notitia perveniat (quando nimirum Bibliothecæ Cuſtodem ibidem offendant:) Idcirco Statuimus et Ordinamus, ut (præter Sabbatum, Natalem Domini Servatoris, cæteroſque dies Feſtos, et dies luſtrandæ Bibliothecæ deſtinatos) per univerſum Anni circuitum, nullus Dies integer feriando eximatur; porro neque interciſus; antemeridianum tempus, in ſolennibus Precationibus, aut ad Clerum Concionibus, duntaxat ſi excipias.

Accidere tamen nonnunquam poteſt (per frequentem urgentium, necdum ſatis proviſarum, occaſionum multitudinem) ut alia fortaſſis Induciarum tempora ex ſupremæ Convocationis Edicto adjiciantur. Ea ubi inciderint, tum valvis, in ipſo Scholæ Theologicæ limine, Schedulam affigendo, palam hoc, ut omnibus innoteſcat, Bibliothecarius denunciabit.

Quamobrem, ſepoſitis his quas modo diximus exceptionibus, volumus jubemuſque, ut Bibliothecarius ipſe (ceſſante morbi cauſa, aut impedimento legitimo, deinceps explicando) præſto ſemper aperiendis Bibliothecæ foribus adſit; ſimul ipſe intro maneat, ſimul aliis ingrediendi poteſtatem faciat; mane, ab octava uſque in horam undecimam; poſt meridiem, a ſecunda in quintam ibi expectet; (id quod a Feſto Paſchatis ad Divi Michaelis intelligi placet:) Per alterum Anni ſemiſſem, a prima in quartam ſpatium hoc productum volumus, præterquam ſingulis diebus Saturni: tum enim, poſt meridiem (quo Bibliothecæ ſordes commodius purgentur) a prima in tertiam uſque detinebitur.

Sub horas ſic ſubſcriptas Campanum pulſari curabit, cujus ſonitu maturum accedendi exeundique tempus intelligatur: ſic enim fiet ut nimis feſtinanter nullus illic appellat, nimis ſero illic moretur; quod Horologiorum diſcordia ſæpenumero (in grave Bibliothecarii et Studentium præjudicium) efficere poteſt.

Sancitum inſuper volumus (ne qua ex parte Operi materiato Libriſque periculum creetur) quod nullus qui locum illum frequentat (ſive Gradu aliquo ornetur, ſive non) immo nec ipſe Bibliothecæ Cuſtos, aut Vicarius ipſius, quocunque prætextu aut colore per noctem illuc inferat funale, lychnum, lampadem, lucernam, aut quodvis luminare accenſum; ſi fecerit, Officio in perpetuum mulctetur.

Abeſſe autem ab hoc Munere Cuſtodem nolumus (niſi juſtis de cauſis, quas poſtea recenſebimus) per diei unius intervallum, ejuſve ſemiſſem, aut earum quas diximus horarum aliquam, ſub pœna viginti Solidorum, quoties eum ſic abeſſe contigerit; quæ

Summa

Summa, de Salario ipſius amputanda, ad amplificandam Librorum ſupellectilem deputabitur.

6. *De Modo ſtudendi: necnon de Libris in Quarto et Octavo.*

PORRO, quemadmodum omnibus Bibliothecam frequentaturis liberum licitumque eſſe volumus, (ſi ad eum modum habiles fuerint, quem modo explicabimus) cuncta Volumina Pluteis per catenulas illigata perluſtrare, dum ea confibulare, adſtrigmenta in nodum colligere, implexas eorum catenulas extricare, ſuis quæque locis digeſta (ſic ut offenderant) reponere, meminerint, (ſi ſecus fecerint, Ære negligentiam ſuam, pro arbitrio Vice-Cancellarii, luituri:) Ita, minoris formæ Volumina in Quarto et Octavo, quæque in Clathris et ſub Cuſtodia Bibliothecarii ſolius continentur, ne contrectatione nimia et pervolutatione corrumpantur, (quando ob antiquitatem, raritatem, pretium, ſpeciem, aut aliam denique præſtantiorem ob notam magni æſtimanda fuerint) hac lege viſendi cupidis exhibeantur. In manus cuique et numerato tradantur; coram evolvantur; ante diſceſſum reddantur. Qui hanc legem violaverit, in duplum cujuſque Libri valorem, quem ſic retinuerit aut celaverit, condemnetur; et, ſi deſtinata animi improbitate id factum comprobetur, e Bibliotheca in perpetuum ejiciatur. Porro, quoad Manuſcripta Volumina (quæ promiſcue ſingulis in Bibliothecam admiſſis ſine diſcrimine utenda exponi, non poteſt periculo carere) Statutum eſt quod (præter volumina dudum Archivis incluſa et MSS. Codices H. H. C. C. Guilielmi Comitis Pembrochiæ et Guilielmi Archiepiſcopi Cantuarienſis peculiaribus Clathris concluſos) reliqua etiam volumina MSS. ſparſim nunc collocata in unum colligantur, et ſub Clathris ſeu Cancellis concluſa teneantur; nec cuiquam, qui non ſit actu membrum Univerſitatis, utenda permittantur, niſi qui in Artibus Magiſtrum aut ſaltem in Jure Civili Baccalaureum adduxerit, ſibi adſtiturum vel aſſeſſurum quamdiu codice quovis MS^to^. utetur; quique de libro indemni et illæſo redhibendo ſpondeat.

7. *De Hypo-Bibliothecario; ejus Qualitas, et Munus.*

VERUM quia expedit, ut aliquid otii Bibliothecario largiamur, quo privatis Studiis et meditationibus liberius vacet, (cujus præſtatio eſſet profecto pertenuis, ſi ipſe ſolus ad obſequia ſingulorum, ejuſmodi Libros poſtulantium, ſe accommodaret,) conſentaneum fore cenſuimus, ut Miniſter aliquis, qui aſſiduus eſſe poſſit, in partem laboris vocetur; qui Linguarum haud imperitus ſit; qui præſto illi adſit, opem diligentiamque ſuppeditet; ejus arbitrium in omnibus Bibliothecæ negotiis ſequatur; ſub Jurisjurandi religione fidelitatem ſpondeat: Juramentum de Primatu Regio agnoſcendo ſubeat, ſimulque Religionis Fideique Articulis ſubſcribat; Peritiam eam habeat quæ perquirendis (ubi poſcuntur) ac iterum diſtribuendis Libris ſufficiat: Nam eos qui in Clathris ſeu Archivis reconduntur, Bibliothecarius ipſe, ſi adfuerit; ſin minus, Vicarius ipſius legitime ſubrogatus, ſuis manibus depromet; nec ultra vicenarium numerum unica vice, cujujcunque generis fuerint: Hanc quippe Summam diſtricte ab illo exhiberi Statuimus et Mandamus; niſi aliquando, gratificandi ſtudio, præſcriptum a nobis numerum tranſcendat; in quo integre ſe gerat, et ſingulorum Studentium deſideriis obſecundet, adhibita (ut par eſt) ad Gradum cujuſcunque Ordinemque ratione.

8. *De Libris extra Bibliothecam non ferendis, aut ullo pacto commodandis.*

QUoniam variis anteacti temporis exemplis, cum in Academia hac noſtra, tum in aliis hujus Regni partibus abundamus, unde nimis edocti fuimus, quantam celeberrimis pleriſque Bibliothecis ruinam et perniciem invexerit frequens Librorum commodatio:

Idcirco Statuimus et Decernimus, immo in formam perpetui Edicti et indiſpenſabilis ordinamus, ut nullus de cætero, cujuſcunque Loci aut Status fuerit (omni prætextu, cauſa, ratione ceſſante) quodcunque Volumen, ſive catenis illigatum, ſive ſolutum (quantalibet præſtita Cautione, aut Fide-juſſoribus, de Libro bona fide redhibendo) datum aut commodatum habeat.

Utque

Utque nullus in poſterum ejuſmodi Librum aut Volumen extra Bibliothecam aſportet, aut ob alium finem detineat; niſi (uſu id exigente) aut omnino divendi contigerit (quippe incommodum et minime neceſſarium) aut cum alio melioris notæ commutari; aut luxatum et detritum denuo compingi, mox in nido (unde depromptus fuerat) reponendum. Quod ut melius effici poſſit, præter Bibliothecarium nemo ſe immiſcebit; hoc namque ille negotium ex ſcientia, voluntate, et dictamine Curatorum publicorum explicabit: quorum auctoritas quæ futura ſit, per Conſtitutiones ſequentes enarrabitur.

9. *Quo tempore, quibuſque de Cauſis, Proto-Bibliothecarius licite abeſſe poſſit. De ſubſtituendo idoneo aliquo Viro in locum Abſentis.*

ADhæc ſubinde apud nos cogitantes, poſſe Bibliothecarium, urgentibus quandoque negotiis, aut adverſa valetudine laborantem, (cujus ille veritatem, requiſitus, ſub virtute Juramenti affirmabit) abſentiæ ſuæ veniam depoſtulare; proin Vice-Cancellario, ejuſve Subſtituto, pleniſſime poteſtatem facimus huic petitioni ſubſcribendi; dum tamen, per ſingulos Anni Quadrantes, ſeptendium (ſive continuum ſive interpolatum, prout uſus efflagitaverit) id ſpatium non excedat.

Cui interea Muneri defungendo doctum aliquem et Gradu aliquo inſignitum ſuccenturiari volumus; de cujus fide et probitate perpetuum fuit apud omnes et laudatum elogium: Aut, ſi Vice-Cancellario videbitur (ſiquidem omnis ſubſtituendi et ſubrogandi poteſtas illius fidei, aut Deputati ſui, mandanda erit) ad eundem aut conſimilem plane modum Juramentum ab eo exiget, quale Bibliothecarius ipſe, ſub tempus Admiſſionis ſuæ, ſubire ſolitus eſt. Quod ſi uſque adeo favorabilis fuerit Bibliothecarii cauſa, ut merito in plures dies prorogandam eſſe hanc licentiam vendicet, quam eſt a nobis antea definitum, communibus in alterutra Congregationum Suffragiis arbitrium permitti volumus; nequando, procedente tempore, eveniat, ut (apud unum aliquem et ſolitarium Virum dum agitur) nimia facilitas inſignem abuſum invehat; unde amplior fortaſſe indulgendi veniam occaſio ſuboriatur, quam ut tanti Muneris præfecturæ et conditioni bene reſpondeat.

10. *De annuo Salario assignato ad remunerandum Bibliothecarium, Hypo-Bibliothecarium, et Janitorem. Janitoris Munus. Penes quem sit potestas eligendi inferiores Ministros.*

ADductis in bilancem, probeque examinatis, admodum assiduis et indefessis Bibliothecarii laboribus, tametsi ex iis uberiores suam ipsius cognitionem promovendi, et amplificandæ existimationis suæ, opportunitates percipiat, quam alius quicunque Academicus, unde non mediocre studiorum solatium hauriat; nihilo secus rem ejus privatam augendi studio permoti, quo alacrius institutum Munus persequatur:

Ordinamus et volumus, præter annuum illud viginti (quos vocant) Nobilium Stipendium, ex antiqua Regis Henrici Quarti (aliqua saltem, ad eam Summam constituendam, per alios accessione facta) munificentia ad nos profectum, et per Procuratores e Fisco Academico numerandum; insuper triginta trium librarum, sex solidorum, octo denariorum Summam, (quæ in ampliſſimo illo Donationis Bodleianæ Instrumento exprimitur) per singulos Anni semisses, æqualibus portionibus recipiat; sub statuta nimirum Divi Michaelis Archangeli et Annunciationis Beatissimæ Virginis Mariæ Festa, aut intra spatium triginta trium dierum proxime sequentium; quod quidem Salarium e Bibliothecæ Reditibus exhiberi Vice-Cancellarius procurabit.

Quod idem servari præcipimus in x libris Hypo-Bibliothecario numerandis, et VIII insuper minis solvendis alicui indigenti et probo Viro, aut Bibliothecarii famulo: ad quem singulis Septimanis (submonente Bibliothecario) pertinebit Officium Libros purgandi, Bibliothecam verrendi; mensarum, abacorum, sedilium, cancellorum, fenestrarum, quorumcunque denique pulvere situque inquinatorum, sordes detergenti: Qui etiam, ratione Officii sui, Campanam monitoriam pulsabit, ante et post meridiem præsto erit, idque assidue; longe a Janua non discedet; quæ sit ingredientium conditio non segniter observabit; Bibliothecario ejusve Deputato, item Hypo-Bibliothecario, obsequium præstabit; Postremo, in tuenda conservandaque Bibliotheca, fidem suam Jurejurando obstringet, priusquam ad hoc Officium admittatur.

Jus

Jus interim inferiores hos Miniſtros eligendi, ad Bibliothecarium; Bibliothecario cæteriſque omnibus perſolvendi Stipendia curam, ad Vice-Cancellarium; et (ſi qui quid tale promereantur) ſubmovendi ab Officiis auctoritatem, ad Bibliothecæ Curatores pertinere ſubintelligimus: de quorum poteſtate in ſequentibus diſſeremus.

11. *De ferrea quadam Ciſta, pro firmiori cuſtodia Redituum Bibliothecæ.*

ATQUE ut prædictis Bibliothecæ Reditibus, cæteriſque Pecuniarum Summis, quæ deinceps in tam pios uſus erogari poſſunt, idonea cautione proſpiciatur; operæ pretium fore duximus, ut intra triduum ab accepta quantalibet monetæ Summa, in Fiſcum Academicum, in quo Cenſus reponi ſolent, eadem inferatur; et in Ciſta quadam ferrea, in eum finem comparata, concluſa tribus Seris, (adhibita cuique Seræ clave duplici) firmiter cuſtodiatur: Claves Vice-Cancellarius et Procuratores aſſervabunt; quas illi, quoties Officii Inſignia deponunt, una cum cæterarum clavium faſciculo reſignent.

Procuratoribus ſolum incumbit, ut, Vice-Cancellarii monitu, claves ſuas ad Ciſtam aperiendam ferant, ſeque præſentes ſiſtant, quoties pecuniam inferri aut depromi contigerit: cujus Summam tunc et ibidem Vice-Cancellarius manu propria deſcribet in Commentarium, quem in eadem Ciſta, Locove non abſimili, fixum eſſe ſemper volumus: Deinde Procuratores (ceu teſtes oculati) Chirographis ſuis firmabunt. Sic enim conſtabit, quo pacto Accepta Expenſaque mutuo ſibi invicem reſpondeant, quando rationes Ciſtæ ſubducuntur.

12. *De iis, quos ſtudendi cauſa ad Bibliothecam admittere licet.*

JAM vero, quoniam ſatis cuique exploratum eſt, nihil, neque ad mitigandos Bibliothecarii labores, neque ad Studentium tranquillitatem, neque ad Librorum indemnitatem, neque ad Academiæ decus et dignitatem, magis conducere, quam ut certis quibuſdam limitibus eos qui ad Bibliothecæ uſum admittentur circumſcribamus:

Primum

Primum igitur eorum Sententiam penitus rejicimus, qui nemini non ingrediendi poteſtatem largiuntur: Siquidem tam effrænis et interminata conceſſio locum omnem moleſta vulgi frequentatione infeſtaret; qui partim aſpectando, obſtrependoque, partim huc illuc diſcurſando, obnixe ſtudentium contentioni et induſtriæ vim quaſi afferret. Quocirca ut tantis incommoditatibus obſtemus, in hunc qui ſequitur modum Statuimus et Decernimus; ut nullus ſtudendi Privilegio ibidem gaudeat, præter Doctores, ſive Licentiatos in aliqua trium Facultatum; S. Theologiæ Baccalaureos; Artium Magiſtros; Medicinæ, vel Juriſprudentiæ Baccalaureos; Artium per biennium Baccalaureos; reliquos demum Baccalaureos omnes, ſi eo, Caputio et Epitogio induti, venerint, ac Juramenti Bibliothecæ præſtiti (ſub Chirographo publici Univerſitatis Tabellionis) fidem fecerint; quo nomine ſex denarios eidem quiſque perſolvet. Juris autem Civilis Studioſis ad Bibliothecam aditus patebit, poſtquam in Academia triennium exegerint, ſi in Sodalitium Collegii alicujus adſciti fuerint, publicam Juriſprudentiæ Lecturam diligenter frequentaverint, idque Regii in eadem Facultate Profeſſoris Teſtimonio comprobaverint; modeſte ibi ſe geſſerint, majoribus ceſſerint, cultum denique illis et obſequium exhibuerint.

Inter hos etiam, præcipuis de cauſis, filios Baronum, in Comitiis Parliamentariis Suffragii jus habentium, accenſemus, (nam de Baronibus ipſis, ſubdubitare nemo debet;) et totidem præterea, cujuſcunque Ordinis aut Loci fuerint, quotquot, pio propenſoque de bonis literis promerendi ſtudio permoti, ſua benignitate munificentiaque Armarium hoc locupletarunt: incivile quippe, et illiberale foret, ſi tam præſtantibus Patronis et Fautoribus beneficentiæ ſuæ fructus, per ſummam invidiam, interdiceremus. Veruntamen, ne tam auguſto Muſarum Domicilio (in omnem, uti ſperamus æternitatem extructo conſervandoque) tenella etiam cura noſtra quoviſmodo deeſſe poſſit; ſancitum eſſe volumus, quod priuſquam Graduato cuicunque, alterive cuiquam præſtantioris notæ aut meriti, aditus in Bibliothecam patefiat, coram Vice-Cancellario ejuſve Deputato, adſtante Bibliothecario, fidem bonam Bibliothecæ præſtet, nempe ſub Juramenti obligatione, in hæc verba concipienda.

"Tu promittes, ſancteque coram Deo Optimo Maximo recipies, quod quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire te contigerit, animum ad ſtudia per modeſtiam et ſilentium accommodabis; Libros, cæterumque Cultum ſic tractabis, ut ſupereſſe quam diutiſſime poſſint. Item

Item quod neque tu in Perſona tua aliquem vel aliquot Libros ſurripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, ſcindes, annotabis, interſcribes, ſponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut alio quocunque modo detruncabis, abuteris, deteres, imminueſve; nec alii cuiquam auctor eris horum quidvis perpetrandi; ſed, quantum in te eſt, delinquentem vel delinquentes impedies; ipſorumque maleficia Vice-Cancellario, ejuſve Deputato, intra triduum poſtquam tibi innotuerint, denuntiabis: Ita te Deus adjuvet, tactis ſacroſanctis Chriſti Evangeliis."

Præterea alii cuicunque, etiam non benefico, præſertim Extero, hanc veniam (quo Studia in qualibet Scientia felicius promoveantur) indulgemus; ſi Privilegium hoc, quaſi Gratiam, in Domo Congregationis impetraverit, ac poſtmodo, ante Admiſſionem ſuam, Juramentum præſtet.

Quod ſi quiſpiam eo impudentiæ prolabatur, ut abſque Indulto ſpeciali ſeſe intromittat, priuſquam Juramenti Religione fidem ſuam obſtrinxerit; is, niſi a Jurato deductus apud illum palam permanſerit (qui, nequid improbe a conſocio fiat, obſes in virtute Juramenti ſui futurus eſt) in Carcerem per diem unum conjiciatur, et (prout ipſius merita eſt arrogantia) pœna pecuniaria (eam addicente Vice-Cancellario, aut ipſius Surrogato) afficiatur; cujus ſemiſſem, (quod in hujuſmodi mulctis ſolenne erit) alterum Bibliothecario, Bibliothecæ uſibus et commodis alterum, adjudicari placet.

Quod ſi poſthac contigerit (cujus nullum unquam exemplum, ita bene ominamur, præſens aut poſtera ætas ſpectabit) ut Graduatus aliquis, aut quilibet alius, lancinandi, ſubducendi, avertendi Librum aliquem aut Libros, Tractatum vel Tractatus, paginam, paginaſve cujuſvis in Bibliotheca Voluminis; vel lineam ſeu lineas, verbum ſeu verba, ſyllabam, literam in quocunque Auctore demutandi, liquido reus compertus fuerit; vel conſimile delictum ab alio perpetratum ſciens, dolo malo intra triduum non denuntiaverit: is (ſi quidem Graduatus fuerit) publice in proxima Magiſtrorum Regentium Congregatione exauctorabitur: ſive vero Graduatus fuerit, ſive non, protinus, cum a Bibliotheca, tum ab Academia, cum infamia atque dedecore, ſine ulla ſpe regreſſus, amovebitur: atque ob tam indignum facinus amotionis in ipſum Sententiam in plena Congregatione Vice-Cancellarius, aut ipſius Surrogatus, clare pronuntiabit; facti ſpeciem, et qualitatem perjurii

jurii tam ſacrilegi, ſupplicii quoque in exemplum inflicti modum, perpetuis infamiæ notis in Libello Memoriali conſignabit.

13. *De Curatoribus Bibliothecæ, et de Bibliotheca ſingulis Annis perluſtrandâ.*

TAmetſi autem perliberalis Bibliothecarii educatio, religioſa erga literas propenſio, plurima apud eruditos exiſtimatio, erga Academiam fides atque obſervantia, ſpem nobis eximiam afferant ſingularis cujuſdam ſolicitudinis et providentiæ, quam ad conſervandam tantæ exiſtimationis gemmam (ceu Tutor fiduciarius) adhibebit; quoniam tamen nonnulla hujus generis opera, ad bonum publicum inſtituta (recentibus pene jam ac ſpirantibus exemplis) ab iis læſa et violata fuiſſe deprehendimus, quos vel ipſa profeſſio, vel excellentis cujuſdam virtutis opinio, ob ſpectatam integritatem nobilitarunt; quantum itaque judicio ac mentis acie conſequi potuimus, qualicunque Bibliothecarii incuriæ, ſupinæve ipſius negligentiæ, obviam ire decrevimus.

Selectis primariæ dignationis octo Viris Graduatis, quos Curatores Bibliothecæ in pepetuum futuros deſignavimus; Vice-Cancellarium ſcilicet et Procuratores, eorumve Deputatos; ordinarios Facultatum Profeſſores, duos demum Hebraici Græcique ſermonis Interpretes Regios; ad quos (ſive ad majorem eorum partem) ſingulis Annis pertinere volumus, octavo die Novembris (niſi Dominicus fuerit, cujus vices dies Lunæ proximus compenſabit) eo nimirum, quo primum auſpicato in Bibliothecam aditus aperiebatur, ut in ipſius ſtatum ac conditionem ſingulatim inquirant: in quem finem, pridie ejus diei, Curatores ſingulos Vice-Cancellarius, ejuſve Deputatus, per Bedellum ſubmonebit, eo ut ſe primo mane ſequente recipiant.

Ibi vero claufis foribus (ne quiſquam incommode illos interpellet) et ſecluſo Bibliothecario donec accitus fuerit, matureque recognitis iſtis Sanctionibus, examinabunt, ecquid diligentiam adhibuerit in ſcribendis Mæcenatum Indicibus; Librorum Nominibus, in Tabulas deſcriptis, cuique Pluteo (ubi commode fieri poterit) affigendis; Auctoribus juxta Claſſes ſuas digerendis; iis ſubminiſtrandis qui obſerati ſunt, ejuſque Cuſtodiæ commendati; intro ferendis reponendiſque Libris cujuſquam benignitate in Bibliothecam collatis; in illa aperienda, recludendaque; in eaque permanendo per tempus præſtitutum; illos inhibendo qui Bibliothecæ

Jure

Jure nondum donantur; Libris Ædificiiſque proſpiciendo, reliquoque Bibliothecario Cultui, ne pulvere aut ſordibus inquinetur; ne quid a vento pluviave, per feneſtras, detrimenti afferatur, aut alio quocunque modo propter inſtaurationis incuriam. Nam in omnibus iſtis, reliquiſque ad Officium ipſius ſpectantibus, quicquid aut deliquit aut male adminiſtravit Bibliothecarius, in eo Vice-Cancellarius ejuſve Deputatus, ex conſenſu ſuffragioque Curatorum, admonendi, coarguendi, caſtigandi, ſimulque Sententiam harum Sanctionum executioni demandandi poteſtatem habebit: Nam ſi ex noxa contracta ſic fuerit obligatus, ut amotionis pœnam digne mereatur, eam cenſuram ex Decreto Convocationis publice peragi volumus, penes quam eligendi ipſum poteſtas fuit.

Quando autem evenire ſæpenumero ſolet, in omnium Rerumpublicarum etiam prudentiſſimis Conſtitutionibus, ut, ſi leviſſimæ cujuſvis mali occaſioni primum indulgeas (tametſi eam raro et quaſi oculis conniventibus permittas) damnum inde plane irreparabile emanet, quod aliquando etiam vergat ad interitum et perniciem operis univerſi; ea de cauſa Curatoribus modo deſignatis poteſtatem facimus, ſimul illos obnoxe rogamus, ne tam præclaro in Bibliothecam inquirendi negotio deeſſe velint. Neque ſolum, juxta Sanctionum noſtrarum effectum, articulatim, quomodo Muneris ſui rationem Bibliothecarius obiverit, excutiant; ſed incertis etiam in rebus ad illos relatis, quid ſit faciendum, demonſtrent; ſi imperfecte conditum Statutum; ſi recenti malo novum ſit quærendum remedium; ſimiliterque in cæteris, ubi opem efflagitat rerum neceſſitas. Atque ſuper hujuſmodi incommodis (poſtquam inter illos, conjunctis opinionibus, convenerit) publica Regentium et non Regentium Domus certior facta expeditam afferet emendationem.

Præterea, ſi idem omnibus videbitur (majoris namque momenti res eſt, quam ut votorum pluralitate dirimatur) ſcripto aliquo conſignabunt, quos Libros cum aliis præſtantioris editionis permutari; quos exportari, ſuperfluos ſcilicet, et parum ex uſu; quos, e nummis collatitiis, aut peculio in Ciſta ferrea conſervato, pretio comparari placuerit; unde quantum in hos uſus erogandum ſit, pro peculii facultatibus provide definiendum erit. Summam vero ſic definitam Pro-Cancellarius Bibliothecario ſolvet; qui continuo, virtute Juramenti, tenebitur eam quamprimum fieri poterit erogare, prout Curatores injunxerint; aut (ſi ipſius arbitrio permiſerint) prout ipſi commodum videbitur; ea tamen

lege et conditione, ut in maximum Bibliothecæ commodum expendat, et, ſub proximam Viſitationem, expenſorum fidelis ratio reddatur.

Et quamvis apud nos perſuaſiſſimum ſemper fuit, Viros Academicos, Graduum Doctrinæque dignitatibus præfulgentes (quales ad hanc curam ſuſtinendam nuncupavimus) ſuopte ingenio, et ad commune Studioſorum commodum provehendum ſtudio inductos (poſthabita mercedis expectatione omni) tantillum temporis, huic potiſſimum negotio deſtinatum, non infructuoſe elocatum velle arbitrari; honorarii tamen loco, ac pro ea, quæ Perſonis ipſorum et Profeſſionibus debetur, reverentia, ſingulis anniverſariis Viſitationibus, quadraginta ſolidos e Reditibus Ciſtæ Bibliothecariæ, in prandium cœnamve iis apparandam intra Academiæ præcinctum, ubi Vice-Cancellario placuerit, inſumendos decernimus.

Ad quem inſuper pertinere volumus, ut nonnulla Chirothecarum paria per Bedellum, inter epulandum, procuret exhiberi, quaſi teſſeras quaſdam illuſtres, quibus, ob ejuſmodi navatam operam, memorem ſe gratamque conteſtetur Academia. Et quidem quinque Profeſſoribus Regiis, una cum Procuratoribus, ſeptem paria (decem ſolidorum ſingula) præſtari; Bedello etiam inſervienti, quinque ſolidorum par unum; ipſis ſeorſim Procuratoribus quadraginta ſolidos, ob fidelem Clavium cuſtodiam, annumerari; Vice-Cancellario demum, Chirothecarum par unum, 20s. aut bina, bis decem ſolidorum, una cum viginti Aureis (quos hodie Nobiles appellamus) in accipiendis expendendiſque Bibliothecæ pecuniis occupato, ejuſque commodis et ornamentis intento, perſolvi volumus.

Atque ut omnis dehinc devitetur confuſio, quæ ſupputantium multitudinem ſequi ſolet; adeoque, ut certa aliqua ineatur ratio, primo in aſſervandis Bibliothecæ Cenſibus (quo præcipue tibicine nititur Bibliothecæ decus ac ſplendor) deinde in ſuppeditandis ſumptibus, tum ſuperius memoratis, tum aliis quibuſcunque, ut ſe tulerit occaſio, ſive emendi, compingendi, concatenandi, confibulandi, vel conſtringendi Libros; ſive lapſa inclinataque reſarciendi, prout interioris Structuræ uſus quandoque poſcet: Statuimus, ut præter Vice-Cancellarium alius nemo (niſi ex ipſius aut Curatorum Decreto peculiare aliquod impendii genus Bibliothecario demandetur) attrectandis Bibliothecæ Reditibus quoviſmodo ſe immiſceat, aut cuicunque pecuniarum Summæ in ejus uſum

poſthac

poſthac contribuendæ. Neque enim ſuſpicari poſſumus, quin, ſubducta tot præſtantiſſimorum Mæcenatum ratione, qui pie benigneque publico Muſæo ſubvenire voluerunt, præclara Literarum Studia poſteros etiam, quibus nonnihil debeant, ſubinde inventura ſint. Itaque ut exitum tandem noſtra offendat Oratio, ſupremam Legem hanc edicimus:

Ut Vice-Cancellarius, qui pro tempore fuerit, ſuperioris Anni Vice-Cancellarium, poſtquam annuum Adminiſtrationis ſuæ tempus confecerit, intra quindenam a depoſitis Inſignibus, una cum Bibliothecæ Curatoribus, (ſin forte iterum plurieſque Magiſtratum ipſi continuari contigerit, tum, quoties hoc Munere perfunctus fuerit, intra quindenam ſimiliter a depoſitis Inſignibus Bibliothecæ Curatores) convocet ad ea quæ in Ciſta ferrea ſuperſunt perluſtranda: Ubi in Scriptis acceptorum, extractorum, expenſorumque illius Anni rationem reddet; quam illi confeſtim, ſingulis accepti et expenſi nominibus diligenter penſatis, ad calculos vocabunt; ſimulque, antequam diſcedatur, Claves duplices in illorum manus reſignabit; quas, una cum rationibus ſic deſcriptis, primarius Cathedræ Doctor, (eoque abſente, qui reliquis tunc præeminet,) Vice-Cancellario in proxima Convocatione reddet, quæ ob eam cauſam e veſtigio edicenda eſt, ſimul atque eam Doctor ille petierit; atque in illo Conventu, quæ Ciſtæ facultates, quæ Ratiocinii ſit conditio, renuntiabit. Tum Ratiocinium ipſum continuo, ſicut exhibitum fuit, in Ciſtam, aut in locum aliquem tutum, reponatur.

Quod ſi ex Curatorum relatione Domui Convocationis conſtabit, Vice-Cancellarium rationibus reddendis obnoxium (poſtpoſitis Juramenti ſui religione, et exiſtimatione) Ærario Bibliothecæ damnum aliquod intuliſſe, quod omnino tamen (cum ob eminentem Viri dignitatem, remque tanti momenti in ejus fide locatam, tum vero etiam propter prudentiam atque animum, quo eſſe debet ad omnia fideliter atque integre adminiſtranda paratiſſimo) fieri non poſſe ſuſpicamur; in eadem Convocatione incuria hujuſmodi aut indiligentia (ſi levi culpæ ſit æquiparanda) cenſebitur: ſin inſignioris alicujus culpæ, quæ dolo ſit proxima, reus peragatur; tum crimen ſic admiſſum condigna ſeveritate vindicabitur. Atque penes hanc Domum interpretandi, immutandi, abrogandi, innovandi Conſtitutiones antea latas et Decreta noſtra, ſimulque illis addendi detrahendique; in omnem denique eventum, Bibliothecæ, ceu Gazophylacii plane inæſtimabilis, incolumitati multo ante proſpiciendi, ſuprema auctoritas ſemper eſto.

STATUTA ET ORDINATIONES QUÆDAM EDITÆ PER CURATORES BIBLIOTHECÆ, PUBLICE LECTÆ, ET PUBLICATÆ IN DOMO CONVOCATIONIS, ET PER EANDEM APPROBATÆ,

Decimo Tertio die Novemb. Anno Dom. 1613.

INprimis Statuimus, Ordinamus et Volumus, ut Bibliothecarius in Libris in poſterum emendis Conſilium et Adviſamentum ſequatur Dominorum Curatorum, ita ut nullus Liber emanet in aliqua Facultate, niſi cum approbatione Profeſſorum in ſingulis Facultatibus (ante vel poſt emptionem ejuſdem vel eorundem Librorum) obtenta in Scriptis; et ſub ea lege, ut Liber ille, ſive Libri, ſeu plures fuerint, ſeu pauciores (ſaltem eorum omnium nomina) præſententur Curatoribus in proxima Viſitatione; adſcripto ſingulis Libris pretio ſuo, quod ille (pro fide ei concredita) curabit ut, quam fieri poſſit, minimum ſit.

2. Curabit etiam idem Bibliothecarius, ſi Liber aliquis vel plures, ex relatione Studentium, ibidem deſiderentur, ut ſtatim in Libro aliquo, in hunc uſum deſtinato, inſcribantur Tituli eorundem Librorum; quo, mature conſilio inito cum Profeſſore illius Facultatis in qua hujuſmodi Liber deſideratur, de conſenſu Vice-Cancellarii idem Liber vel Libri emantur, atque inferantur in uſum Studioſorum.

3. Statuimus, quod Artium Baccalaurei, qui a die Præſentationis biennium integrum non compleverint, non permittantur frui beneficio publicæ Bibliothecæ, niſi ab Aulis et Collegiis ſuis ſinguli venerint ad Bibliothecam, veſtiti Habitu ſeu Capa, Caputio ſive Cucullo, et Pileo; quæ non prius exuent, quam a Bibliotheca reverſi fuerint: ſi quis ſecus facere præſumpſerit, ſciat ſe privatum fore omni beneficio ejuſdem Bibliothecæ, per ſpatium

trium

trium menſium proxime ſequentium. Curabit autem diligenter Bibliothecarius, et in abſentia ejus inferior Bibliothecarius, ſub virtute Juramenti, ut hoc Statutum, quantum in illis eſt, debitæ executioni demandetur. Proviſo, quod hoc Statutum non præjudicabit ullo modo filiis Magnatum, et Procerum, aut Dominorum in Parliamento Suffragii jus habentium; aut inferiori Bibliothecario, qui, Libris diſtribuendis occupatus, commode ita veſtitus incedere non poteſt.

4. Statuimus, ut Baccalaurei Artium, et omnes alii non Graduati, in poſterum a lectione Librorum Studiis ſuis minime competentium abſtineant; quod ſi quis deliquerit contra formam hujus Statuti, et admonitus per Bibliothecarium vel ejus Deputatum non reſipuerit, tradetur ſtatim nomen ejus per Cuſtodem Bibliothecæ, ſive ejus Deputatum, Vice-Cancellario et Procuratoribus, ut debita pœna ab eiſdem puniatur.

5. Statuimus, ut non Graduati, Facultatis Artium Baccalaurei, et minoris denique ordinis Graduati omnes, ſenioribus debitum obſequium et reverentiam præſtent; quamprimum eos viderint ad Scamnum, ſive Pluteum, in quo fuerint, accedentes, loco cedendo; vel aliter, Librum, quo prius uſi fuerant, tradendo, ſi res ita tulerit: quod ſi querela aliqua, eaque juſta, contra aliquem pervenerit ad aures Pro-Cancellarii, ſive Procuratorum, beneficium unius Termini in Gratia ſua deinceps proponenda pars delinquens amittet, aut aliter per Vice-Cancellarium punietur; et Regiſtrarius Academicus delictum hoc in Regiſtro ſuo fideliſſime annotabit.

6. Quia multi, Statutum de non introducendis extraneis aut injuratis in Bibliothecam publicam ſtudendi cauſa penitus ignorantes, aut non ſatis attendentes, pœnam incurrunt graviſſimam; ſi quis in poſterum deliquerit in hoc genere, ſciat ſe incarcerandum; præter pœnam pecuniariam arbitrio ac judicio Vice-Cancellarii delinquenti infligendam.

7. Statutum eſt, quod nullus, ſub pœna trium ſolidorum et quatuor denariorum, legendo in aliquem Librum incumbat; charta, ſive libello aliquo chartaceo aut membranaceo propoſito, ſuper Librum aliquem ſcribat: nam hoc modo, vel atramenti ſuffuſione, vel foliorum replicatione, vel ſordibus contractis contaminabitur, in non modicum detrimentum Librorum tam inſignium. Poſtremo curabit diligenter unuſquiſque Studioſus, ut Libri e manibus ſuis depoſiti, ac repoſiti in locum ſuum, utramque faſciam, ſive fibulam,

lam, aut omnes, (ſi plures fuerint,) firmiter nectat, atque colligat in nodum: delinquentes contra hoc Statutum ſolvent toties quoties duodecim denarios, nomine pœnæ.

8. Statuimus inſuper, ſi quis a Bibliothecario, vel ejus Deputato, aut aliquo Officiario Bibliothecæ, interrogatus de nomine ſuo, et Collegio ſive Aula, non reſponderit ſtatim juxta rei veritatem; quod ipſo facto a Bibliotheca publica amovebitur, quouſque per Congregationem Regentium, Gratia ſecundo propoſita et conceſſa, idoneus cenſebitur.

9. Statuimus, idque ſub pœna perjurii, ſi cui jurato probe conſtiterit, aliquem injuratum, aut non admiſſum juxta Statutorum exigentiam, in Bibliotheca commorari ſtudendi ergo; quod ſtatim revelet nomen ejus Bibliothecario aut ipſius Deputato, ut ab eiſdem mature proſpiciatur, nequid Bibliotheca detrimenti capiat.

10. Statuimus, quod ſuperior Bibliothecarius ſemel in unoquoque Anno ſupervideat omnes Libros, tam majores quam minores, in Bibliotheca publica contentos; et verum atque perfectum Catalogum eorundem conficiat, tradendum in manus Curatorum in die Viſitationis. Quod ſi poſt Viſitationem hanc, aut alias aliquo tempore, ipſi conſtiterit Librum aliquem (quod abſit) deſiderari, intra triduum poſt notitiam hujus rei revelabit Vice-Cancellario et Procuratoribus, ut omni modo pro Libro illo inquiratur.

11. Statuimus etiam, quod nec ſuperior nec inferior Bibliothecarius cuivis tradat Librum aliquem ad uſum ſtudiorum, niſi nomen ſuum (una cum literas locum cujuſque Libri indicantibus) in Libro chartaceo, ad hoc munus peculiariter deſtinato, inſcribat; ut, poſt Librum redditum juxta formam Statuti, deleatur vel expungatur nomen Studioſi, qui utendum illum Librum poſtulaverat.

12. Statuimus, quod Oſtiarius ſive Janitor, ſemel ad minus in quolibet menſe, omnium Librorum, Menſarum, Pluteorum, Sedilium, Cancellorum, Feneſtrarum, quorumcunque demum, pulvere ſituque inquinatorum, ſordes detergat; ſub pœna trium ſolidorum, quatuor denariorum, toties quoties.

13. Statuimus etiam, ut Libri in poſterum de novo ligandi, aut compingendi, ſint omnes, ſi commode fieri poſſit, coriacei, non membranacei; ut Catenis aliquando alligati ſingulorum ſtudentium uſui, citra moleſtiam Hypo-Bibliothecarii, exponantur.

14. Statuimus

14. Statuimus (quia Libri Anonymi quamplurimi in hac celeberrima Bibliotheca continentur) ſi quis certo reſtituere poſſit Libro ſuum Auctorem, quod liceat ipſi hoc facere (cum conſenſu Vice-Cancellarii, Profeſſoris ejuſdem Facultatis, et Proto-Bibliothecarii) non obſtante Statuto, de non ſcribendo in aliquo Libro: proviſo, quod hoc fiat quam fieri poteſt nitidiſſime, et characteribus oculis intuentium gratiſſimis.

15. Poſtremo Statuimus, Ordinamus, et Volumus, ut pauciſſimis tantum, atque parciſſime, oſtendantur Libri in Archivis contenti; quo melius in poſterum a ſordibus contrectantium conſerventur: et in hujus Statuti (ut et aliorum omnium) executione, omnem diligentiam atque curam adhibebit Bibliothecarius, nequid Bibliotheca fidei ejus commiſſa detrimenti capiat.

ORDINATIONES

QUÆDAM EDITÆ PER CURATORES BIBLIOTHECÆ, PUBLICATÆ IN DOMO CONVOCATIONIS, ET PER EANDEM APPROBATÆ

Viceſimo Septimo die Julii. Anno Dom. 1615.

INprimis Ordinatum eſt, quod Literæ notificatoriæ Viſitationis affigantur valvis Oſtii ducentis ad Scholam Theologicam, octo diebus præcedentibus eandem Viſitationem; ut eo melius, ſi quid a quoquam peccatum ſit contra Statuta et Ordinationes, innoteſcat Dominis Curatoribus, et opportunum eidem remedium provideatur.

2. Item, ut Domini Curatores melius perſpectum et exploratum habeant, quid ad eorum omnium Officium ſpectet; Statutum eſt, quod pro ſingulis Curatoribus, impenſis ex communi Ærario Bibliothecæ, tranſcribantur totidem exemplaria Statutorum Bibliothecæ (tam eorum quæ adhuc lata ſunt, quam quæ in poſterum

poſterum ferenda ſunt) quæ apud ipſos privatim deponantur, et per eos ad Succeſſores ſuos de tempore in tempus tranſmittantur. Et inſuper, ut unum exemplar eorundem accurate deſcriptum, impenſis prout ſupra, ſervetur diligenter in Archivis ejuſdem Bibliothecæ.

3. Item pro Libris in poſterum emendis in ſingulis Facultatibus, Ordinatum eſt (cum ſingulis Annis bini prodeant Catalogi Francofurtenſes, Autumnalis et Vernalis) quod Vice-Cancellarius pro tempore exiſtens congreget D. D. Curatores infra unam ſeptimanam a Catalogo ad nos perlato; quo perlecto, poterunt ſinguli eos Libros annotare, qui Bibliothecæ publicæ aut honori aut uſui maxime futuri ſint; pro quibus emendis Pro-Cancellarius pecuniam numerabit. Quod ſi privatus aliquis animadverterit Librum aliquem deeſſe in Bibliotheca communi, quem ad uſum Studentium transferri voluerit; pro eodem Libro ſtatim primarius Cuſtos ſcribet Literas ſuas, modo habeatur conſenſus unius ſaltem Curatorum (una cum Domino Vice-Cancellario) in Scriptis, ad facti fidem aſſerendam.

4. Item quod nomina Librorum omnium in Folio, Quarto, et Octavo (quo ordine in Bibliotheca collocantur) inſerantur in aliquo Libro peculiari; cujus Libri ſinguli Curatores habeant unum exemplar, ſubſcriptum manu primarii Cuſtodis et Curatorum; quem in die Viſitationis ſedulo evolvent, et, collatione diligenti habita, inſpicient Libros Anni ſuperioris, et ordinem inter ſe; ne ordo injuſſu eorum violetur, vel Liber aliquis fraude et injuria aliorum deſideretur: cujus rei tenebitur primarius Cuſtos ſtatim, vel ſaltem intra triduum, vitium Domino Vice-Cancellario, vel ejus Deputato, denuntiare.

5. Item pro explanatione cujuſdam Statuti controverſi (quo cavetur, quod Baccalaurei Artium, et omnes alii non Graduati, abſtineant in poſterum a lectione Librorum, ſtudiis ſuis minime competentium;) Decretum eſt, quod Baccalaurei et non Graduati non vagabuntur de loco ad locum; ſed in ea parte Bibliothecæ ſedulo ſtudiis ſuis incumbent, in qua Libri Facultatis Artium (iique ſoli) continentur. Proviſo ſemper, ne Exteris et Peregrinis, vel Juris, aut Medicinæ ſtudioſis fraudi ſit, quin Libris Facultatis ſuæ reſpective frui liceat.

6. Item quod Libri vel foliis ſolutis, vel fibulis qualitercunque deficientibus, reficiantur intra limites et pomœria Bibliothecæ, in loco aliquo peculiariter ad eum finem deſtinato, vel deſtinando; cæteri

cæteri vero, de novo compingendi, tradantur Bibliopegis (annotato eorum numero, et qualitate) per Cuſtodem Bibliothecæ, cui ſubſcribet quilibet e Bibliopegis.

7. Item quod Diſpenſatio nulli concedatur ſtudendi in Bibliotheca publica, niſi prius Diſpenſationis petendæ cauſam Curatorum aliquis ſub Chirographo ſuo approbaverit.

ORDINATIONES
EDITÆ PER VENERABILES VIROS CURATORES BIBLIOTHECÆ, ET CONFIRMATÆ IN VENERABILI DOMO CONVOCATIONIS,

Primo die Auguſti. Anno Dom. 1621.

INprimis D. D. Curatores æquum eſſe cenſuerunt, ut in magna Vacatione æſtivali (ceſſantibus Congregationibus) liceat cum Tranſmarinis, tum Noſtratibus eminentioris conditionis hominibus, (modo Advenæ ſint, qui huc ſtudendi cauſa appulerint) impetrata tantum licentia ſub Chirographo Domini Vice-Cancellarii, Procuratorum, et reliquorum Curatorum domi exiſtentium, poſt præſtitum Juramentum, publicæ Bibliothecæ beneficio frui.

Secundo, ut Feoda ordinaria admiſſionis in Bibliothecam, quæ ex Decreto Convocationis et aliquot Annorum conſuetudine ſtabilita ſunt, (videlicet duodecim denarii ſuperiori Bibliothecario; Inferiori, et Janitori, octodecim denarii) ſolvantur poſthac a Baccalaureis in Artibus ſuperiori Bedello in eadem Facultate, una cum reliquis Feodis in die Præſentationis ad Gradum ſuum.

Tertio, quod omnes et ſinguli Studioſi, admittendi ad ſtudendum in Bibliotheca, teneantur emere Catalogum Librorum ejuſdem Bibliothecæ, quandocunque eum denuo Typis vulgari uſus ac utilitas ſtudentium poſtulabit: Catalogo vero pretium, in ſingulos Libros, ſtatuent Vice-Cancellarius et Curatores.

FUNDATIO DUARUM LECTURARUM IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS:

Per Henricum Savile, COLLEGII MERTONENSIS CUSTODEM.

PUBLICATA ET CONFIRMATA IN VENERABILI DOMO CONVOCATIONIS,

Anno Dom. 1619. Auguſt 11.

IN nomine Glorioſiſſimæ et Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ego Henricus Savile Miles, cernens ſtudia Mathematica noſtris hominibus neglecta jacere; cupienſque huic parti jam prope deſertæ mederi; arteſque nobiliſſimas, quantum in me eſt, ab intuitu pene, vindicare; ex Auctoritate Regia, et cum conſenſu Univerſitatis Oxonienſis, fundo et ſtabilio, perpetuis futuris temporibus, in dicta Univerſitate duas Lecturas, ſive Profeſſiones publicas in ſcientiis Mathematicis; unam in Geometria, alteram in Aſtronomia.

2. *De utriuſque Profeſſoris Munere et Officio.*

GEometriæ Profeſſor ſciat ad Munus ſuum proprie pertinere, ut interpretetur publice treſdecim Libros Elementorum Euclidis; Apollonii Conica; et Archimedis Libros omnes; notaſque ſuas et obſervationes in eoſdem Libros, in Scripta redactas, relinquat in Archivis Univerſitatis, aliquo loco (ut ſpero) per Univerſitatem aſſignando in Bibliotheca [1] communi pro Libris meis (quos,

1 *De qua, inter temporarias quaſdam Conſtitutiones, ſic decretum eſt.* Regiſtro N. *fol.* 96. *Anno* 1620.

Statutum eſt quod libri Mathematici per egregium Virum D. H. Savile prædictæ Academiæ dati, et per eum et alios in poſterum dandi, collocentur in quibuſdam

in uſum potiſſimum Profeſſorum meorum, relinquere conſtitui) conſervandis. Interpretationem vero Sphæricorum Theodoſii et Menelai, et Doctrinam Triangulorum, tam planorum, quam ſphæricorum, utrique Profeſſorum in medio, pro ſuo arbitrio, relinquo tractandam. Ad Geometriæ Profeſſorem inſuper pertinebit, temporibus ſuis (quæ ſibi, cum conſenſu Univerſitatis, convenientia videbuntur) docere et exponere Arithmeticam, tam ſpeculativam quam practicam, omnis generis; Geodæſiam ſive Geometriam practicam; Canonicam, ſive Muſicam; et Mechanicam. In quibus explicandis liberum Profeſſori Librorum, quos interpretari voluerit, relinquo delectum; niſi aliter viſum fuerit Univerſitati.

Aſtronomiæ Profeſſor ad ſuum Munus ſciat neceſſario pertinere interpretationem totius Mathematicæ Conſtructionis Ptolemæi, (Almageſtum vocant,) adhibitis, ſuo loco, Copernici, Gebri, et aliorum Recentiorum inventis; notaſque ſuas redactas in Scripta (ut ſupra) relinquere: ita tamen, ut Sphæram Procli, vel Hypotheſes Planetarum Ptolemæi, poſſit, introductionis ad interiorem Artem gratia, Auditoribus proponere; Logiſticamque ſexagenariam vel privatim vel publice tradere. Ad Aſtronomiæ Profeſſorem ſimiliter pertinebit, etiam interpretari et docere (temporibus ut ſupra) totam Opticorum ſcientiam, Gnomonicam, Geographiam, et præcepta Navigationis, quatenus ex Mathematicis pendent. Genethliacorum vero Doctrinæ, et totius in univerſum divinatricis Aſtrologiæ, ſibi penitus noverit interdictam Profeſſionem. In Opticis, Gnomonicis, Geographia, &c. liberum Profeſſori permitto Librorum delectum, ut ſupra.

Hoc inſuper Geometriæ Profeſſori injungo; ut (præter publicas et ſolennes in Scholis Lectiones) ſemel, ad minus, in qualibet Septimana legibili, in Hoſpitio ſuo aut alio loco propinquo, vacet per unius horæ ſpatium inſtruendis Adoleſcentibus (ipſum diſcendi

dam Capſulis in illum finem fabricandis, in Camera media inter Scholas Mathematicas. Profeſſoribus autem tradantur hi libri, per Indenturas inter eos, et eorum quemlibet conjunctim et diviſim, et Cancellarium Magiſtros et Scholares Univerſitatis Oxonienſis, faciendas. Capſulis in quibus libri prædicti collocandi ſunt ſeræ apponantur; quarum claves, et claves oſtiorum ad illam Cameram ſpectantes, Inſtrumenta omnia, omnes Libri ibi exiſtentes, et Tabulæ, Profeſſorum Mathematicorum prædictorum fidei et cuſtiodiæ commiſſa ſunt: et teneantur utrique eorum virtute juramenti de libris Mathematicis, Inſtrumentis, Tabulis, &c. eorum fidei commiſſis, rationem reddere, et pro iiſdem ſigillatim per Indenturas Cancellario, Magiſtris et Scholaribus, prædictæ Academiæ, ſi corrupta fuerint vel amiſſa, ſatisfacere.

gratia adire volentibus) in Logiſtica ſive Arithmetica practica omnis generis, quæ melius ſine ulla ſolennitate, vernaculo (ſi viſum fuerit) ſermone, tradi poteſt. Et præterea ut temporibus idoneis, cum ei commodum fuerit, praxin Geometriæ exerceat coram Auditoribus ſuis (qui intereſſe voluerint) in Agris, vel locis Univerſitati vicinis. Aſtronomiæ Profeſſori hoc etiam injungo, ut ad imitationem Ptolemæi et Copernici, et eorum veſtigiis inſiſtendo, obſervationes Aſtronomicas, tam de nocte quam de die, faciat, (inſtrumentis ad hoc præparatis idoneis, et loco temporibuſque commodis delectis) eaſque in Scripta redactas (ſaltem quibus maxime fidit) relinquat in Archivis prædictis. Et ad hanc rem ſpero Univerſitatem omnem opem et operam prolixe collaturam; cum hæc ſola ſit vera via Aſtronomiæ veteris vel affirmandæ vel emendandæ. Utrique autem Profeſſorum injungo, vt Studioſis, de rebus Mathematicis ſe conſulere volentibus, faciles præbeant aditus, præſertim legitimis ſuis Auditoribus.

Juramentum præſtandum in admiſſione. "Tu promittes, ſancteque coram Deo. O. M. recipies, quod libros omnes Mathematicos, Inſtrumenta omnia, Tabulas, cæterumque cultum in Bibliotheca Mathematica, fidei tuæ commiſſa, bene et fideliter ſervabis: libros, &c. omnia ſic tractabis" [reliqua deinceps prout in Juramento Bibliothecæ Bodleianæ.]

3. *De Temporibus ceſſationum; quoties teneantur legere in Septimana; et ſub quibus Forisfacturis.*

TEmpora ceſſationum utrique Profeſſori a publicis Lectionibus [1] eadem ſunto quæ reliquis Profeſſoribus; iidem Termini, eædem Vacationes, quæ reliquæ Univerſitati hodie in uſu ſunt. Durante autem Termino, tenebitur uterque Profeſſor publice legere per horæ unius tres quadrantes, bis ad minus in qualibet Septimana; ſub pœna decem ſolidorum, pro ſingulis diebus ſic omiſſis, ex Stipendio ipſis debito per Vice-Cancellarium ſubtrahendorum, et uſui Ciſtæ Mathematicæ (inferius ſpecificatæ) applicandorum; niſi propter gravem corporis infirmitatem; quam tamen excuſationem nolumus ultra tres Septimanas valere: ut niſi, elapſis tribus Septimanis, alium ſubſtituat idoneum Profeſſorem, judicio Congregationis aut Convocationis approbandum,

1 N. 134. b.

ſciat

ſciat ſibi, pro quolibet die prætermiſſo, viginti ſolidos de Stipendio ſuo per Vice-Cancellarium ſubtrahendos, et uſui prædicto applicandos.

4. *De Auditoribus in utraque Profeſſione.*

DE Auditoribus utriuſque Lectoris ita decernendum judico: ut omnes Scholares, poſt Annum ſecundum completum ab adventu ad Univerſitatem, uſque ad Annum primum Baccalaureatus completum, aſſignentur audiendo Profeſſori Geometriæ; inde, uſque ad plenam Inceptionem in Artibus, audiendo Profeſſori Aſtronomiæ; ſub pœna ſex denariorum pro qualibet Lectione neglecta: ad eamque rem Bedellorum unus, per Univerſitatem aſſignandus, ſingulis Terminis novum conficiat Librum, in quo Auditorum nomina in utraque Profeſſione ſcribantur; ut Profeſſor, quoties ei viſum fuerit (ad minimum ſemel intra quatuordecim dies) nominatim omnes Auditores in Schola publice citari faciat: nominaque delinquentium dictus Bedellus ad Aulæ ſive Collegii Præfectum, vel alios Officiarios, deferat, exigendo ab iis ſex denarios pro ſingulis defectibus (ut præmittitur) ceſſante legitimo impedimento, per Præfectum Loci (manu ſua juſtam abſentiæ cauſam ſignificantem) approbando. Cujus Summæ, ſic collectæ, Bedellus tres faciat æquales partes; quarum unam Bedellus ſibi pro laboribus ſumat, aliam relinquat Profeſſori, tertiam Vice-Cancellario, ad uſum Ciſtæ Mathematicæ.

Et quia fieri poteſt, ut novi Auditores, indies accedentes, Profeſſorem Geometriæ (interiora Artis forte tractantem) aſſequi nequeant; ne audiendis Lectionibus, quas intelligere nequeant, tempus inutiliter terant, poteſtatem dandam cenſeo Profeſſori Geometriæ, pro ſua diſcretione, cum novis Auditoribus, ad unum Annum et non amplius, (ſub Chirographo manu ſua ſignato) pro abſentia ſua diſpenſare (nihil omnino a dictis Auditoribus pro dicta diſpenſatione, ſub pœna perjurii, exigendo;) quatenus, collectis interea viribus, et privata induſtria capaces facti, ſic demum ad audiendum cum fructu accedant. Locum et horam cujuſque Lecturæ, penes Univerſitatem eſto ſtatuere, et pro arbitrio mutare.

5. *Qui et quales eligi debent in Mathematicos Profeſſores.*

HOS Profeſſores ſive Lectores ordino, ſtatuo et decerno, fore perpetuis temporibus eligendos, ex hominibus bonæ famæ, et converſationis honeſtæ; ex quacunque Natione Orbis Chriſtiani, et cujuſcunque Ordinis, ſive Profeſſionis: qui (hauſta prius ex Ariſtotelis et Platonis fontibus puriore Philoſophia) in Mathematicis inſtructiſſimi ſint; adjuncta mediocri ſaltem Græcæ Linguæ cognitione; et Ætatis ad minimum Annorum viginti et ſex; et, ſi Anglus fuerit, volo ſit ad minimum in Artibus Magiſter; qui, ſine ulla diſpenſatione vel Temporis, vel Exercitiorum Scholaſticorum, Gradum illum legitime ſuſceperit; quam Conditionem in Exteris nihil moror.

6. *De Electoribus et Electione: de Admiſſione et Juramento Electi.*

HOrum porro Profeſſorum (reſervata mihi eorum nominatione, durante vita mea naturali) poſt meam mortem, liberam Electionem et Diſpoſitionem (quoties vacaverint, aut eorum alter quocunque modo vacaverit) committo his Novem Illuſtriſſimis Viris, qui pro tempore fuerint; Archiepiſcopo Cantuarienſi, Cancellario Angliæ ſive Cuſtodi Magni Sigilli, Cancellario Univerſitatis Oxonienſis, Epiſcopo Londinenſi, Principali Secretario Domini Regis, Capitali Juſticiario ad Placita coram Rege tenenda, Capitali Juſticiario de Banco, Capitali Baroni Scaccarii, et Decano Curiæ de Arcubus, aut majori parti eorum; advocato (ſi ipſis viſum fuerit) in conſilium Vice-Cancellario Univerſitatis Oxonienſis. Quos Illuſtriſſimos Dominos Electores ſpero perpetuos fore Patronos et ſpeciales Protectores Statutorum, Jurium, et Poſſeſſionum ad dictas Profeſſiones pertinentium.

Ad Vice-Cancellarii autem Munus pertinebit (vacante, quacunque ex cauſa, Profeſſoris alicujus loco) quam cito fieri commode poterit, Dominis Electoribus de vacatione ſignificare; iiſdemque in Scriptis tradere tenorem hujus Statuti et præcedentis.

Qui vel immediate ad Electionem novi Profeſſoris (juxta conditiones et qualitates prænotatas) procedant, ſi de idoneo Profeſſore ſtatim provideri poterit; vel potius (ſi ipſis ita videbitur) expectent ad aliquod tempus, puta ſex vel octo Menſium, dum Nuntiis

Nuntiis ad exteras Nationes, opera et diligentia Principalis Secretarii, vel alias, miſſis, intelligant, utrum in tranſmarinis Univerſitatibus, vel extra, præſtans aliquis Mathematicus poſſit huc noſtris conditionibus protrahi, ad faciendam Profeſſionem: et ad hanc rem ſumptus ſuppeditentur ex proventibus vacationum.

Illuſtriſſimos autem Dominos quam humillime exoratos velim, ut ſine ullo reſpectu dependentiæ, ſine ullo diſcrimine Univerſitatum aut Nationum, eos ſolum eligant, quos maxime idoneos crediderint ad illud Munùs obeundum; utque ſtatim, expedita Electione, Inſtrumentum publicum inde fieri jubeant, ad Univerſitatem, quamprimum illis viſum fuerit, tranſmittendum.

Cujus ſic Electi Admiſſionem volo et ſtatuo fieri ſolenniter, in Domo Congregationis, per Univerſitatem, ſtatim et immeditate poſt Inſtrumentum prædictum receptum, ceſſante legitimo impedimento. Præſtitis tamen, ante Admiſſionem, Juramentis de ſervandis Statutis Univerſitatis, hocque ſpeciali Juramento: "Ego N. electus Geometriæ vel Aſtronomiæ Profeſſor, juro me fideliter, pro meo poſſe, obſervaturum omnes Ordinationes et Statuta, Munus et Officium meum concernentia, ſicut Deus me adjuvet, per Jeſum Chriſtum hoc Sacroſancto Evangelio annuntiatum.

7. *De Stipendiis utriuſque Profeſſoris.*

DE Stipendiis Profeſſorum ita ſtatuo; ut Reditus Terrarum, et Tenementorum ad hunc uſum per me acquiſitorum, in Inſula *Oxney*, vocatorum *Norland*, in Comitatu Cantii; et Reditus Mannerii ſive Firmæ de *Little-hay*, in Comitatu Eſſexiæ: et Reditus Terrarum a me ſimiliter perquiſitarum in *Purſton*, alias *Pirſton*, in Comitatu Northamptoniæ (qui Reditus, ad præſens, Summam conficiunt trecentarum et viginti Librarum) integre cedant Profeſſoribus meis, æqualiter diſtribuendi; hoc eſt, centum ſexaginta Libræ pro ſingulis: quam diſtributionem decerno ſimiliter faciendam, ſi quæ [1] alia, futuris temporibus, ex mea liberalitate

1 *Acceſſio quædam poſtmodum facta eſt; de cujus diſtributione ſic in ſupremis Tabulis cavit idem Dominus* HEN. SAVILE.

Porro quoad 40l. annuas poſt mortem meam nomine Univerſitatis perquirendas hunc in modum ſtatuo et decerno. Viginti libras annuas, Fundorum ad Lecturas Mathematicas pertinentium Villico, a me nominando, aſſigno. Cujus muneris erit, bis quotannis, aut ſemel ſaltem, ſuis Sumptibus Fundos prædictos ſingulos perluſtrare; et utrum ædificia ſarta tecta præſtentur, aggeres ſeu ſepimenta probe curentur,

acceſſerint; quod non deſpero futurum, ſi Deus mihi vitam ad aliquot Annos prorogaverit: in utroque autem caſu, tam huic Stipendio præſenti 160 l. quam majori (ſi Deo ita viſum fuerit) futuro, hanc conditionem appono; ut pro Redituum tranſportatione, pro Litium defenſione, et aliis minutis Expenſis (ſi quæ inciderint) ſi aliunde, ut infra dicetur, ſuppleri non poterunt, pro rata ſubtrahatur a dictis Profeſſoribus; quum Univerſitatem nolim ullo modo per hanc Fundationem prægravari.

8. *De Locationibus Prædiorum.*

PORRO Prædia illa, et ſi quæ alia acceſſerint, decerno, nullo prætextu vel colore elocanda ultra terminum viginti et unius Annorum, a tempore locationis ſic factæ; et non pro termino vitæ, vel vitarum; nec pro aliquo alio majore Statu aut Intereſſe.

Sub illa etiam conditione, ut nulla nova Locatio fiat, niſi intra Triennium expirationis, ſurſum redditionis, aut foriſfacturæ veteris Locationis, prout in Collegiis omnibus provide ſancitum eſt; ſub pœna Nullitatis.

In omnibus autem novis Locationibus per Univerſitatem faciendis, ſtatuo et decerno, ut ambo Profeſſores (ſine quorum expreſſo conſenſu nullam Locationem fieri volumus) advocentur ad conſilium; ut, ſi aliquos Tenentes ſive Firmarios honeſtos, et judicio Univerſitatis idoneos, noverint, qui plus dare voluerint; plus dare volentibus ſine omni Fine, ſive Gerſuma, fiat locatio. Neque enim rationabile videtur, ut, cum pretia rerum venalium quotidie creſcant, non etiam creſcant (quoad fieri commode poterit) pretia

tur, agri rite colantur, explorare. Cujus etiam muneris erit, a Colonis reditus exigere, et pecunias eo nomine collectas Vice-Cancellario, qui pro tempore fuerit, fideliter in manus tradere. Ad hoc autem munus famulum meum *Rand. Palin* deſigno (cujus opera in fundis coemendis uſus ſum) quamdiu ſe Univerſitatis judicio approbaverit. Reliquas 20 l. prout ſequitur, diſpono. 3 l. 6 s. 8 d. Vice-Cancellario laboris et curæ præmium; Procuratoribus ſingulis, 40 s. 3 l. 6 s. 8 d. inter Bedellos Artium partiendos: Pulſanti Campanam, 1 l. 6 s. 8 d. Hæ ſummæ numerandæ ſunt ſtatim poſt finitum Fundorum Mathematicorum computum (memoratum cap. xi. Statutorum) non aliter. Reſiduæ octo libræ in augmentum Ciſtæ Mathematicæ cedant. Ubi tamen Reditus iſti perpetuo ac conſtanti tenore firmati ac ſtabiliti fuerint (id eſt quod durante vita prædicti *Palin* commode obtinere poterit) poſtquam ille Fatis, aut alias loco, ceſſerit, munus illud Villici plane ceſſare poſſe judico, et Viginti illas libras Profeſſoribus meis cedere volo, ad reſarciendum aliquatenus decrementum reditus de *Purſton*.

Prædio-

Prædiorum: quod incrementum (ſi quod fuerit) Profeſſoribus æqualiter diſtribuendum decerno: ut, qui diminutiones prædictas ſuſtinent, iidem etiam incrementa obvenientia (ſi quæ fuerint) percipiant, ad augmentationem ſuorum Stipendiorum; decima meliorationis parte Ciſtæ Mathematicæ reſervata.

9. *De cauſis propter quas uterque Profeſſor amittet omne jus ſuum in Profeſſione ſua.*

PRofeſſoribus autem meis expreſſe interdico, ne quis poſt Admiſſionem ſuam acceptet Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, cum cura aut ſine cura; neque Præbendam, Canonicatum, Archidiaconatum quemcunque; nullam Collegii cujuſquam vel Aulæ, vel etiam Hoſpitalis, Præfecturam; nullam in Collegio quocunque Societatem; nullum in Hoſpitali locum; nullum in Univerſitate publicum Officium (ut Vice-Cancellarii, Procuratoris, Clerici Mercatus, et ſimilium) ſub pœna amiſſionis (ipſo facto) omnis juris, quod in ſua Profeſſione prætendere valeat; et, ſi quis ante Admiſſionem ſuam præfatam Beneficium habuerit, aut alium quemcunque Locum vel Officium ex prædictis, ut eum vel ea effectualiter dimittat, intra ſpatium ſex menſium a prima ſua Admiſſione, ſub pœna conſimili.

10. *De Cauſis Expulſionis Profeſſorum.*

PRæterea ſtatuo et decerno, ut, ſi quis Profeſſorum convictus fuerit, vel propria confeſſione, vel per teſtes idoneos, vel per evidentiam facti, de crimine aliquo graviore; aut ſi notabiliter inſufficiens fuerit judicio Univerſitatis; vel intolerabiliter negligens fuerit, neque pœnis ſuperius expreſſis poterit emendari, per Univerſitatem (cui omnem deſtituendi poteſtatem, omni Appellatione remota, plenarie committo) a ſua abjiciatur Profeſſione, ſine ſpe regreſſus, aut commodi alicujus ulterioris perceptione. Quod ſi ſenio, morbo diuturno, aut incurabili impotentia, aut debilitate corporis vel animi fractus, ſuæ Profeſſioni (modo et forma prædictis) perficiendæ non ſuffecerit, abrogetur ei Profeſſionis Munus per Univerſitatem: hoc tamen adhibito moderamine, ut illi ſic a Profeſſionis Munere, non ſua culpa, dimiſſo, ſi tempore Profeſſionis ſuæ laudabiliter ſe geſſerit (neque alias ſibi de proprio ad valorem centum Librarum annuatim proviſum fuerit) tertia

pars Stipendii remaneat uſque ad mortem ſuam; reliquis partibus Succeſſor ſit tantiſper contentus, integrum poſt ejus mortem percepturus.

11. *De Annuo Computo per Vice-Cancellarium faciendo: et de Ciſta Mathematica inſtituenda.*

ITEM ordino, ut in fine Anni, quoties Vice-Cancellarius rationem reddiderit Univerſitati de Adminiſtratione ſua in Officio Vice-Cancellarii, coram eiſdem Auditoribus, præſentibus etiam Profeſſoribus ambobus, brevem reddat Computum de Receptis et Expenſis hujus Fundationis. Et, ſi quid, Computo finito, ſupererit pecuniarum (vel ex vacationibus, vel ex mulctatitia pecunia, vel alia quacunque de cauſa) in ſpeciali Ciſta reponatur (quæ Ciſta Mathematica appellabitur) ad uſus hujus Fundationis applicanda, et non alios; utputa, defenſionem Litium, ſi quæ inciderint; tranſportationem Redituum; ſumptus viſitationis Terrarum, quoties opus fuerit; confectionem Inſtrumentorum Aſtronomicorum; præparationem Loci pro cœleſtibus Obſervationibus; et alia incidentia circa hanc Fundationem, quæ facile numerari non poſſunt. Nihil enim volumus Profeſſoribus, de Stipendiis, ullâ ex cauſa detractum; niſi cum alia omnia ſubſidia et adminicula defecerint, neque ſpes ſubſit aliunde his incommodis medendi, aut ſumptus fortuito incidentes ſuſtinendi.

12. *De Licentia danda Profeſſoribus pro abſentia a Conventibus publicis.*

PRæterea æquum cenſeo (ſi ita videbitur Univerſitati) ut Stipendiola illa, quæ prius quatuor Lectionibus Ordinariis in Matheſi tribui ſolebant (quas poſt hanc Fundationem prorſus ceſſare poſſe judico) æqualiter hiſce Profeſſoribus diſtribuantur; et neuter Profeſſorum, cujuſcunque fuerit Gradus, teneatur intereſſe Congregationibus aut Convocationibus, aut aliis Conventibus Univerſitatis (Religioſis tantum exceptis) niſi pro libito.

Finis

Finis et Concluſio Statutorum.

Has Ordinationes et Statuta decerno perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari; reſervata tamen mihi poteſtate addendi, detrahendi, vel immutandi ea, vel aliquam inde particulam, cum conſenſu Univerſitatis, durante vita mea naturali. In cujus rei teſtimonium, Sigillum meum Præſentibus appoſui. Datum apud Eaton, juxta Windſore, decimo die Menſis Auguſti, Anno Regni Domini noſtri Jacobi, Dei Gratia, Angliæ, Franciæ, et Hiberniæ Regis, Fidei Defenſoris, &c. decimo ſeptimo, et Scotiæ quinquageſimo tertio, Annoque Domini 1619. Et nos Cancellarius, Magiſtri, et Scholares Univerſitatis Oxonienſis prædictæ, pro nobis et Succeſſoribus noſtris, Statuta, Conſtitutiones, Ordinationes, omniaque et ſingula prædicta approbamus, confirmamus, et ratificamus; præcipientes omnibus et ſingulis (quorum intereſt, ſeu in poſterum intereſſe poterit) ut omnia et ſingula præmiſſa firmiter obſervent, et obſervari per ſe et alios faciant, fide eorum data huic Univerſitati. In quorum omnium majorem fidem, et plenius teſtimonium, Sigillum commune Univerſitatis Oxonienſis prædictæ (quo in ſimilibus utimur) præſentibus apponi fecimus. Datum in Domo Congregationis in Univerſitate prædicta, XVI° die Menſis Auguſti, Anno reſpective prædicto.

DE FUNDANDA LECTURA IN PHILOSOPHIA NATURALI

DOM. GULIELMUS SEDLEY MILES IN SUPREMIS TABULIS SIC CAVIT.

INſuper, Do, Lego, de Pecuniis, quas Executori meo relicturus ſum, Libras bis mille, per ipſum (intra biennium poſtquam deceſſero ex hac vita) erogandas et collocandas in perquirendis Maneriis, Fundis, ac Tenementis, ad valorem prædictæ

Summæ. Reditus vero et proventus Maneriorum, Fundorum, ac Tenementorum ſic perquiſitorum, de conſilio Juriſperitorum, firmiter in perpetuum obligari et deſtinari volo ad dotandam Lecturam in Philoſophia Naturali, legendam in Univerſitate Oxonienſi, et per Vice-Cancellarium dictæ Univerſitatis, Præſidem Collegii Magdalenenſis in Oxonia, et Cuſtodem Collegii Omnium Animarum in Oxonia, qui pro tempore fuerint, aut per duos quoſvis ipſorum, dirigendam, ordinandam, et gubernandam.

ORDINATIONES

THOMÆ WHITE,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

CIRCA LECTURAM IN MORALI PHILOSOPHIA A SE INSTITUTAM, EDITÆ AC CONFIRMATÆ IN VENERABILI DOMO CONVOCATIONIS,

Anno Dom. 1621. Auguſti 1mo.

UT deinceps in perpetuum Moralis Philoſophiæ Lecturæ Viri undequaque pares, et huic Muneri ſuffecturi, eligantur, dictus THOMAS WHITE porro per præſentes animi ſui ſententiam ac conſilium exponit; velle ſe, ut dictus Prælector Moralis Philoſophiæ (quamdiu legendi Munere fungetur) ejuſdem Univerſitatis ſit membrum, ibidemque incolat et commoretur. Sit inſuper bonis Literis excultus, Morum gravitate et ſobrietate, Vitæ probitate, Religionis ſinceritate commendatus; quique ab omni alibi Eccleſiaſtico Munere, ſeu Cura Animarum, vacet. Quod ſi quando

quando hujuſmodi Curam adeptus fuerit, intra unius Anni curriculum, aut citius (ſi Cancellario, Magiſtris et Scholaribus Univerſitatis qui pro tempore fuerint, expedire videbitur) prædicto legendi Munere privetur, et amoveatur; ejuſque in locum ſubrogetur alius, dotibus ſupra requiſitis ornatus. Quæ dotes ac conditiones ſerventur modo, ac præſtentur, prædictus THOMAS WHITE (quo amputetur in poſterum omnis dubitandi anſa) porro indifferentem ſe profitetur, utrum dictus Prælector Moralis Philoſophiæ Collegii cujuſvis Socius ſit, necne; maritus, an cœlebs.

Quo autem liberalius ſuſtentetur dictus Prælector, ſimulque animus addatur in hoc munere ſucceſſuris in perpetuum; dictus THOMAS WHITE donat, diſponit, determinat, ac aſſignat Summam centum Librarum, legalis Monetæ Angliæ, e Reditibus, Exitibus, Proventibus ac Emolumentis Manerii, a me hunc in uſum perquiſiti, Meſſuagiorum, Tenementorum, ac Fundorum exeuntem, quotannis dicto Prælectori numerandam; operæ ac laboris ſui mercedem, ſeu Stipendium. Hoc autem Stipendium ipſi numerandum erit, ad ſingulos Anni quadrantes, quatuor æqualibus portionibus, in quatuor uſitatis Anni Feſtis; videlicet in Feſto S. Joannis Baptiſtæ; in Feſto Michaelis Archangeli; in Feſto Nativitatis Domini; in Feſto Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. Prima penſio a Feſto S. Joannis Baptiſtæ A.D. 1622. inchoanda; exinde reliquæ ſucceſſive in perpetuum continuandæ erunt.

Quo autem uberior ſit in poſterum proventus hominum, qui huic Muneri ſuffecturi, ac pares futuri ſint; dictus THO. WHITE per præſentes declarat, ſtatuit, ac decernit, poſt finitum quodque quinquennium, novum Lectorem dictæ Lecturæ (dotatum et aptatum huic Muneri, prout ſupra proviſum eſt) eligendum, et in locum prioris ſubrogandum eſſe: nec Lectorem quemvis ultra quinquennium in hac Lectura continuandum fore; niſi contrarium ſuadeat gravis ac urgens aliqua cauſa, per Vice-Cancellarium Univerſitatis, Decanum Ædis Chriſti, Præſides Collegii Magdalenenſis, et D. Joannis, et Procuratores qui pro tempore fuerint, aut per majorem partem horum (quorum unus ſemper ſit Vice-Cancellarius) approbanda: Expreſſe inſuper cauto, ne cui Lectorum in hoc Munus ſuccedentium (quocunque demum prætextu aut cauſa) ultra decennium prorogetur aut continuetur dicta Lectura.

Inſuper

Inſuper dictus Tho. White Lectorem Moralis Philoſophiæ modo ac forma ſequentibus eligendum eſſe ſtatuit ac decernit. Videlicet, penes Vice-Cancellarium dictæ Univerſitatis Oxonienſis qui pro tempore fuerit, Decanum Ædis Chriſti, Collegii Magdalenenſis, et D. Joannis, Præſides, et Procuratores qui pro tempore fuerint, aut penes majorem partem horum (quorum unus ſemper ſit Vice-Cancellarius) dictum Prælectorem Moralis Philoſophiæ eligendi jus ac poteſtas eſto.

Et ſi quando contingat Decanum Ædis Chriſti dictæ Univerſitatis Vice-Cancellarium eſſe, quando hujuſmodi Electio habenda fuerit; ipſi tunc Vice-Cancellario duplicis Suffragii jus concedimus, et non aliter; Forma eligendi, ac aliis omnibus circumſtantiis (prout ſuperius præſcriptum eſt) obſervatis.

Quod ſi poſthac Prælector Moralis Philoſophiæ laſcivioris aut diſcinctioris vitæ, moribuſve probroſis, aut infamis fuerit; per præſentes cautum eſto quod Vice-Cancellarius, qui pro tempore fuerit, aſſiſtente ſibi utroque Procuratore, hujuſmodi Lectorem coram ſe citatum ſerio increpabit, ſimulque monebit, ut ad bonam frugem ſe recipiat. Quod ſi, nihilominus, hujuſmodi monitis aures ſuas occluſerit, aut obſtinata animi improbitate vitæ prioris inſtitutum emendare noluerit; ob noxam crimenve ſecundo admiſſum, et liquido probatum, exauctoretur protinus, et loco moveatur; omnique in poſterum dictæ provinciæ capacitate ſibi interdictum ſciat. Mox in locum amoti alius, dotibus ſupra requiſitis inſtructus, ſubrogetur.

STATUTA

STATUTA
ET ORDINATIONES FACTÆ
ET STABILITÆ PER
CANCELLARIUM, MAGISTROS ET SCHOLARES
UNIVERSITATIS OXONIENSIS,
UNA CUM CONSENSU
RICHARDI TOMLINS,
DE CIVITATE WESTMONASTERII ARMIGERI,
DE LECTURA ANATOMICA FUNDATA,
ET CONSTITUTA, PER EUNDEM
RICHARDUM TOMLINS,
IN EADEM UNIVERSITATE.

Januarii 15°. Anno Dom. 1623.

QUoniam cognitio et notitia plena Corporis humani, Partiumque et Facultatum ejuſdem, multum confert ad honorem et gloriam Dei, potentiſſimi et admirandi Creatoris noſtri; eſtque præterea uſus multi Profeſſoribus Theologiæ, Philoſophiæ, omniſque literaturæ liberalis; et adhuc ſpeciatim neceſſaria Facultati Medicinæ, Artique Chirurgiæ, quarum perfectio conducit plurimum ad incolumitatem, ſalutem, et ſolatium totius Reipublicæ, in conſervandis perſonis ſuis; cumque ad diem uſque hodiernum, in neutra Academia hujus Regni (ſint licet alias totius Orbis Chriſtiani florentiſſimæ) ulla ſit Lectura Anatomica fundata, aut conſtituta:

Idcirco prædictus RICHARDUS TOMLINS, primum et potiſſimum in honorem et gloriam Dei, in bonum etiam et beneficium hujus Reipublicæ, et pro obſequio ſuo, propenſione, et affectu in prædictam Illuſtriſſimam Academiam Oxonienſem, hiſce præſentibus (cum conſenſu et approbatione dictæ Univerſitatis) fundat et conſtituit

ſtituit Lecturam Anatomicam, perpetuis futuris temporibus legendam, et exercendam in dicta Univerſitate, modo et forma prout ſequitur.

1. Quo melius perpetuæ ſucceſſioni, dictæque Lecturæ continuitati proſpiciatur, Fundator prædictus ſtatuit, et decernit, quod Medicinæ Profeſſor Regius, in dicta Univerſitate pro tempore exiſtens, perpetuus erit dictæ Lecturæ Anatomicæ Prælector.

2. Dictus Prælector Anatomicus, quolibet Vere, ſtatim poſt Conventus Judiciales publicos, vulgo vocatos Aſſiſas (illas ſcilicet Aſſiſas quæ communiter appellantur Aſſiſæ Quadrageſimales pro Comitatu Oxonienſi) cum obtinuit corpus ſive cadaver, integrum et ſanum, unius condemnatorum, et neci datorum (ſi hujuſmodi corpus obtigerit) vel corpus aliud, quamprimum commode haberi poterit; curabit idem corpus præparari, et diſſecari per Chirurgum peritum; et dictus Prælector publice monſtrabit, docebit, tradet, ſitum, naturam, uſum, et officium Partium corporis, in quatuor diſtinctis Lectionibus, ſeu Conventibus publicis, hac forma.

3. Mane proximo, vel, ad ultimum, ſecundo poſt necem hominis diſſecandi, (in Schola Medicinæ publica, vel loco alio diſſectioni aſſignato) præſto aderit corpus paratum, inter horas octavam et nonam ante meridiem, et Prælector Anatomicus (aſſiſtente Chirurgo, ad ſeparandas, levandas, ſeu attollendas et oſtendendas Partes) per ſpatium duarum horarum monſtrabit ſitum, naturam, et officium Partium, quæ vulgo vocantur Naturales; videlicet hepatis, lienis, ventriculi, inteſtinorum.

4. Eodem die poſt meridiem hora ſecunda, Prælector Anatomicus per duarum horarum ſpatium ulterius tradet et docebit ſitum, naturam, et uſum Partium earundem Naturalium.

5. Mane immediate proximo, Prælector Anatomicus tradet publice, per duarum horarum ſpatium (ut prius) ſitum, naturam, et officium Partium, quæ vulgo vocantur Vitales, videlicet cordis, pulmonum, &c.

6. Eodem die hora ſecunda poſt meridiem, Anatomicus Prælector, per horas duas monſtrabit et docebit ſitum, naturam, et officium Partium, et Facultatum Animalium; videlicet cerebri, &c.

7. Dictus Prælector, quovis Termino Academico S. Michaelis (horis conſuetis Lecturæ Medicæ deſtinatis) in Prælectionibus diſtinctis tribus, leget ſuper Sceleto; tradetque hiſtoriam Oſſium, eorum-

eorumque ſitum, naturam, et officium, diebus tribus ſeparatis, in una et eadem ſeptimana, publice in Scholis.

8. Temporibus aliis intra Terminum poterit Prælector (prout viſum fuerit) plenius explicare partem aliquam vel particulam Anatomes, vel Sceleti.

9. Anatomico Prælectori ſolventur annuatim xxvl. videlicet duodecim Libræ, decem Solidi, in Feſto Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ; et duodecim Libræ, decem Solidi, in Feſto S. Michaelis Archangeli; vel intra dies viginti a dictis Feſtis.

10. Ex hac Penſione annua Prælector ſolvet Chirurgo Corpus paranti, et diſſecanti, tres Libras, in Feſto Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ; vel intra viginti quatuor dies a dicto Feſto.

11. Prælector etiam, ex eadem annua Penſione viginti quinque Librarum, ſolvet et expendet in Corpore deferendo, removendo, decenterque ſepeliendo, et neceſſariis omnibus ad hoc negotium ſpectantibus, quadraginta Solidos.

12. Si Prælector negligenter omittet aliquam Lectionum Anatomicarum, et de Sceleto, prius memoratarum; aut (interveniente morbo ſuo, vel neceſſitate alia inſuperabili) non providebit de ſufficiente Deputato ad dictum Munus obeundum; Vice-Cancellarius Univerſitatis, et Procuratores pro tempore exiſtentes, vel ex illis aliqui duo (quorum unus erit Vice-Cancellarius pro tempore exiſtens) nominabunt et deſignabunt Virum doctum et ſufficientem (vel Doctorem, vel Licentiatum in Medicina ex eadem Univerſitate) ad ſupplendas dictas Lectiones; illique allocabunt, ex Penſione Prælectoris Anatomici, eam pecuniæ Summam, quam dicti Vice-Cancellarius et Procuratores, pro tempore exiſtentes, pro diſcretione ſua æquam judicabunt.

13. Auditores neceſſarii dictarum Lecturarum erunt omnes ſtudioſi Medicinæ, et omnes Chirurgi in Univerſitate. Et unuſquiſque ſtudioſorum Medicinæ (non licentiatorum ad practicandum in Medicina) et Chirurgorum pro quavis abſentia ſua, non approbata per Prælectorem, ſolvet duos Solidos; cujus Summæ dimidium dividetur inter Bedellos Artium, reſiduum cedet in uſum Lecturæ.

14. Unuſquiſque admittendus per Univerſitatem ad practicandum in Medicina vel Chirurgia, priuſquam Gratiam ſuam proponat ad dictam Licentiam obtinendam, Teſtimonium afferet, vel fidem faciet, quod interfuerit uni ſaltem integræ diſſectioni Ana-

tomicæ, unique integræ Lectioni de Sceleto; niſi ſecum per Congregationem Regentium diſpenſetur.

15. Si controverſia aliqua, dubium, aut difficultas oriatur ſuper interpretatione et ſenſu alicujus Statutorum prius memoratorum; vel de aliqua convenientia vel incommoditate circa dictam Lecturam Anatomicam; vel circa quippiam aliud eo ſpectans; dicta controverſia, dubium, vel difficultas, determinabitur et decidetur per Vice-Cancellarium Univerſitatis, Cuſtodem Collegii Novi, Rectorem Collegii Exonienſis, Principalem Collegii Jeſu, Prælectorem Anatomicum, et Procuratores, vel aliquos quatuor ex illis; quorum Vice-Cancellarius, pro tempore exiſtens, unus erit neceſſario: ita ut determinatio ſive deciſio hujuſmodi nullo modo variet aut mutet eſſentialem aliquam materiam, vel clauſulam, in dictis Statutis; et, ſi controverſiam ad illos allatam intra quindecim dies non determinaverint, vel ſi in dubio fuerit quippiam majoris momenti, dubium illud determinabitur et finietur per Convocationem dictæ Univerſitatis.

16. Poſtremo dictus RICHARDUS TOMLINS, per præſentes libere profitetur et declarat, quod ſibi conſtitutum plane et decretum ſit (auſpicante Divina Gratia) vel per ultimam Voluntatem, ſive Teſtamentum ſuum, vel per Actum aliquem legalem per illum (dum in vivis fuerit) perficiendum, Penſionem prædictam viginti quinque Librarum per Annum ad juſtam aliquam proportionem augere, et ampliare; confiditque quod intra paucos Annos, quos illi indulſerit Deus, ſedula cura, et induſtria ſtudioſa dictæ Lecturæ impenſa, ſimulque beneficium quod inde accreſcet publico, anſam illi dabit, animumque addet hoc faciendi.

17. Et cum conveniat habilem aliquem et peritum Chirurgum adjungi Prælectori Anatomico ad Corpus præparandum, et diſſecandum, qui dicto Prælectori aſſiſtet per totum tempus prælectionum ſuarum, ad ſeparandas, levandas, ſeu attollendas, et oſtendendas partes corporis diſtinctas (prout opportunum viſum fuerit Prælectori, dictas partes memorare;) Fundator prædictus, ſtatuit et decernit, quod Prælector Anatomicus, pro tempore exiſtens, perpetuis futuris temporibus eliget et nominabit Chirurgum, qui dictum Munus ſubeat et ſuppleat. Proviſo ſemper, quod dictus Chirurgus peritus ſit et expertus in Chirurgia, in eademque licentiatus per eandem Univerſitatem; nullus vero alius.

STATUTA DOCTORIS HEATHER,
DE MUSICES PRAXI HEBDOMADALI.
PUBLICATA ET CONFIRMATA
IN DOMO CONVOCATIONIS.

Anno Dom. 1626. Novemb. 16.

INprimis conſtituo et ordino conſtantem Muſicæ practicæ exercitationem pomeridianam, qualibet Septimana, die Jovis habendam; exceptis tantum pomeridianis Quadrageſimalibus.

Secundo, conſtituendum cenſeo muſicæ hujuſce exercitationis Choragum, ſive Præfectum aliquem; eumque volo muſicorum Inſtrumentorum ſibi commiſſorum curam ſuſcipere. Hunc autem Præfectum (quoties ipſius locus vacaverit) nominandi et approbandi poteſtatem, per totum vitæ meæ naturalis curſum, mihimet ipſi reſervo. Poſtquam vero ex hac vita diſceſſero, Domino Vice-Cancellario, Ædis Chriſti Decano, Collegii Magdalenenſis Præſidi, Novi Collegii Cuſtodi, Collegii Divi Johannis Baptiſtæ Præſidi (pro tempore exiſtentibus) hunc Præfectum deſignandi plenam do poteſtatem. Hoſque egregios Viros conſtituo, aut eorum majorem partem, Viſitatores, ut ſingula juxta præmiſſa fiant, eaque ratione, qua ab Academia prædictiſque Doctoribus fuerint præſcripta.

Tertio decerno, hunc Præfectum teneri duos ſecum Pueros Symphoniacos, ſive Muſicos, qualibet Septimana, die et tempore conſtitutis, afferre: ibique eos excipere, qui Muſicam exercendi ſtudio illuc venerint. Quod ſi nullos alios venire contigerit, Præfectus, Puerique prædicti, trium vocum cantus exercebunt.

Ultimo conſtituo, et ordino, quod Inſtrumenta, Librique Muſici, ſemel quolibet Anno viſantur. Quod nulla de cauſa, aut quoviſcunque prætextu, foris accommodentur, aut e Schola, et loco illis deſtinato, removeantur.

Huic autem muſicæ exercitationis Præfecto Summa tredecim Librarum, ſex Solidorum, et octo Denariorum, annuatim, de Re-

ditibus ipſius Fundatoris, per Univerſitatem numeretur: Decem [1] nimirum Libræ pro Stipendio ipſius Præfecti; tres [2] autem Libræ, ſex Solidi, et octo Denarii ad Chordulas continue ſuppeditandas, in uſum muſicorum Inſtrumentorum.

Statutum eſt inſuper, auctoritate ſupradictorum Viſitatorum, ac totius Univerſitatis, quod, ſi in poſterum Feſtum aliquod in diem Jovis (quo muſica praxis celebrari debeat) inciderit, tunc eadem praxis poſtridie ſub forma prædicta celebretur; et, quod ad hæc omnia et ſingula bene et fideliter exequenda tam prædictus Muſices Prælector, quam muſicæ praxeos Præfectus, tempore ſuæ ad Officia prædicta Admiſſionis, virtute Juramenti onerentur.

STATUTA
LECTURÆ ARABICÆ
FUNDATÆ PER REVERENDISSIMUM
GUILHELMUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM
CANCELLARIUM
UNIVERSITATIS OXONIENSIS.

ARABICÆ Linguæ Prælector temporibus vacationum, numerando a primo earum die, legat ſemel in qualibet ſeptimana, die Mercurii, hora nona matutina. Item tempore Quadrageſimæ legat ſemel in qualibet ſeptimana, die eodem, hora vero octava matutina; et ſi dies Mercurii dies feſtus ſit, tum die Veneris.

2. Tempus Lecturæ Schedulis, initio cujuſlibet Vacationis in variis Academiæ locis affixis, et pulſatione Campanæ, ſignificetur.

3. Per unius horæ ſpatium in Schola Lecturæ ſuæ aſſignata probati alicujus et antiqui Auctoris opus interpretetur, in quo Linguæ proprietas et ſermonis elegantia elucet.

1 N. 233. 2 N. 247. b.

4. Inter

4. Inter legendum, verba et ſenſum grammaticalem Auctoris dilucide explicet, et quæ ad grammaticem et ſermonis proprietatem ſpectant, exponat: convenientiam porro Linguæ Arabicæ cum Hebraica et Syriaca, quoties fuerit occaſio, oſtendat.

5. Inter legendum, ſermonem minime præcipitet, verum ita ſingula proferat, ut ab Auditoribus ſcriptis excipi poſſint.

6. Prælectionibus hiſce intereſſe teneantur omnes Artium Baccalaurei, quouſque ad Magiſtralem Gradum promoti ſteterint in Comitiis. Item omnes medicinæ ſtudioſi, donec Baccalaurei in eadem facultate præſentati fuerint. Sed et aliis quibuſcunque eaſdem audiendi poteſtas ſit.

7. Finita lectione Prælector aliquantiſper in Schola commoretur (niſi forte tempore Quadrageſimæ eodem die antemeridianæ Baccalaureorum Diſputationes habebuntur) et auditores, de iis quæ inter legendum dicta fuerint percontantes, benigne audiat, et difficultatibus dubiiſque motis ſatisfaciat.

8. Die illo, quo Lecturam ſuam habuerit, ab hora prima pomeridiana uſque ad quartam vacet ſtudioſis Linguæ Arabicæ inſtruendis, ipſum diſcendi cauſa adire volentibus, atque huic uni negotio totum illud tempus impendat. Quinetiam alias ſeſe tempeſtive conſulentibus facilem ad docendum præbeat.

9. Lectori diebus præſtitutis non legenti, pro qualibet vice intermiſſa, mulcta irrogetur viginti ſolidorum, niſi gravi infirmitate aut perurgenti cauſa, Vice-Cancellario ſignificanda et per eum approbanda, præpeditus fuerit. Et ſi diutina fuerit infirmitas, deputabit alium qui vices ipſius impleat.

10. Si quiſquam eorum qui auditores eſſe tenentur, nominibus eorum citatis per Bedellum in præſentia Vice-Cancellarii vel unius e Procuratoribus, abfuerit, pro qualibet lectione omiſſa mulcta eſto ſex denariorum, niſi legitimum aliquod impedimentum fuerit, per Vice-Cancellarium approbandum.

11. Vice-Cancellarius mulctas exigi, et libris Arabicis coemendis, et in publica Academiæ Bibliotheca inter cæteros libros meos Arabicos reponendis, impendi curet. Sit hujus linguæ Prælector Curator librorum Arabicorum, et monumentorum omnium ad ſtudia hæc ſpectantium, quæ Academiæ dono dedi, et de his poteſtatem habeat inquirendi: atque omni diligentia allaboret ne Volumina illa injuriam aut detrimentum aliquod patiantur. Rogamus etiam, ut Curatores per D. Thomam Bodley deſignati, quolibet tempore examinationis Bibliothecæ, Prælectorem hunc noſtrum

noſtrum Arabicum, pro tempore exiſtentem, accerſant; ut eo præſente citius meliuſque librorum noſtrorum Arabicorum et numerum et cenſum percipiant, ſalvoſque cuſtodiant.

12. Quotieſcunque vero Lectura hæc quocunque modo vacaverit, Ipſe quamdiu in vivis ſum Prælectorem nominabo. Poſt mortem vero meam Electio erit penes Præſides Collegii Sancti Johannis Baptiſtæ et Beatæ Mariæ Magdalenæ, Cuſtodes Collegii Beatæ Mariæ vulgo Novi dicti, Mertonenſis, et Omnium Animarum, pro tempore exiſtentes, vel per majorem partem horum.

Promulgata et confirmata in ſolenni Convocatione Doctorum Magiſtrorum Regentium et non Regentium. Anno Domini 1640. Julii 2do.

STATUTA
ET ORDINATIONES
FACTÆ ET STABILITÆ PER CANCELLARIUM MAGISTROS ET SCHOLARES UNIVERSITATIS OXONIÆ
DE LECTURA POETICA
PER HENRICUM BIRKHEAD COLLEGII OMNIUM ANIMARUM OLIM SOCIUM
FUNDATA ET CONSTITUTA IN EADEM UNIVERSITATE.

QUONIAM veterum Poetarum Lectio non tantum ad acuenda et expolienda Juvenum ingenia, verum etiam ad ſeverioris Literaturæ tam ſacræ quam humanæ incrementum, conducit, et quoniam prædictus HENRICUS BIRKHEAD, quo propenſi ſui in rem literariam animi monumentum apud poſteros relinqueret,

queret, Lecturam Poeticam fundavit in Univerſitate Oxonienſi, perpetuis futuris temporibus legendam, et ad eam ſuſtentandam proventus annuos in ſupremis tabulis legavit, Nos prædictam Lecturam legendam et exercendam eſſe decernimus modo et forma prout ſequitur.

1. Prælector erit vel in Artibus Magiſter, vel Juris Civilis Baccalaureus, vel ſuperiori aliquo gradu inſignitus.

2. Eligetur Prælector in frequenti Convocatione, et poſt finitum quinquennium, ab Electionis tempore ſupputandum, vel idem denuò eligetur, vel alius in Illius locum ſubrogabitur, prout viſum fuerit majori parti ſuffragantium: hoc interim cauto et proviſo, quod nemo in Lecturam ultra decennium continuabitur, nec alius ex eadem Domo immediate ſuccedet.

3. Leget Prælector in Schola Naturalis Philoſophiæ primo quoque Die Martis in pleno Termino, hora tertia poſt meridiem: quod ſi in diem prædictum Feſtum aliquod inciderit, leget die Jovis proxime ſequenti, hora locoque prædictis: et ſi Encænia celebrentur ſolito Comitiorum tempore, leget etiam in Theatro ante inchoata Exercitia Philologica.

4. Proventus ad Lecturam ſuſtentandam relictos annuatim recipiet et irrogabit Vice-Cancellarius, e quibus mulcta Prælectoris non legentis erit quinque Libræ, toties quoties, in uſum Univerſitatis reſervandæ.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti Viceſimo octavo die Menſis Junii, et in terminos convenerunt ſecundo die inſtantis Menſis Julii; publicatum eſt in Domo Congregationis nono Menſis Julii prædicti (juxta Statuti in ea parte exigentiam) triduo ante Convocationem habendam: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Martis, decimo tertio Julii. Anno Dom. 1708.

FORMA

FORMA STATUTORUM

Dispositionem Pecuniarum et Proventuum, a benefactione spectatissimi viri Caroli Viner Armigeri oriundorum, concernentium.

CUM Vir egregius Carolus Viner Armiger, pro ſummo ejus erga Patriam, Academiam, et Juris Anglicani ſtudium affectu, Nobis, Cancellario, Magiſtris, et Scholaribus Univerſitatis Oxonienſis ingentem Librorum (quos ipſe luculenter contexuit) theſaurum, alioſque Proventus et Pecunias, ſupremis tabulis legavit, Noſque etiam Teſtamenti ſui Curatores conſtituit: ea tamen lege et conditione, ut de Pecuniis inde ſuccreſcentibus imprimis fundaretur, et ſtipendio ſatis amplo dotaretur, Lectura in Jure Anglicano; quam quidem Lecturam ita provide temperari et inſtitutis noſtris accommodari voluit, ut non amplius in futurum Juventus Academica, Legum patriarum prorſus rudis et ignara, ad publica munera obeunda præpropere ſeſe accingat: ac deinde ordinavit, quod tot Socii et Scholares, ejuſdem Juris ſtudioſi, conſtituerentur, quot de reſiduo Proventuum eorundem, ejuſdem Academiæ judicio, commode ſuſtentari poterint; placuit Academiæ decernere et ſtatuere modo et forma ſequentibus.

CAP. I.

De Rationibus ſervandis, et annuo Computo faciendo.

Imprimis ſtatuimus et ordinamus quod Rationes omnium Redituum et Proventuum, atque etiam Expenſarum, ad hanc Fundationem ſpectantium, a Vice-Cancellario ſeorſim in Libro peculiari ſerventur; et quod Computus earundem annuatim in Termino Sancti Michaelis per ſtatos Computorum Delegatos, una cum Prælectore pro tempore exiſtente, audiatur; ac deinceps in eodem Termino Prælector, vel, eo abſente, quilibet dictorum Delegatorum, venerabili Domui Convocationis, quæ hujus Ratiocinii ſit conditio, renuntiet.

CAP.

CAP. II.

De Prælectoris Electione, Conditionibus, et Stipendio.

Inſuper Statutum eſt, quod de Reditibus et Proventibus prædictis imprimis Lectura in Jure Anglicano intra hanc Academiam fundetur et ſtabiliatur; quodque Prælector hujuſmodi Lecturæ (prima ejus Muneris inſtitutione, et quotieſcunque in poſterum vacaverit) per Domum Convocationis modo et forma per ſtatuta Univerſitatis requiſitis eligatur. Et quod hujuſmodi Prælector tempore Electionis ſuæ ſit ad minimum Magiſter Artium, aut Baccalaureus in Jure Civili, in Univerſitate Oxonienſi conſtitutus, qui decem Annos a tempore Matriculationis ſuæ compleverit; atque inſuper Advocatus in Jure Anglicano (quem Barriſterium, vel Apprenticum ad Legem, forenſes nuncupant) qui quatuor annos ab Admiſſione ſua ad Cauſas agendas numeraverit. Quodque dictus Prælector percipiat annuatim ducentas Libras de Reditibus et Proventibus prædictis, in fine cujuſque Termini S. S. Trinitatis ſolvendas.

CAP. III.

De Officio Prælectoris.

Inſuper Statutum eſt, quod dictus Prælector, in ſingulis Anni Academici Terminis, unam ſolennem Lecturam de Jure Anglicano, in Schola huic Studio deſignanda, hora ante meridiem undecima, per ſe, vel idoneum Deputatum (per Domum Convocationis antea approbandum) ſermone vernaculo diligenter legat. Quodque dicta Lectura primo die Lunæ in quolibet pleno Termino (niſi forſan hunc in diem Feſtum aliquod inciderit, et in eo caſu die Mercurii proxime ſequente) legatur; excepto tamen Termino S. S. Trinitatis, in quo, propter Termini forenſis vicinitatem, ſecundo die (vel, ſi in eum Feſtum aliquod inciderit, primo die) Termini Academici dicta Lectura prælegatur. Et, quo melius caveatur ne Prælector officio ſuo deſit, mulcta ejus Lecturas has ſolennes non legentis ſit toties quoties viginti Libræ, ad Pecuniarum Cumulum in uſus hujuſce Fundationis reſervandum transferendæ.

Quodque, præter quatuor has ſolennes Prælectiones, dictus Prælector quotannis (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) com-

pletam Prælectionum Seriem de Jure Anglicano, in Schola huic uſui deſtinanda, (aut in alio quovis loco cum approbatione Domini Vice-Cancellarii) per ſe, vel idoneum Deputatum, vernaculo ſermone diligenter legere teneatur. Qui quidem Deputatus, ſi Prælectorem per breve aliquod tempus ægritudine laborare, aliave de cauſa extra Academiam morari, contigerit, a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbetur; ſin vero cauſa aliqua diutina Prælector impediatur, quo minus Officium ſuum in hac parte præſtare poterit, tam cauſa deputandi, quam Deputatus ipſe, per Domum Convocationis quotannis approbetur. Quodque dicta Prælectionum Series conſtet ſexaginta ad minus Prælectionibus, quæ ſexaginta diſcretis diebus tempore Terminorum Academicorum legantur: atque ita commodis intervallis diſtinguantur, ut non plures quam quatuor Lectiones ſingulis Septimanis habeantur. Præmittatur etiam publica Monitio unius ad minimum Menſis, antequam dicta Prælectionum Series inchoetur. Volumuſque quod dictus Prælector Scholares hujuſce Fundationis gratis omnino inſtruat; ſed ab aliis Auditoribus tantum Pecuniæ ſive Præmii ſibi vendicet, quantum Decreto Convocationis de tempore in tempus ſtatuetur. Mulcta vero Prælectoris non legentis ſit toties quoties quadraginta ſolidi ad dictum Pecuniarum Cumulum transferendi. Proviſo ſemper, quod Incuſatio Prælectoris non legentis Vice-Cancellario intra annum prædictum, antequam Stipendium perceperit, deferatur; quodque, poſt delatam hujuſmodi Incuſationem, onus probandi ſe officio ſatisfeciſſe ſuo ipſi Prælectori incumbat.

CAP. IV.

De Cauſis amovendi Prælectorem.

Inſuper Statutum eſt, quod quilibet Prælector ad terminum vitæ naturalis munere ſuo gaudeat, niſi ita graviter (quod abſit) deliquerit, ut per Statuta Academica in pœnam Bannitionis inciderit; vel niſi Profeſſionem Juris, aliam Profeſſionem in ſe ſuſcipiendo, deſeruerit; vel niſi Negligentiæ manifeſtæ per Vice-Cancellarium et Procuratores ſemel admonitus, officio ſuo iterum inſigniter defuerit. Quibus omnibus, vel eorum aliquo, allegatis et probatis, dictus Prælector, ſic ut præmittitur male ſe gerens, ipſo facto Munere ſuo privetur per Vice-Cancellarium, cum conſenſu Domus Convocationis.

CAP.

CAP. V.

De Stipendio et Numero Sociorum et Scholarium.

Insuper Statutum est, quod de Residuo Redituum et Proventuum prædictorum unus vel plures Socii, unusque vel plures Scholares, intra hanc Universitatem constituantur: qui quidem Socii percipiant singuli annuatim quinquaginta Libras, et Scholares singuli annuatim triginta Libras, in fine cujusque Termini S. S. Trinitatis solvendas. Numerus vero et Stipendia dictorum Sociorum et Scholarium de tempore in tempus secundum conditionem Redituum et Proventuum prædictorum per Domum Convocationis ordinentur, ita ut, crescentibus indies Reditibus, Numerus continuo augeatur, deficientibus autem Reditibus, vel Numerus, vel Stipendia, vel eorum ambo minuantur.

CAP. VI.

De Electione et Conditionibus Sociorum.

Insuper Statutum est, quod quilibet Socius per Domum Convocationis modo et forma per Statuta Universitatis requisitis eligatur, et quod tempore Electionis suæ sit cœlebs, et vel Magister Artium, vel Baccalaureus in Jure Civili, in Universitate Oxoniensi constitutus, et alicujus Collegii, vel Aulæ, intra eandem Scholaris, seu Studens. In omni vero Electione præferantur isti, qui sint, vel qui aliquando fuerint, Scholares hujus Fundationis, modo sint habiles et idonei, et judicio Convocationis approbati. Quilibet præterea Socius, qui tempore Electionis suæ non fuerit Advocatus in Jure Anglicano, intra unum post Electionem annum Advocatus fiat; in Academia tamen per duos in unoquoque anno menses (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) personaliter commorari teneatur; et nisi talis Commoratio sub Chirographo Præfecti Domus suæ Vice-Cancellario quotannis certior fiat, Socius sic ut præfertur non commorans toto ejus anni Stipendio mulctetur, et Mulcta hujusmodi in prædictum Pecuniarum Cumulum transferatur.

CAP. VII.

De Electione et Conditionibus Scholarium.

Insuper Statutum est, quod quilibet Scholaris per Domum Convocationis modo et forma per Statuta Universitatis requisitis eligatur; et quod tempore Electionis suæ sit cœlebs, et alicujus Collegii, vel Aulæ, intra hanc Universitatem Scholaris, seu Studens, qui menses calendares ad minimum viginti quatuor a tempore Matriculationis suæ compleverit. Quilibet præterea Scholaris Gradum Baccalaurei in Jure Civili quam cito commode poterit (sive prius incipiendo in Artibus, sive aliter, prout ipsi visum fuerit) capessat. Antequam vero dictum Gradum susceperit, intra annos secundum et octavum a Matriculatione sua, teneatur Prælectorem in Jure Anglicano per duas Prælectionum Series diligenter audire; quam auditionem sub Chirographo suo venerabili Domui Congregationis testabitur dictus Prælector. Et intra unum annum, postquam talem susceperit Gradum, fiat (si non prius fuerit) Advocatus in Jure Anglicano. In Academia demum quotannis (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) per sex menses personaliter commoretur, donec quatuor annos a tempore Matriculationis suæ in Academia compleverit; ac deinde per quatuor menses annuatim, donec Gradum Magistri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili, capessiverit; et per duos menses in unoquoque anno, postquam talem Gradum susceperit. Et nisi talis Commoratio sub Chirographo Præfecti domus suæ quotannis Vice-Cancellario certior fiat, Scholaris sic ut præfertur non commorans toto ejus anni stipendio mulctetur, et Mulcta hujusmodi in prædictum Pecuniarum Cumulum transferatur.

CAP. VIII.

De Causis amovendi Socios et Scholares.

Insuper Statutum est, quod quilibet Scholaris Beneficio suo penitus privetur, nisi, per Vice-Cancellarium et Procuratores debite præmonitus, Prælectorem Juris Anglicani modo et forma prædictis diligenter audiverit, et nisi Gradum Baccalaurei in Jure Civili, quamprimum commode poterit, capessiverit. Et tam Socii, quam Scholares, Beneficiis suis cedant, postquam quilibet eorum sigillatim

tim decem annos, a tempore Electionis in ſingula Beneficia numerandos, compleverit; atque etiam penitus priventur, ſi ipſi, vel ipſorum quilibet, contra bonos mores, vel Statuta Academiæ, inſigniter peccaverint; ſi per duos annos continuos in Academia perſonaliter commorari modo et forma præſcriptis neglexerint; ſi matrimonium contraxerint; ſi, per Vice-Cancellarium et Procuratores debite præmoniti, Advocati in Jure Anglicano intra tempus prædictum non fuerint renuntiati; ſi denique Profeſſionem Juris, aliam Profeſſionem in ſe ſuſcipiendo, deſeruerint. Quibus omnibus, vel eorum aliquo, allegatis et probatis, Vice-Cancellarius cum conſenſu Domus Convocationis, Socii, vel Scholaris, ſic delinquentis, Beneficium ipſo facto vacare denuntiabit.

CAP. IX.

De Tempore Electionum, et de Stipendiis Munerum vacantium debite diſtribuendis.

Denique Statutum eſt, quod quotieſcunque Officia, vel Munera Prælectoris, Sociorum, aut Scholarium, vel eorum cujuſlibet, poſthac vacare contigerit, Electio novi Prælectoris, Socii, vel Scholaris, intra menſem continuo ſequentem habeatur, niſi inde eventurum ſit, ut Tempus Electionis in aliquam Vacationem incideret, in quo caſu uſque ad primam Hebdomadam in pleno Termino proxime ſequente Electio prorogetur. Quodque antequam Convocatio habeatur pro Electione, vel pro Amotione, Prælectoris, vel alicujus e Sociis aut Scholaribus prædictis, ſive pro aliis quibuſcunque negotiis ad hanc Benefactionem ſpectantibus, publica decem dierum, tam Cauſæ convocandi, quam ipſius Convocationis, Præmonitio, per aliquem Bedellum cuique Collegio, et Aulæ, intra Univerſitatem denuntietur. Proviſo ſemper, quod quotieſcunque Munera prædicta, vel eorum aliquod, vacare contigerit, currentis anni Stipendium inter Anteceſſorem, ejuſve vicem ſuſtinentes, et Succeſſorem, habita ratione temporis quando Munus vacaverit, dividatur.

De Statutis his rogandis conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, in terminos convenerunt, Die Junii XXIII°. jam proxime elapſo: publicata erant in Domo Congregationis triceſimo Die Menſis Junii prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Domo Convocationis publicata et confirmata Die Lunæ, Menſis Julii tertio, Anno Domini 1758.

STATUTA

STATUTA CAROLINA,

DE CYCLO PROCURATORIO

EDITA AUCTORITATE

SERENISSIMI REGIS CAROLI I.

CONFIRMATA IN DOMO CONVOCATIONIS,

Anno Dom. 1628.

SChedula ſive Repertorium ſeriei et circuitus prædicti Electionis Procuratorum in ſingulis Collegiis Academiæ Oxonienſis, manu propria Cancellarii, Vice-Cancellarii, et Collegii cujuſque et Aulæ Præfecti conſignata, in Archivis Univerſitatis (una cum aliis Munimentis) reponatur; habeantque ſingula Collegia Exemplar authenticum, unde vices ſuas certo poſſint dignoſcere.

2. Neminem ad Muneris Procuratorii dignitatem admitti fas eſto, priuſquam quatuor Annos a ſuſcepto Magiſterii Gradu (hoc eſt, a die creationis ſuæ in Comitiis publicis) compleverit; vel, poſtquam Annum decimum exceſſerit; ab eadem die terminando decennium.

3. Nullus Gradu aliquo in Theologia, vel Jure, vel Medicina inſignitus, Procuratoris Munus obibit: nec, niſi Officio depoſito, ad Gradum aliquem Procurator quivis eodem Anno promoveatur.

4. Die Mercurii, poſt primam Dominicam in Quadrageſima, in ſingulis Collegiis, ſecundum ordinem præſcriptum, quotannis Procuratorum fiat Electio.

5. Die Mercurii Hebdomadem Paſchatis proxime ſequente, tempore pomeridiano, in Domo Convocationis, eorundem peragatur Admiſſio; quibus Loco et Tempore, Procuratores Anni ſuperioris Inſignia Officii ſui deponant, cum Oratiuncula, ut ſolet; et deinde ſtatim Novi in Domo Convocationis (ſecundum formam jam olim uſitatam) per Vice-Cancellarium admittantur.

6. Procuratoribus vero ſic ut præfertur per Vice-Cancellarium adſumendis Præfecti Collegiorum eligentium, una cum cæteris eorundem

eorundem Alumnis (ſinguli ornamentis Gradui ſuo competentibus ornati) comitatum, ad Domum Convocationis eundo, exhibeant perſonalem; qui quidem Præfecti et Deputati Procuratores reſpective ſuos (ſecundum ritum antiquum) admittendos Vice-Cancellario præſentabunt: in ſenioris Procuratoris locum aſſumetur, qui in ſerie Magiſtrorum eiſdem Comitiis creatorum, ſecundum diſpoſitionem Procuratorum (ut moris eſt) ordine prior collocatur.

7. In Electione Procuratorum in Collegiis facienda, Doctoribus tantum et Magiſtris in Artibus actualiter creatis, ejuſdem Collegii, ſuffragandi jus competat.

Quod ſi privata cujuſvis Collegii Statuta aliam Electionis Domeſticæ formam præfiniverint, cujus obſervationi Juramenti vinculo arctius aſtringuntur, in hoc caſu (nec alias unquam) ad evitandum perjurii periculum, præſcriptam Electionis formam immutandi poteſtatem facimus.

Nullus Convictor, ſive Commenſalis, in hac Electione ſuffragandi privilegio gaudebit, qui non a primo ad Academiam adventu in Collegium, Procuratorem ea vice nominaturum, admiſſus (non noviter aſcitus) fuerit; in eoque educatus, Electionis hujus tempore ibidem reſidet et commoratur. Reſidentes vero interpretamur, omnes Collegiorum Socios, Scholares, Clericos, Capellanos, ſeu quocunque alio vocabulo in Charta Fundationis ejuſdem nominati et dotati inveniuntur. Convictores non item; niſi per ſex menſes, in Anno Electionem hujuſmodi immediate præcedente, in eodem perſonaliter reſederint.

8. Procuratorem in unoquoque Collegio (prout Vices poſtulant) rite et legitime electum decernimus, quem major pars omnium Suffragantium nominabit. Quòd ſi duo, pari uterque numero Suffragiorum, nominentur; ille pro electo habeatur, quem Præfectus vel (eo abſente, ſeu ſede vacante) ejus vicem gerens, nominabit. Sin plures nominentur, nec unus aliquis majorem partem omnium Suffragiorum retulerit, nec eodem die eam ob cauſam Electio abſoluta fuerit, et ante horam nonam veſpertinam Vice-Cancellario renuntiata; Collegium iſtud Jus præſentandi iſta vice amittet, et ad Vice-Cancellarium ſpectabit nominatio; qui intra biduum aptam Perſonam, et ſecundum Conditiones ſuperius aſſignatas habilem, ex Aularum aliqua aſſumendam, in Procuratorem cooptabit.

9. Si nullus, in Collegio Procuratorem deſignaturo, habilis reperiatur, qui poſſit et velit iſtud Munus ſubire, tunc Collegii iſtius Præfectus, vel (eo abſente, aut vacante ſede) ejus vicem gerens, die Electionis conſtituto, alium (quem voluerit) habilem, in Aularum aliqua degentem, nominabit; qui deinde in Procuratorem aſſumetur.

10. Si Procuratorum aliquem mori contigerit, vel quavis de cauſa ante Anni ſui expirationem Officio ſuo cedere, locum ejus ſupplebit alius, ejuſdem Collegii, habilis et idoneus, per Præfectum, ſeu (eo abſente, aut vacante ſede) ejus vicem gerente, intra Septimanam poſt mortem vel ceſſionem nominandus: quod ſi talis non exſtiterit, tunc Vice-Cancellarius aliquem habilem, in Aula quacunque commorantem, in Procuratorem ſubſtituet, ut ſupra.

11. Nemini Procuratoris abſentis vices, ad quamcunque Muneris iſtius expeditionem, ſupplere licebit, qui tres annos a ſuſcepto Magiſterii Gradu non compleverit.

12. Ut etiam Aularum (quæ in Procuratorum nominatione nullas vices obtinent) ratio aliqua habeatur; Volumus, ut, quarto quolibet Anno, qui Procuratoris Junioris locum ſortitur, primum opponentem in Comitiis, Inceptorem in Artibus, ejuſdem Anni, Aulæ alicujus Alumnum deſignet. Procurator vero ſenior, quolibet quinquennio, Magiſtrum etiam in Aularum aliqua degentem Scholis præficiat.

13. Si ambiguitas aliqua, vel dubium aliquod (præter prænominata) occurrat circa Electionem modo præfinito in Collegiis faciendam; ne, gliſcente inter partes diſcordia, ſcandalum exinde oriatur, per Vice-Cancellarium, Doctorem in Theologia ſeniorem (modo ſit Præfectus Collegii alicujus) tempore Electionis Domi præſentem, et Præfectum Collegii in Electione tunc temporis intereſſe habentem, vel horum duos (quorum Collegii Præfectum unum eſſe volumus) controverſia ejuſmodi terminetur. Quod ſi Præfectus Collegii antedictus tunc temporis Vice-Cancellarii locum obtinuerit; tum in Theologia Doctores duos maxime ſeniores (ſed Collegiorum, ut præfertur, Præfectos) ſibi aſſumat, quibuſcum Cauſæ iſtius cognitionem habeat.

Atque hæc Statuta, ſingulaſque eorundem particulas (nulli Diſpenſationi, quavis de cauſa, ſub prætextu quoviſmodo obnoxia) perpetuo inviolata manere volumus.

DE

Ad Statutorum Tit. II. Sect. 9.

De Privilegiis Univerſitatis et Civitatis ſimul non fruendis.

CUM hoc Statuto decretum eſt, ut *Officiarius Univerſitatis, aut quivis alius, qui Libertates et Privilegia Civitatis Oxonienſis aut obtinuit, aut ſerio ambiit, e veſtigio Officiarius Officio ſuo privetur, alius vero quivis omnibus Libertatibus in perpetuum excludatur*, et cum de ſenſu hujus Statuti controverſia exorta fuerit; placuit Academiæ hoc Statutum ita explanare et interpretari, ut *perpetua Excluſio* intelligatur non de iis, qui, olim in Matriculam Univerſitatis relati, ab ea bona fide diſceſſerint; non etiam, ſi in alicujus Collegii, ſive Aulæ, Promptuarii libro nomina adhuc honoris cauſa inſcripta retineantur: ſed de iis duntaxat, qui ſimul utriuſque, et Univerſitatis et Civitatis, Privilegiis frui voluerint.

Siquis igitur pridem in Matriculam Univerſitatis relatus Libertates Civitatis obtinuerit, vel ſerio ambierit, ab omnibus Univerſitatis Libertatibus eum ipſo facto excluſum decernimus, donec modo et forma in ſuperiore Statuto, nempe Tit. II. Sect. 8. deſcriptis, Libertatibus Civitatis renuntiaverit. Qua facta renuntiatione, eum ad Libertates Academicas rurſus per Domum Convocationis admitti permittimus.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos Die viceſimo ſeptimo Menſis Junii jam proxime elapſo: publicatum eſt in Domo Congregationis Die Lunæ, Menſis prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Domo Convocationis publicatum et confirmatum Die Jovis, tertio Die menſis Julii, Anno Domini 1760.

Ad Statutorum Tit. VI. Sect. 2. §. 1.

De Indulgentia Baronum filiis ex Gente Scotica vel Hibernica concedenda &c.

CUM ex graviſſimorum et amiciſſimorum hominum ſententia conſtet, ex uſu Academiæ futurum, ut Baronum filii, ex Gente Scotica vel Hibernica, Indulgentia quadam Academica inſignirentur;

Placuit Academiæ decernere et ſtatuere, ut in poſterum eadem Indulgentia concedatur Baronum filiis ex Gente Scotica vel Hibernica, quam Academia conceſſit [Stat. Tit. VI. §. 1.] filiis Baronum in Superiori Domo Parliamenti Suffragii jus habentium, ac filiis natu maximis Baronettorum et Equitum Auratorum, modo ne Collegii vel Aulæ alicujus Socii, Scholares, Alumni, vel Exhibitionarii fuerint; et in hac vel Cantabrigienſi Academia, et non alibi, Triennium compleverint in Studiis Academicis.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti xxii^do. Die Jan. et in Terminos convenerunt xxix^no. Die jam proxime elapſis, in Conventu denuo habito. Publicatum eſt in Domo Congregationis 1°. Die Feb. juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum Die Lunæ Feb. v^to. Anno Domini 1738-9.

Ad Statutorum Tit. VI. Sect. 2. §. 13.

De binis Declamationibus habendis ante Inceptionem in Artibus.

CUM pro comperto habeatur, peſſimi exempli rem eſſe Leges ſemel ſancitas quovis ſub prætextu refigere et ſolicitare, et multo conſultius eſſe incommodis ſubnaſcentibus, Statutis de novo conditis, ſubvenire, quam præpoſtera Curationis methodo medicinam antidotis facere, Juri ſcilicet Jus dicere: quinetiam, cum rei literariæ interſit ut, qui ad gradus Academicos promoventur, ſpecimina

ſpecimina profectus ſui in iis quas profitentur Artibus publice præbeant, et non minus in humanioribus literis quam diſputationibus philoſophicis verſatos ſe comprobent: quandoquidem alterius harum (nimirum politiori literaturæ dicendique ſtudiis) per publica Exercitia nondum ſatis proſpectum videatur; placuit Academiæ, Declamationes duas a quolibet Artium Baccalaureo, ante Illius Inceptionem, in Scholis pro Forma habendas decernere; et hoc ipſum inter præſtitas Conditiones Gratiæ petitæ annexas, (Diſputationibus ſcilicet Quadrageſimalibus, Quodlibeticis, et Auguſtinenſibus, necnon ſex Lectionibus Philoſophicis) ſolenniter adnumerare.

Statutum adeo eſt, ut in poſterum Baccalaureus quiſque ante Inceptionem in Artibus, idque poſt annum integrum, et citra Biennium, a prima ſua ad Gradum Baccalaureatus præſentatione numerandum, ſi in Academia tum præſens fuerit, (vel intra quindenam poſtquam redierit) Nomen ſuum, necnon Collegii vel Aulæ cujus eſt Alumnus, Regiſtro penes juniorem Procuratorem in eos uſus continue adſervando inſerendum curet. Unde Procurator iſte delectum faciendo, et ſervato ſenioritatis ordine, ternos quoſque inter ſe committendo, ex diverſis quemque Collegiis et Aulis quantum commode fieri poterit, ſuas cuique declamandi vices aſſignabit; et Declamaturos omnes, ſaltem ante Menſem, præmonendos curabit, ut ſe coram ſiſtant, unaque tres quiſque Theſes, de quibus in utramque partem probabiliter dici poterit, deſcriptas exhibeat. Unde Procurator quam maxime idoneam judicaverit unam ſeliget, vel, ſi omnes improbaverit, aliam pro libitu aſſignabit, de qua, ſtatim poſt Menſem, Declamationes ſive Orationes ſolennes habebunt, duo quidem ipſorum adverſarias, tertio Arbitri, ſive Sequeſtri, perſonam gerente; optione Seniori permiſſa quas partes agere voluerit, niſi forte eorum aliquis ad valorem Centum Librarum de proprio expendere poterit. De his vero ubi conventum eſt, Procurator ad declamandum ſic deſignatorum Nomina, necnon Collegiorum aut Aularum unde fuerit, Diem etiam Declamationibus deſtinatum, et Theſin inſuper, et quam quiſque Partem acturus eſt, in Regiſtrum ſuum referet, unde Exemplaria chirographo ſuo teſtata ſingulis in manus tradet; quæ ipſi primo mane diei Declamationibus indicti, intra horas ſcilicet ſextam et ſeptimam, valvis utriuſque portæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ, et oſtio Scholæ Naturalis Philoſophiæ affigi curent, nec per ſe, nec alterius cujuſvis opera, ante finitas Declamationes refigenda, ſub pœna quod Declamationes ſecus facientibus non cedant pro Forma.

Porro quod ad locum, tempus, et modum in Exercitiis hiſce ſervandum, Statutum eſt ut quouſque Numerus ſuffecerit, ſingulis Septimanis pleni Termini die Martis, ad pulſationem magnæ Campanæ, mox ante horam ſecundam pomeridianam, Declamaturi in Eccleſia Beatæ Mariæ conveniant, unde eos Bedellus Artium ſuperior baculum præferens ad Scholam Naturalis Philoſophiæ deducet, ubi tantiſper expectabunt dum Procuratorum alter, vel Pro-procuratorum, aut Magiſtrorum Scholarum aliquis (quorum ut ſemper aliquis Exercitiis hiſce ab initio ad finem interſit, et abſente Vice-Cancellario præſit etiam, vigore hujus Statuti cautum eſto) ipſis, ſigno dato ut Roſtra conſcendant, dicendi copiam faciat; qui orationes a ſe compoſitas memoriter ſinguli recitabunt. Quod ſi inter perorandum quis quippiam contra Religionem, aut bonos Mores, aut Diſciplinam, aut Pacem publicam, aut privatam cujuſquam Famam peccaverit, ejus erit, qui Exercitiis iſtis pro ea vice præeſt, ſic inſanire pergenti mox ſilentium indicere; qui, præter ſatisfactionem parti læſæ faciendam, pœnam ſubibit vel Suſpenſionis a Gradu, vel Submiſſionis privatæ vel publicæ, vel Expulſionis etiam perpetuæ, ſi quid gravius admiſerit, per Vice-Cancellarium et Procuratores irrogandam.

Quod ſi Numerus Candidatorum, apud Procuratorem, ut prædictum eſt, Nomina ſua edentium, eouſque excreverit, ut dies Martis præſtituti ſingulis Declamatorum ternariis non ſufficiant, licebit Procuratori alios quoſlibet dies in pleno Termino, prout ipſi commodius viſum fuerit, Declamationibus modo et forma qua ſupra habendis indicere.

Si quis vero infra tempus præſcriptum nomen ſuum apud Procuratorem profiteri neglexerit, vel legitime præmonitus non compareat, vel declamaturus in vicibus ſuis obeundis defecerit (quos omnes defectus in Regiſtrum ſuum ſedulo referendos curet Procurator) eo ipſo a Gradu capeſſendo per unum Terminum toties quoties repellatur, niſi fuerit ex cauſa rationabili per Congregationem approbanda.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti XXI°. Junii jam proxime elapſo; et in Terminos convenerunt in Conventu habito XIII°. Octobris ſubſequentis. Publicatum eſt in Domo Congregationis Die Mercurii, ſcilicet (juxta Statuti in ea parte exigentiam) ante triduum, et in Convocatione publicatum et confirmatum die Lunæ XXII°. Decembris, Anno Domini 1662.

Ad

Ad Statutorum Tit. VII. Sect. 1. §. 9.

De ulteriori Explicatione Statuti De Cœna Veſperiali.

CUM ex Statuto et more veteri Cœnæ Veſperialis ſumptus univerſi a Seniore in unaquaque Facultate Incepturo ſolvendi ſint; cumque illa expenſarum inæqualitas, onuſque non exiguum paucis impoſitum, multis ne Inciperent impedimento, et Academiæ præjudicio, hactenus fuerint; ut incommodo veteri ac invaleſcenti indies mature obviam eat, rebuſque e re ſua futuris tempeſtive conſulat, ſtatuit Univerſitas;

Ut in qualibet Facultate Incepturi ad Cœnam Veſperialem pro Doctoribus apparandam ſinguli ex æquo numerent, expenſaſque ex ſymbolo ac æqualiter ſolvant; hoc excepto, quod uniuſcujuſque Facultatis Senior hoſpitium, cœnaculumque Doctoribus cœna excipien- accommodum, ſolus proſpiciat.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti Maii xxv^o^. et in terminos convenerunt Junii iv^to^. jam proxime elapſis, in Conventu denuo habito. Publicatum eſt in Domo Congregationis Sexto die Menſis Junii prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam triduo ante Convocationem habendam. Tandem in Convocatione publicatum et confirmatum Die Mercurii, Junii octavo, Anno Domini 1670.

Ad Statutorum Tit. X. Sect. 2. §. 7.

De Delegatorum Preli nominatione et munere.

INSUPER cum Res Typographica, quam in omne ævum hic loci feliciter adminiſtrandam fore ſperamus, melius per ſtatos et perpetuos Delegatos expediatur, neque de hujuſmodi Delegatorum nominatione et munere in hiſce Statutis ſatis proviſum eſſe videatur:

Placuit Academiæ ſtatuere et decernere, ut Vice-Cancellarius et Procuratores pro tempore exiſtentes, D.^nus^ D^r^. Niblett Collegii Omnium Animarum Cuſtos, D.^nus^ D^r^. Leigh Collegii Balliolenſis Magiſter, D.^nus^ D^r^. Purnell Collegii Novi Cuſtos, D.^nus^ D^r^. Jenner Collegii Divæ Magdalenæ Præſes, D.^nus^ D^r^. Blackſtone e Collegio Omnium

nium Animarum, ſimul cum Magiſtro Owen e Collegio Jeſu, M.ro J. Bridle e Collegio Novo, D.no D.re Wyndham Coll. Wadh. Cuſtode, in poſterum Preli curam ſuſcipiant; qui, ut ſtati Preli Delegati, de negotiis ad Rem Typographicam ſpectantibus cum relatione ad Domum Convocationis deliberent et determinent, pecunias in eos uſus ſolvendas recipiant et erogent, et rationem quotannis reddant de hujuſmodi receptis et expenſis, quo tempore Vice-Cancellarius computum ſuum fecerit. Et ad hoc munus ſuſcipiendum ſinguli rite nominati ſe fide data Univerſitati firmiter teneri noverint, et in ipſa Convocatione, ſi præſentes fuerint, alioqui coram Vice-Cancellario, exigente Seniore Procuratore, Juramentum præſtabunt in hæc verba — *Tu dabis fidem ad ea omnia quæ ad Preli Delegatum pertinent ſedulo et fideliter exequenda.*

Quod ſi quos e ſtatis hiſce delegatis, aut eorum Succeſſoribus, fatis concedere, vel alias Univerſitate excedere, vel ſe cum conſenſu Domus Convocationis Officio abdicare, contingat, alii continuo in ipſorum locum ſubrogentur, e Doctoribus cujuſcunque Facultatis, vel Magiſtris Regentibus, aut non Regentibus, per Vice-Cancellarium et Procuratores, aut per majorem partem eorundem, nominandi, et deinceps a Domo Convocationis approbandi. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, hujuſmodi nominatio in frequenti Convocatione Domui ſignificetur, deinde in proxima Convocatione a Domo approbanda ſeu improbanda proponatur.

Hi autem Delegati ad minimum quater in anno, nempe in ſecunda cujuſlibet pleni Termini Hebdomada, aut ſæpius, ſi ita Negotia Typographica poſtulent, die et hora a Vice-Cancellario pridie conſtituendis, in Typographeo Clarendoniano, aut (ſi de juſta cauſa ita expedire videbitur) in alio loco idoneo conveniant, de negotiis ad Rem Typographicam ſpectantibus conſulturi. Quicquid vero ipſis placuerit, a Regiſtrario Univerſitatis Regiſtro peculiari inſeratur.

Denique, hæc ſuper Prelo Delegatio in poſterum a Delegatione ſuper Computis ita diſcriminetur, ut non plures quam tres Delegati Computorum ſint eodem tempore Delegati Preli.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti Viceſimo octavo Die Novembris, et in Terminos convenerunt Die ſecundo Decembris in Conventu habito: publicatum eſt in Congregatione nono Die Decembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum Die Lunæ, duodecimo Decembris, Anno Domini 1757.

SECTIO I.

DE SCHOLARIBUS IN AULAS ADMITTENDIS.

STATUTUM eſt, quod nullus Commenſalis, Batellarius, aut alterius cujuſcunque Conditionis, in Aulam aliquam ſive Aulæ alicujus communitatem, admittatur, priuſquam actualiter ad Univerſitatem et Aulam, in quam admittendus eſt, acceſſerit; et ſecum Libros et Supellectilem, illic commoraturus, adduxerit.

§. 2. Quod nullus in Aulam aliquam admittatur, cui non de Camera infra præcinctum Aulæ, ſive hoſpitia Aulæ antiquitus annexa, aut Collegium aliquod vicinum Aulæ, proviſum fuerit.

§. 3. Quod quilibet Scholaris in aliquam Aulam recipiendus (dummodo decimum quintum Annum compleverit) in receptione ſua (vel ſaltem infra tres menſes) coram Principali, vel Vice-Principali, et duobus ad minus e Senioribus Commenſalibus, Juramentum præſtet, ſe omnia Statuta et Conſuetudines Aulares, quatenus ipſum concernent, obſervaturum, ſub pœna amotionis vel expulſionis ab eadem. Si vero infra Annum decimum quintum ad Academiam acceſſerit, ubi decimum quintum Annum compleverit, idem Juramentum, ſub eadem pœna, præſtabit.

§. 4. Quod Principalis vel Vice-Principalis, in Admiſſione cujuſque Commenſalis et Aularis, ejuſdem Tutorem (ſi in eadem Aula degat) aſſignet; eundemque conveniat, et diligenter commoneat de cura ſuſceptæ Tutelæ; necnon Scholarem de obedientia et reverentia Tutori præſtanda.

§. 5. Quod quilibet in Aulam admittendus ſufficientem Cautionem interponat (pecuniariam ſcilicet, vel fide-juſſoriam) de ſatisfaciendo Principali, atque Obſonatori, in fine cujuſlibet Termini, pro victualibus, aliiſque impenſis et oneribus Aularibus uſitatis et conſuetis; et quod nemo invitus Scholarem vel Scholares, cujuſcunque conditionis, Fide-juſſores admittere compellatur.

§. 6. Quod nullus in Aulam aliquam admiſſus, poſt duodecimum Annum completum, in Oppido hoſpitari permittatur; niſi

ex

ex cauſa infirmitatis, aut alia cauſa rationabili (pro tempore breviori, menſis ſcilicet) per Principalem, vel (pro tempore diuturniori) per Vice-Cancellarium, approbanda.

§. 7. Quod ſinguli Scholares in Aulis, donec ad Gradum Baccalaureatus præſentati fuerint, Tutoribus ſubjiciantur.

§. 8. Quod in qualibet Aula Tutorum nomina per Principales Vice-Cancellario annuatim exhibeantur; nec quiſquam pro Tutore ſe gerat, niſi quem etiam Vice-Cancellarius idoneum cenſuerit, et approbaverit.

SECTIO II.

DE DIVINIS OFFICIIS AB AULARIBUS OBSERVANDIS.

STATUTUM eſt, quod ſingulis diebus Dominicis et Feſtis, necnon in Veſperiis dierum Dominicorum et Feſtorum, ſinguli Aulares in Eccleſia Parœciali aut Collegiata, ubi communiter intereſſe conſueverunt, Precibus a principio ad finem interſint, atque ibidem reverenter ſe gerant; ſub pœna duorum denariorum abſentibus irroganda, niſi ex cauſa legitima, per Principalem vel ejus Subſtitutum approbanda, excuſati fuerint: et ſub pœna denarii, ſi qui, ante inchoatam primam Lectionem, non acceſſerint, aut ante finitas Preces a Templo receſſerint.

§. 2. Quod quilibet Aularis interſit ſingulis Concionibus, diebus Dominicis aut aliis, in Eccleſia B. Mariæ, aut in aliis Eccleſiis ſive Capellis, coram Univerſitate habendis; ſub pœna duorum denariorum. Nec, dum Conciones habentur coram Univerſitate, aut tempore quo Preces Divinæ in Eccleſiis (ad quas accedere tenentur) peraguntur, aliis Concionibus interſint, ſub pœna 4 d.

§. 3. Quod ſinguli Aulares ætate provectiores (ſcilicet qui decimum quintum Annum compleverunt) ter in Anno ad Cœnæ Dominicæ Communionem accedant, ſi toties in Eccleſiis, quas frequentare tenentur, Cœnæ Dominicæ Communio celebretur, et in Univerſitate præſentes fuerint; ſub pœna ſex denariorum pro qualibet vice: et ſi quis hac in parte officio ſuo defuerit, nec a Principali

Principali monitus, intra tempus præſtitutum, morigerum ſe præſtiterit, Vice-Cancellario denuntietur.

§. 4. Quod ſingulis diebus profeſtis, in qualibet Aula, Preces e Libro Precum Communium ſive Liturgia Anglicana, tam matutinæ quam veſpertinæ, habeantur; matutinæ ſcilicet ordinarie, inter horam quintam et ſextam; veſpertinæ ſtatim poſt octavam: necnon, diebus Mercurii et Veneris, Litania perlegatur. Quodque tum Preces tum Litania ab Aularibus in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſub mulcta 5 s. abnuentibus toties quoties irroganda, et (in illorum defectu) per aliquem ſacris Ordinibus initiatum, communi Aularium ſumptu conducendum peragantur. Et tam Precibus quam Litaniæ prædictis ſinguli Aulares ſub pœna denarii intereſſe teneantur; et, dum peraguntur, reverenter ſe gerant; ſub pœna, pro qualitate delicti, arbitrio Principalis irroganda.

§. 5. Quod tam ante, quam poſt, refectiones ſingulas, Prandii ſcilicet et Cœnæ, in qualibet Aula ſumendas, Gratiarum actiones a Seniore qui intererit, vel a Clerico Bibliæ (ſecundum Aulæ conſuetudinem) peragantur; quodque ſinguli Gratiis agendis interſint, niſi ex cauſa per Principalem approbanda abfuerint: ibidemque modeſte et reverenter ſe gerant, ſub pœna oboli.

§. 6. Quod quolibet die, inter prandendum, Caput aliquod S. Scripturæ a Clerico Bibliæ (cujus Electio penes Principalem eſt) Latino idiomate diſtincte perlegatur; quodque quilibet Aularis diligenter et attente Lectioni ejuſdem auſcultet, ſub pœna oboli.

SECTIO III.

DE SCHOLASTICIS EXERCITIIS AB AULARIBUS PRÆSTANDIS.

STATUTUM eſt, quod in ſingulis Aulis Catechiſtes aliquis, a Principali deſignandus, et per Vice-Cancellarium approbandus, ſemel in quindena (Terminorum temporibus) in fundamentis Religionis Chriſtianæ, juxta Catechiſmum in Libro Precum Communium editum, Scholares non graduatos, cujuſcunque conditionis, inſtruat et erudiat.

§. 2. Quod ter in qualibet Septimana Prælector Logices, inter horas ſextam et octavam, extra Vacationum tempora, Prælectionem Dialecticam ſuper textum Porphyrii aut Ariſtotelis habeat; cui Aulares omnes nondum graduati intereſſe teneantur, niſi aliquibus, ratione minoris ætatis, aut ex alia rationabili cauſa, abeſſe a Principali permiſſum fuerit.

§. 3. Quod ter in qualibet Septimana iiſdem horis, diverſis autem diebus, in Naturali Philoſophia ex contextu etiam Ariſtotelis Prælectio habeatur; præterquam in tempore Quadrageſimæ, cum ex ejuſdem Ethicis Prælectio eſt habenda; cui ſeniores Sophiſtæ (id eſt, qui biennium in ſtudio Logicæ compleverunt) et Baccalaurei, intereſſe teneantur.

§. 4. Quod bis in qualibet Septimana (in qua Prælectiones habentur) Repetitiones earundem obſerventur; Dialecticæ ſcilicet, in die Veneris; Naturalis Philoſophiæ, in die Saturni; poſt meridiem, horis per Principalem aſſignandis.

§. 5. Quod tam Prælectionibus quam Repetitionibus ſinguli Auditores interſint; et, quæ narrata ſunt, diligenter et attente obſervent, et rationes eorundem reddant; ſub pœna, pro qualibet vice qua quis deliquerit, duorum denariorum, per Principalem vel Prælectorem imponenda.

§. 6. Statutum eſt, quod in ſingulis Aulis, ter in qualibet Septimana in Dialectica, ter itidem in Naturali Philoſophia, diebus et horis per Principalem aſſignandis, Diſputationes habeantur: in quibus, Prælectores Dialecticæ et Philoſophiæ, Moderatorum; Reſpondentis autem et Opponentium munus, ſinguli Auditores, ſuis vicibus, ſubeant. Qui de Quæſtionibus ſecundum Porphyrium aut Ariſtotelem ſtatuant, et argumenta omnia eorum duntaxat auctoritate muniant et confirment. Quod ſi quis, cum intereſſe debeat, abſens fuerit, vel juſſus a Moderatore non diſputaverit, duobus denariis; ſi, cum Reſpondentis vel Prioris Opponentis vices ſuſtinere debuit, defecerit, duodecim denariis, mulctetur.

§. 7. Quod, in fine cujuſque Septimanæ, die ſcilicet Saturni, extra Vacationum tempora, in qualibet Aula Declamationes habeantur; quas omnes Aulares cujuſcunque conditionis, donec ad Gradum Baccalaurei promoti fuerint, ſuis vicibus præſtent; iiſque alii omnes infra Gradum Magiſtri intereſſe tenentur. Infra Gradum Baccalaurei conſtituti etiam, eodem tempore, Exercitia in ſcriptis (quæ Themata nuncupantur) exhibere teneantur; in

quibus

quibus ſi qui defecerint, qui Declamationes omiſerint, duobus ſolidis; qui Themata, duobus denariis, mulctentur.

§. 8. Quod in Diſputationibus, Declamationibus, et Exercitiis quibuſcunque, unuſquiſque Aularis erga ſocium modeſte ſe gerat. Quodque, ſi quis aliquid ſcurrile aut deriſorium verbum in ſocium protulerit; ejus ſcientiam, ingenium, acumen, eruditionem, aut rationem depravando; aut illis detrahendo; vel quomodolibet comparationem odioſam occaſione Congreſſus Scholaſtici inſtituendo (unde pax forſan, vel tranquillitas Aulæ perturbari poſſit) puniatur duobus denariis, aut majori Summa, ſecundum diſcretionem Principalis.

§. 9. Quod quilibet Sophiſta, poſtquam Dialecticæ rudimenta imbiberit, Parvis Diſputationibus in publicis Scholis quotidie interſit; et quod Generalis etiam quiſque, ſemel ad minimum quovis Termino, diſputet in Scholis præfatis, ſub pœna oboli; Artiumque Baccalaurei, ornamentis ſuo Gradui competentibus induti, ſolennibus Magiſtrorum et Baccalaureorum Diſputationibus omnino interſint, ſub pœna duorum denariorum.

§. 10. Statutum eſt, quod nullus Aularis ad Gradum Baccalaureatus admittatur, niſi qui ſingulis Annis, in Terminis Michaelis et Hilarii reſpective per quatuor Septimanas, Termino Paſchatis per tres Septimanas, Termino demum Trinitatis per duas Septimanas, in Univerſitate commoratus ſit, et per ſpatia prædicta in Aula Exercitia frequentaverit. A Baccalaureis autem requiritur, ut ſingulis Annis, in Terminis Michaelis et Hilarii per tres Septimanas, in aliis Terminis per duas Septimanas, ad minimum, in Univerſitate moram traxerint, et in Aulis ſuis Exercitia frequentaverint.

§. 11. Quod quilibet ad Gradum Baccalaurei in Artibus promovendus, antequam Gratiam proponat, in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, et Morali Philoſophia, Geometria, et Lingua Græca; (et Gradum Magiſtri ſuſcepturus, etiam in Geometria, Aſtronomia, Naturali Philoſophia, Metaphyſica, reliquiſque Diſciplinis Liberalibus;) a Principali, aut ab alio, per Principalem deputando, in Aula publice examinationem ſubeat: nec Gradum capeſſere præſumat ſine Principalis ſui conſenſu; nec ab ullo alio, niſi cum ipſius venia, præſentetur; ſub pœna expulſionis ab Aula.

§. 12. Denique ſtatutum eſt, quod in Artibus Baccalaureus pro prima Præſentatione quinque ſolidos, pro ſecunda item quinque ſolidos; Magiſter in Artibus, Baccalaureus Juris, Medicinæ et

Theologiæ, pro ſuis Præſentationibus decem ſolidos, ſolvant. Inſuper quod quilibet Scholaris, promovendus ad Gradum Baccalaureatus, ſolvat Principali vel ejus Deputato certam portionem pecuniæ, pro ſatisfactione Communis Prandii in die ſuæ Admiſſionis ſeu Præſentationis; ita quod, ſi ſolus præſentatus fuerit, ſolvat ad uſum totius Domus octo ſolidos; ſi duo, tredecim ſolidos et quatuor denarios; ſi tres, viginti ſolidos: ita quod Præſentator habeat pro ſe et Bedellis quatuor denarios; et ſinguli Communarii quatuor denarios; et Summa poſtea remanens reſervetur ad utilitatem Domus.

SECTIO IV.

DE CONVERSATIONE HONESTA ET MORIBUS AULARIUM.

STATUTUM eſt, quod omnes Aulares, cujuſcunque Conditionis aut Gradus, Habitu Academico per Statuta Univerſitatis requiſito ſemper utantur reſpective, ſub pœna duorum denariorum: et ſic, toties quoties.

§. 2. Quod immoderatam nutritionem Comæ ſive Capillitii omnes Aulares noverint ſibi penitus interdictam, ſub pœna quatuor denariorum toties quoties, infligenda per Principalem, aut, eo abſente, Vice-Principalem.

§. 3. Quod quoties ad Preces privatas in Aulis, vel publicas in Eccleſiis Collegiatis, vel Parœcialibus, necnon cum ad Lectiones aut Diſputationes, accedunt; vel quandocunque coram Principali in Aulis vel alibi comparent; Pileos geſtent, ſub pœna duorum denariorum.

§. 4. Quod nullus Aularis alio ſermone quam Latino utatur, quomodolibet intra præcinctum Aulæ (niſi apud illiteratos et extraneos) ſub pœna denarii; exceptis ſi qui forte annum ætatis quinquageſimum exceſſerint.

§. 5. Quod quilibet Aularium, intra præcinctum Aulæ, unicuique, ſecundum Conditionem et Gradum, debitum honorem deferat, locum cedendo, et capite aperto incedendo; Servientes ſcilicet Commen-

Commenſalibus, non graduati Magiſtris, ad juſtum intervallum omnes Principali.

§. 6. Quod Graduati cum Graduatis converſentur, nec in familiaritatem aut ſocietatem non-graduatos aſſumant, niſi ex cauſa Principali approbanda; ſub pœna ſex denariorum.

§. 7. Quod nullus Aularis confabulationes immodeſtas, aut garrulationes inhoneſtas, verbave turpia aut ſcurrilia bonos mores corrumpentia, proferat; ſub pœna denarii.

§. 8. Quod nullus utatur Juramento, niſi cum requiſitus fuerit ad jurandum in Judicio, Juſtitia, et Veritate; ſub pœna quatuor denariorum.

§. 9. Quod nullus Aularis ſtando, ſedendo, aut ambulando, in laicorum ædibus, aut vicis, ſtudio relicto, otioſe agat; ſub pœna duorum denariorum.

§. 10. Quod quilibet ſpatiaturus in villam, vel campum; ſibi comitem, teſtem converſationis, adjungat; ſub pœna denarii.

§. 11. Quod ſi quis extra Univerſitatem proficiſci conſtituit, is antequam egrediatur, a Principali, aut, eo abſente, Vice-Principali, veniam petat; et ſpeciali Regiſtro inſeratur dies tum exitus tum reditus ipſius, ut tempus abſentiæ conſtet; ſub pœna ſex denariorum.

§. 12. Quod quilibet Aularis intra Univerſitatem vel Suburbia exiſtens, intra Aulam propriam, vel Collegium aliquod vicinum, vel in Hoſpitio aliquo Aulæ antiquitus annexo, vel annectendo cum conditionibus ſupra requiſitis. Tit. 3. §. 1. necnon in propria Camera, continuo pernoctet; niſi ex cauſa rationabili (infirmitatis ſcilicet, vel conſimili) Licentia a Cancellario ſive Vice-Cancellario a Principali prius impetrata, alibi pernoctare permiſſum fuerit; ſub pœna, pro qualibet vice qua quis ſecus fecerit, duodecim denariorum.

§. 13. Quod nullus extra lectum ſuum proprium, ſive cum aliquo ſocio ſuo, cubet, abſque Licentia a Principali petita et obtenta; ſub pœna ſex denariorum.

§. 14. Quod intra Aulam nemo extraneum ſecum pernoctantem habeat, ſine Licentia a Principali petita et obtenta; ſub pœna quatuor denariorum.

§. 15. Quod quilibet Aularis, temporibus ſingulis Prandii et Cœnæ, ad Aulam ubi ponuntur Communiæ tempeſtive (id eſt, ſtatim poſt ſignum datum) ante Gratiarum actionem accedat; nec in Promptuario, Coquina, vel Camera aliqua privata reficere

ſe

ſe præſumat; niſi propter infirmitatem, extraneorum amicorum præſentiam, vel Actum aliquem Scholaſticum expediendum, aut aliam cauſam rationabilem per Principalem approbatam, aliter facere permiſſum fuerit; ſub pœna oboli ei qui tardius venerit, et duorum denariorum ei qui abſens fuerit, toties quoties infligenda.

§. 16. Quod nullus extraneum introducat ad Refectionem ſive aliquem Actum communem, ſine Licentia Principalis, ſub pœna duorum denariorum.

§. 17. Quod nullus cultellum evaginatum ad menſam afferat, ſub pœna denarii.

§. 18. Quod nullus Aularis, præſertim non-graduatus, occaſione aliqua Promptuarium aut Coquinam ingrediatur; niſi quibus ex cauſa aliqua rationabili per Principalem permiſſum fuerit; ſub pœna quatuor denariorum.

§. 19. Quod nullus Aularis, cujuſcunque conditionis, Promptuarium aut Cellam cerviſiariam intret, niſi Seneſcallus qui pro tempore fuerit, ut ea quæ ad Communitatem pertinent ſupervidere poſſit; ſub pœna ſex denariorum.

§. 20. Quod nullus Aularis ſocium quemvis ejuſdem Aulæ, aut extraneum, ad majores vel crebriores hauſtus provocet; aut ſe vel alios inebriandi occaſionem præbeat; ſub pœna duodecim denariorum, et amotionis poſt tertiam vicem, ſi præceſſerit monitio.

§. 21. Quod, ſi quis in Communiis vel Expenſis ordinariis modum excedat (id eſt, plus quam alii ejuſdem conditionis, vel quod a Principali præſtitutum erit, expendet) remediis, quibus Principali videbitur, cohibeatur.

§. 22. Quod nullus intra præcinctum Aulæ, ludum Alearum, Tabularum, artem gladiatoriam, aut aliquem alium ludum inhoneſtum, exerceat, unde vel pax perturbetur, vel ſtudioſa tranquillitas impediatur; ſub pœna quatuor denariorum; et amotionis poſt tertiam vicem, ſi præceſſerit monitio.

§. 23. Quod nullus canes venaticos, alioſve quoſcunque, aut accipitres, teneat aut foveat intra præcinctum Aulæ, ſub pœna quatuor denariorum.

§. 24. Quod cantu, clamore, vociferatione, bombardis diſploſis, aut quovis alio genere tumultus vel ſtrepitus, nemo ſociis, quo minus ſtudere aut dormire valeant, impedimentum afferat; ſub pœna quatuor denariorum.

§. 25. Quod

§. 25. Quod nullus dicta aut communicata intra præcinctum Aulæ, vel quæcunque alia ſecreta, quæ ad diſpendium vel infamiam ejuſdem Aulæ, aut alicujus in ipſa commorantis, redundare poſſint, alicui revelet, denuntiet, aut divulget ad extra; niſi ſint talia in quibus Dominus Cancellarius merito ſit conſulendus; ſub pœna duodecim denariorum.

§. 26. Quod nullus aliquam cauſam, domeſticam correctionem non excedentem (ſaltem intra Aulam terminabilem) ad forinſecum Tribunal trahat. Hoc eſt, quod Aularis nullus ſocium ſuum, aut Semicommunarium, Batellariumve, vel Servientem communem, occaſione aut prætextu cauſæ cujuſvis, extra Aulam quomodolibet moleſtare præſumat, aut in jus vocet; neque ad hoc det conſilium aut favorem (Principali ad hoc conſenſum non præbente) niſi talis ſit cauſa, quæ tantummodo a Domino Cancellario ſit terminanda; ſub pœna quinque ſolidorum.

§. 27. Statutum eſt, quod nullus palam, publice, vel occulte, verbo, ſigno, facto, conſilio, auxilio, vel favore, volens ſciens, occaſionem litis, diſcordiæ, rixæ, vel diſſenſionis generet, ſuſcitet, moveat, vel procuret; ſeu comparationes odioſas Patriæ ad Patriam, Generis ad Genus, Nobilitatis ad Nobilitatem, Facultatiſve ad Facultatem, quomodolibet faciat: nec verba opprobrioſa alicui proferat; nec quenquam ſociorum, alio nomine quam proprio, contumelioſe aut deriſorie, nominet quoviſmodo; ſub pœna ſex denariorum.

§. 28. Quod nullus intra præcinctum Aulæ ſocio ſuo, aut Semicommunario, aut Batellario, Famulove communi, de damno inferendo minetur; nec arma invaſiva ſeu defenſiva publice vel occulte gerat; niſi ad remota ſtatim iturus ſit, vel a remotis de novo venerit; ſub pœna 12 d. Nec eadem in ira ullo modo contra aliquem prædictorum levet, ſeu extrahat; ſub pœna 10 s. et, ſecunda vice, expulſionis.

§. 29. Quod nullus Aularis, cujuſcunque Gradus vel Conditionis, ſocium ſuum, aut Semicommunarium, aut Batellarium, Famulumve communem pugno, pede, vel humero percutiat; ſub pœna 2 s. 6 d. Qui vero baculo, clave, vel lapide percuſſerit, 5 s. mulctetur; qui vero cultello aut telo quovis percuſſerit, etiam prima vice, expellatur.

§. 30. Quod de die vel de nocte, contra Pacem et Statuta Univerſitatis, nemo vagetur; ſub pœna expulſionis ab Aula, niſi mulcta Univerſitati debita ab ipſo, eo nomine, per Procuratores exacta fuerit.

§. 31. Statu-

§. 31. Statutum eſt, quod quilibet noctivagus, diſſolutus, loca de inhoneſtate aut luxuria ſuſpecta frequentans, facinoroſis hominibus, aut malæ converſationis Perſonis, ſe aſſocians, Juri parere recuſans, ſententiave Excommunicationis innodatus (niſi, ad monitionem Principalis, quamprimum deſiſtat, et ad meliorem frugem redeat, et Juri debite ſatisfaciat) ab Aula expellatur, et Domino Cancellario denuntietur.

§. 32. Statutum eſt, quod ſi quis tam grave crimen extra vel intra Aulam commiſerit, unde ad Aulam infamia, vel ad Univerſitatem ſcandalum, oboriatur; (veluti ſi quis temulentiæ, furti, fornicationis, famoſi libelli, vel gravioris alicujus delicti, convictus fuerit;) ab Aula expulſum ipſo facto ſeipſum noverit.

§. 33. Quod quilibet Aularis, cujuſcunque Conditionis et Gradus, ſuo Principali, tanquam Gubernatori ſuo, debitum impendat honorem et reverentiam; neque verbo aut facto ipſum aliquatenus vilipendat; nec contra ipſum conſpiret, aut fœdus ineat; ſed ei in Officii ſui executione humiliter pareat; ſub pœna expulſionis ab Aula, et denuntiationis ejuſdem Domino Cancellario pro Rebelli.

§. 34. Quod, ſi quis Hæreſin, vel pravum aliquod Dogma, contra Doctrinam vel Diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ, defenderit; vel Conventiculis illicitis intereſſe præſumpſerit; ab Aula expellatur, et Domino Cancellario denuntietur.

SECTIO V.

DE PRINCIPALIBUS AULARUM EORUMQUE SUBSTITUTIS.

STATUTUM eſt, quod ad Regimen Aularum aſſumantur Viri ætate matura, et morum gravitate venerandi; ſaltem Magiſtri in Artibus, vel in Jure aut Medicina Baccalaurei; qui ad nominationem Domini Cancellarii ab Aularibus eligantur, et per Vice-Cancellarium ad Præfecturam et Regimen admittantur.

§. 2. Quod

§. 2. Quod Principales, tempore Admiſſionis ſuæ, Juramenta de Primatu Regio agnoſcendo, necnon de Fidelitate obſervanda, coram Vice-Cancellario præſtent: inſuper, quod omnia Statuta et Conſuetudines Aularum, quantum ad ſe pertinent, obſervabunt; et, quantum in ipſis fuerit, etiam ab aliis obſervari facient.

§. 3. Quod nullus de cætero Principalitatem emat vel vendat, ſub pœna amiſſionis pretii, et Principalitatis; nec idem eodem tempore duarum Domorum Principalitates obtineat; ſub pœna amiſſionis Principalitatis utriuſque: nec Societatem in quocunque Collegio retineat, ultra ſex menſes poſt adeptam Principalitatem; ſub pœna amittendæ Principalitatis.

§. 4. Statutum eſt, quod quilibet Principalis cogat omnes ſuæ Domus Scholares tam publicis quam privatis Precibus intereſſe; et quod ſimul cum iis ipſe interſit: necnon Conciones coram Univerſitate habendas frequentare, et ad magis ſolennes ſecum adducere.

§. 5. Quod quilibet Principalis cogat Aulares ſuos Prælectionibus, Diſputationibus, et reliquis Exercitiis, tam in Aulis quam in Univerſitate præſtandis, diligenter et more debito intereſſe; necnon procurare, ut omnia Statuta et Ordinationes pro Regimine Aularum, edita vel edenda, debite obſerventur; contumaces et rebelles, abſque ullo reſpectu, puniendo, atque etiam Vice-Cancellario denuntiando.

§. 6. Quod quilibet Principalis inter Præcinctum Aulæ continue pernoctet, ſub pœna, pro qualibet vice, duodecim denariorum; niſi cum, ex cauſa, ab Oppido abeſſe permiſſum ſit; vel in Domo aliqua vicina familiam alere, a Domino Cancellario ejuſve Vice-Cancellario conceſſum fuerit.

§. 7. Quod nullus Principalis ab Aula ſe abſentet, ultra unum menſem in aliquo Termino, niſi ex cauſa rationabili per Dominum Cancellarium ejuſve Vice-Cancellarium primitus approbanda; ſub pœna duodecim denariorum, pro quolibet die quo ſic abfuerit, et gravioris cenſuræ ſi diuturnitas temporis et abſentiæ incommodum id requirat, arbitrio Cancellarii infligendæ.

§. 8. Statutum eſt, quod quoties Principalis, temporibus Prandii vel Cœnæ, in Aula, ubi ſumuntur Communiæ, præſens non fuerit, ſenior Commenſalis qui tunc intererit pro eo tempore ejus vices ſuppleat; ſi vero ab Oppido eum abeſſe continget, ſenior Commenſalis, qui in Aula continue reſidet, ejus vices ſuſtineat; niſi ex juſta cauſa alium Magiſtrum in Artibus, vel Baccalaureum

Juris Civilis vel Medicinæ, tanquam huic Muneri magis idoneum, ſubſtituere Principali videbitur. Proviſo ſemper, quod, ſi per duos menſes aut diuturnius ſpatium abeſſe neceſſe habeat, tunc ejus Subſtitutus etiam a Cancellario comprobetur.

§. 9. Quod Subſtitutus Principalis in dubiis nihil attentabit, vel diſſentiente Principali.

SECTIO VI.

DE IMPOSITORE ET SENESCHALLO.

STATUTUM eſt, quod in quolibet die Sabbati unus Aularium e non-graduatis ad Impoſitoris Officium per Principalem deputetur; quod Munus quilibet ſua vice (niſi Principali eundem denuo ſubſtituere videbitur) per ſe, vel (ſi ex cauſa neceſſaria abfuerit) per alium, ſub pœna arbitrio Principalis irroganda, ſubire teneatur.

§. 2. Quod ad officium Impoſitoris ſpectet, a Precibus, Concionibus, Refectionibus in Aula ſumendis, abſentes, Exercitia Scholaſtica prætermittentes, Anglice loquentes, et contra quæcunque Statuta et Ordinationes Aularum delinquentes, obſervare; et, temporibus aſſignatis, Principali nominatim denuntiare.

§. 3. Quod nemo Impoſitori propter ſui officii executionem minetur, convitium, jurgium, aut contumeliam quomodolibet inferat, ſub pœna ſex denariorum.

§. 4. Statutum eſt, quod qualibet Septimana unus Aularium (a Senioribus ad Juniores, qui tres Annos integros in Aula compleverunt, deſcendendo) Seneſchalli officium per ſe, vel, (ſi impeditus fuerit) per alium paris conditionis, obeat, ſub pœna Principalis arbitrio infligenda.

§. 5. Quod officio Seneſchalli incumbat, Panem et Cerviſiam, cum in Aulam inferuntur, ſupervidere; et, ſi vel in Quantitate vel Qualitate vitium aliquod deprehenderit, repudiare; necnon emptioni victualium in foro una cum Obſonatore intereſſe; et ut omnia pecunia numerata emantur, proſpicere; et, ſi ſecus fiat, Principali denuntiare. Cujus officii intuitu, ultra demenſum ordinarium aliis Aularibus conceſſum, octo denarios in proprium ferculum, pro qualibet refectione, ipſi licebit erogare.

SECTIO VII.

DE OBSONATORE, PROMO, COQUO, ET ALIIS SERVIENTIBUS.

STATUTUM eſt, quod ſolus Principalis habeat poteſtatem Obſonatorem, Promum, Coquum, Oſtiarium, et alios Servientes eligendi et admittendi, vel expellendi; nec quiſquam Aularis, cujuſcunque Gradus aut Conditionis, quenquam in ſervitium commune inducat, vel in famulitio privato retineat, abſque conſenſu Principalis.

§. 2. Quod Obſonator, Promus, Coquus, et alii Servientes communes, in prima Admiſſione cujuſque ad ſuum Officium, necnon in principio cujuſque Termini Michaelis, coram Principali vel ejus Subſtituto corporale Juramentum præſtent, quod bene et fideliter in Officiis ſuis deſervient; et inſuper illi, quibus victualium cura eſt commiſſa, quod non ement victualia ad privatum quæſtum (ſub quocunque colore) ſed ad utilitatem communitatis cui deſerviunt.

§. 3. Quod Obſonator, Promus, et Coquus ſub Chirographis propriis, una cum Fide-juſſoribus idoneis, Cautionem ſufficientem Principali, qui pro tempore fuerit, interponant, de Summis pecuniarum, nomine Cautionis ab Aularibus depoſitis, reſtituendis; necnon de Bonis, et Rebus omnibus eorum curæ commiſſis, fideliter conſervandis, exhibendis, et reddendis, cum ad id requiſiti fuerint.

§. 4. Quod Obſonator talia, et a talibus, emat Victualia, et alia neceſſaria pro Communiis, quæ noverit melius utilitati et honeſtati expedire; Potum vero et Panem ab iis recipere teneatur, qui per Principalem probati fuerint, modo idoneos probet; de quo ſi dubium oriatur, ad arbitrium Vice-Cancellarii referatur.

§. 5. Quod Promus Aulam, Promptuarium, et Cellam Cerviſiariam ſub forma decenti cuſtodiat; Scyphos et Cados mundos conſervet; ſub pœna arbitrio Principalis irroganda.

§. 6. Quod Potum ſub iiſdem menſuris exhibeat, ut nec ſingulis Aularibus fiat injuria, nec Communitas detrimentum patiatur; ſub pœna arbitrio Principalis irroganda.

§. 7. Quod Promus horis conſuetis (intra octavam ſcilicet et nonam ante meridiem; inter undecimam et duodecimam: inter tertiam et quartam poſt meridiem; hora Cœnæ; et, finitis precibus, inter octavam et nonam veſperi) Promptuario interſit; et ſtatim poſt horas finitas diſcedat, et oſtium Officii ſui obſeret; niſi ex cauſa per Principalem ejuſve Subſtitutum approbanda: ſub pœna, pro qualibet vice qua deliquerit, quatuor denariorum.

§. 8. Quod Promus neminem in Promptuarium ſub pœna quatuor denariorum, in Cellam Cerviſiariam ſub pœna duodecim denariorum, intrare permittat; præter eos qui ſecundum Statuta, vel a Principali ex cauſa rationabili, permiſſi fuerint; nec quenquam modum expenſarum, a Principali præſtitutum, in Officio ſuo excedere permittat, ſub pœna arbitrio Principalis infligenda.

§. 9. Quod Coquus Coquinam et Quadrangulum ſub forma decenti conſervet; temporibus pro Prandio et Cœna idoneis Officio ſuo interſit; nec, poſt Prandium aut Cœnam, diutius quam par erit, ibidem moretur; nec carbones aut ignem, ad præjudicium Communitatis, ad privatas Cameras exportari patiatur; ſub pœna arbitrio Principalis irroganda.

§. 10. Quod Oſtiarius tempora aperiendi et claudendi Aulæ fores diligenter obſervet; et præcipue, poſt horam nonam qualibet nocte obſeret, et claves ad Principalem, vel ejus Subſtitutum, uſque ad mane conſervandas adducat; ſub pœna, pro qualibet vice qua deliquerit, 5s. Principalis itidem, aut in ejus abſentia Subſtitutus ipſius, ſi claves ab Oſtiario detentas non poſcat, et penes ſe uſque ad mane ſervet, puniatur pro arbitrio Vice-Cancellarii.

§. 11. Quod quilibet Scholaris Serviens, horis Prandii, Biberii, et Cœnæ debite interſit; et in refectionibus communibus Aularibus victualia miniſtrare paratum ſe exhibeat; ſub pœna duorum denariorum.

§. 12. Quod nullus Servientium ſecreta Aularia (quæ licet, decet, et expedit ſecreta remanere) cuiquam extra Aulam referat aut revelet; ſub pœna ſex denariorum.

§. 13. Quod ſi quis Servientium aliquam diſcordiam inter Aulares ortam aut orituram noverit (ex qua de veriſimili ſequi poſſit pacis vel tranquillitatis perturbatio) Principalem, ejuſve Subſtitutum, illius, quamprimum poterit, certiorem faciat: necnon, ſi ſciverit aliquem Communitati damnum intuliſſe; ſub pœna ſex denariorum.

§. 14. Quod

§. 14. Quod nullus Aularis, cujuſcunque Conditionis aut Gradus, occupet aut occupari faciat aliquem ex communibus Servientibus, in ſuo negotio privato, iis temporibus quibus Communitati inſervire debet, ſub pœna arbitrio Principalis infligenda.

SECTIO VIII.

DE REBUS ET LOCIS COMMUNIBUS.

STATUTUM eſt, quod de Bonis, et Rebus omnibus ad Aulares communiter pertinentibus, in Admiſſione cujuſque Principalis fiat diſquiſitio; et de iis, quæ comperta fuerint, generale fiat Inventarium; cujus exemplar penes Regiſtrarium Univerſitatis deponatur; teneanturque ſinguli Principales eorumve hæredes, cum Officiis cedent, vel cum alias a Vice-Cancellario requiſiti fuerint, eorum omnium rationem exhibere. Et, ſi quid, eorum culpa, deficiens aut amiſſum fuerit, reſarcire, vel juxta verum valorem ſatisfacere.

§. 2. Quod nihil, ad uſum Communitatis donatum aut relictum, alienetur, aut mutetur, niſi ad commodum Aularium; et, ſi res fuerit minoris valoris quam quadraginta Solidorum, cum conſenſu majoris partis Graduatorum; ſi majoris valoris fuerit, cum Auctoritate Vice-Cancellarii.

§. 3. Quod nullus Aularis poculum, ſcyphum, patinam, paropſidem, aut quicquam aliud Communitatis uſui deſtinatum, abſque conſenſu illius, cujus curæ commiſſum eſt, extra Officium deferat; vel in Camera privata per totam noctem detineat; ſub pœna ſex denariorum, et (ſi res deteriorata vel amiſſa fuerit) reſarciendi, vel reſtituendi integrum pretium.

§. 4. Quod ſi quis poculum, ſcyphum, patinam, vel paropſidem, aut aliquid aliud communi uſui inſerviens, fregerit, contuderit, vel quoquo modo deterioraverit vel deturpaverit; præter damni reparationem, pœna ſex denariorum mulctetur.

§. 5. Quod nullus in Porta, Horto, aut alibi intra Præcinctum Aulæ, urinam emittat; fæces, pulverem, aut ſordes effundat; præterquam in locis aſſignatis; ſub pœna 12 d.

§. 6. Quod

§. 6. Quod nullus, intra Præcinctum Aulæ, ſepes vaſtet ſeu proterat; arbores frangat, aut extirpet; aut aliud ejuſmodi ad detrimentum Aulæ committat, ſub pœna duorum denariorum ultra reparationem damni dati.

§. 7. Quod nullus menſas, ſcamna, vel ſubſellia, diruat, vel ſubvertat; nec vitreas feneſtras frangat; nec in parietibus, menſis, vel feneſtris, ſculpturam, picturam, vel lineationem faciat; ſub pœna, ultra reparationem damni, duorum denariorum.

SECTIO IX.

DE CAMERIS ET EARUM DISPOSITIONE.

STATUTUM eſt, quod, in qualibet Aula, cujuſque Cameræ annuus reditus certus ſit, et arbitrio Vice-Cancellarii confirmatus; iſque in Indicem, ad finem Exemplaris Statutorum cujuſque Aulæ, deſcribatur; ejuſque Copia a Regiſtrario Univerſitatis inter Archiva Officii cuſtodiatur.

§. 2. Quod diſpoſitio Camerarum ſit penes Principalem; nec cuiquam liceat Cameram aut partem Cameræ, ſine conſenſu Principalis, occupare, ſub pœna expulſionis ab Aula.

§. 3. Quod non liceat Principali quicquam pro ingreſſu aut admiſſione ad Cameram aliquam exigere; aut accipere pro Camera, ultra reditum annuum, auctoritate Vice-Cancellarii præſtitutum.

§. 4. Quod non liceat Principali Cameras aut Muſea ſubdividere; aut uni cuivis Cameræ ultra binos Studioſos, vel plura quam duo Muſea attribuere, ſub pœna amotionis a Principalis Munere.

§. 5. Quod, ſi quis per tres Septimanas, in aliquo Quarterio, Cameram aut partem Cameræ occupaverit, penſionem integram pro quarta Anni parte ſolvere teneatur.

§. 6. Quod, ſi quis per duos Terminos continuos, ſine Licentia aut Approbatione Principalis abfuerit, titulum ac jus ſuum ad Cameram Cameræve partem, quam prius obtinuit, penitus amittat.

SECTIO X.

DE COMMUNIIS ET EARUM DISTRIBUTIONE.

STATUTUM eſt, quod in qualibet Aula, pro Communiis, nomine Prandii vel Cœnæ, ſumendis, certa proportio ſtatuatur; quam (abſque ſpeciali diſpenſatione, ex cauſa neceſſaria, per Principalem concedenda) nemini excedere liceat.

§. 2. Quod, nec Obſonator nec Coquus (a principio, vel ex poſtfacto) ſic diſponat, quod unum ferculum ſit majus aut melius altero, ſed ut (in quantum fieri poterit) omnibus æqualiter diſpenſetur.

§. 3. Quod nullus Aularis cujuſcunque Conditionis aut Gradus pro Communiis aliquid requirat aut habeat, quod ab Obſonatore emptum non ſit.

§. 4. Quod Cibaria, quæ pro numero Aularium in Univerſitate præſentium comparata ſunt, in Menſis apponantur, et pro iiſdem ſinguli, etiamſi abſentes fuerint, pro rata ſolvere teneantur.

§. 5. Quod, ubi quis abſens fuerit, Cibaria ipſi ad proximam refectionem, ſine aliqua monitione præcedente, reſerventur. Ad tertiam vero refectionem non tenetur Obſonator pro ipſis cuſtodire.

§. 6. Quod, poſt horam octavam veſpertinam die Jovis, de refectionibus non habitis per Septimanam præcedentem nulli fiat allocatio; ſed in utilitatem Communitatis convertantur.

§. 7. Quod, in die Veneris, de Emptis et Expenſis pro qualibet Septimana per Obſonatorem et Coquum fiat Computatio, cum ſuperviſione Seneſchalli, et (ſi res exigat) Principalis, ejuſve Subſtituti; ſub pœna iis qui defecerint, arbitrio Principalis, irroganda.

SECTIO XI.

SECTIO XI.

DE SOLUTIONE DEBITORUM.

STATUTUM eſt, quod Principali pro Lectura, Cumulatione, et Penſione Cameræ; necnon Obſonatori pro Communiis, Mulctis, et aliis Debitis, a ſingulis Aularibus præſtandis, et a Principali vel Obſonatore ſingulorum nomine exigi conſuetis, Aulares ſinguli in fine cujuſlibet Quarterii realiter ſolvant.

§. 2. Quod pro Lecturis aliis, communibus Servientibus, focalibus, reparationibus Locorum communium, utenſilibus, et aliis Communitati Aularium neceſſariis (ſecundum conſuetudines cujuſque Aulæ, aut Conventiones, communi conſenſu, vel majoris partis, initas) ſinguli Aulares tam abſentes quam præſentes, in fine cujuſlibet Quarterii, realiter ſolvere et ſatisfacere teneantur.

§. 3. Quod ſi contingat, occaſione aliqua extraordinaria, pro neceſſitate vel utilitate Communitatis, majores Expenſas fieri, quam quibus contributiones ordinariæ ſufficiant; Principalis cum conſenſu Commenſalium, vel majoris partis eorundem, ſingulis pro rata imponat, unde commune onus ſuſtineri poſſit; et, ſi qua de occaſione, vel rata impoſita, controverſia oriatur, Judicio Vice-Cancellarii terminetur.

§. 4. Quod pro honeſtate Communitatis quilibet Aularis, etiamſi abſens fuerit, in ſolennioribus quibuſdam Feſtis pro epulis communibus ſolvat; videlicet in Feſto Natalis Domini quatuor denarios; in Feſto Paſchatis duos denarios; in Feſto Pentecoſtes itidem duos denarios. Et ſi contingat aliquem ad ſingula prædicta Feſta non adeſſe, tunc pro illis ſolvat, in quibus abſens fuerit.

§. 5. Quod ſi contingat aliquem in ſolutione prædictorum deficere, nec intra menſem a fine cujuſlibet Quarterii ſatisfacere; arbitrio Principalis, vel eorum quorum intereſt, atteſtatione Bonorum, ſuſpenſione a Communiis, amotione ab Aula, aut aliis quibuſcunque remediis legitimis, coerceatur, et compellatur.

SECTIO XII.

DE STATUTORUM CUSTODIA, ET POENIS DELINQUENTIUM.

STATUTUM eſt, quod in qualibet Aula exemplar integrum Statutorum Aularium, penes Principalem, et, in ejus abſentia, penes ejus Subſtitutum, remaneat.

§. 2. Quod in principio cujuſque Termini, cum plures Aulares Domi fuerint, Statuta in præſentia Communitatis (ad id præmonitæ) publice a Principali, vel ejus Subſtituto, perlegantur, et exponantur; ut bis, ad minus, in quolibet Anno univerſa Statuta promulgentur.

§. 3. Quod ſingula Statuta ſecundum planum et grammaticalem ſenſum, et communem ſignificationem terminorum, intelligantur; et, ſi quid dubium vel ambiguum videbitur (unde de vero intellectu quæſtio oriatur) ad Judicium Cancellarii vel Vice-Cancellarii recurratur.

§. 4. Quod nullus Statutum aliquod vilipendere, vel verba ejuſdem mutare, præſumat, ſub pœna expulſionis ab Aula.

§. 5. Quod, ubi pœna aliqua in Statuto eſt expreſſa, eandem Principalis delinquentibus infligat; niſi mulctas pecuniarias in ſcholaſtica Exercitia, vel (ſi Perſonarum tenuiores ſint fortunæ) in caſtigationem corporalem, mutare, conſentaneum videbitur.

§. 6. Quod, ubi in Statutis delicti aut pœnæ mentio non habetur, Principalis pro arbitrio ſtatuat; niſi aliquid ejuſmodi admiſſum fuerit, quod ad correctionem Vice-Cancellarii ſit referendum.

§. 7. Quod, ubicunque mulctæ pecuniariæ mentio fit, ſi per Gradum et Ætatem liceat, vice mulctæ, corporalis pœna infligatur.

§. 8. Quod omnes mulctæ pecuniariæ ad ſupportationem onerum quæ Communitati incumbunt convertantur.

§. 9. Quod nullus, qui publice deliquit in gravioribus, propter caſtigationem Tutoris privatam a pœnis vel mulctis per Principalem infligendis excuſetur.

§. 10. Denique, ſi quis mulctæ vel pœnæ pro delicto ſecundum Statuta impoſitæ, intra terminum a Principale aſſignatum, ſe non ſubmiſerit; vel palam eandem ſolvere, aut ſubire, recuſaverit; aut alteri, quo minus ſe ſubmittat, auctor vel perſuaſor fuerit; vel, ut Statuta aliqua debito affectu careant, fœdus inierit, aut conſpiraverit; ab Aula penitus expellatur; et pro obſtinato, vel rebelli, Domino Cancellario denuntietur.

CAROLUS R.

CAROLUS R.

ORDO ſive ſeries [1] electionis Procuratorum in ſingulis Collegiis Academiæ Oxonienſis ſecundum vices infra ſcriptas per Statuta Sereniſſimi Regis Caroli &c. in Domo Convocationis ibidem ſtabilita et confirmata &c. quotannis faciendæ.

1	Eccl. Chriſti. / Coll. S. Joh. Bapt.	1629.	1652.	1675.	1698.	1721.	1744.	1767.	1790.	1813.
2	Coll. S. Mar. Mag. / Coll. Novum.	1630.	1653.	1676.	1699.	1722.	1745.	1768.	1791.	1814.
3	Coll. Mert. / Coll. Ænei-naſi.	1631.	1654.	1677.	1700.	1723.	1746.	1769.	1792.	1815.
4	Eccl. Chriſti. / Coll. Omn. Anim.	1632.	1655.	1678.	1701.	1724.	1747.	1770.	1793.	1816.
5	Coll. Cor. Chriſti. / Coll. Exonienſe.	1633.	1656.	1679.	1702.	1725.	1748.	1771.	1794.	1817.
6	Coll. S. Mar. Mag. / Coll. Wadhami.	1634.	1657.	1680.	1703.	1726.	1749.	1772.	1795.	1818.
7	Coll. S. Joh. Bapt. / Coll. Regin.	1635.	1658.	1681.	1704.	1727.	1750.	1773.	1796.	1819.
8	Eccl. Chriſti. / Coll. Novum.	1636.	1659.	1682.	1705.	1728.	1751.	1774.	1797.	1820.
9	Coll. S. Trinitat. / Coll. Orielenſe.	1637.	1660.	1683.	1706.	1729.	1752.	1775.	1798.	1821.
10	Coll. S. Mar. Mag. / Coll. Mert.	1638.	1661.	1684.	1707.	1730.	1753.	1776.	1799.	1822.
11	Eccl. Chriſti. / Coll. Ænei-naſi.	1639.	1662.	1685.	1708.	1731.	1754.	1777.	1800.	1823.
12	Coll. Omn. Anim. / Coll. Linc.	1640.	1663.	1686.	1709.	1732.	1755.	1778.	1801.	1824.
13	Coll. Exonienſe. / Coll. Univerſ.	1641.	1664.	1687.	1710.	1733.	1756.	1779.	1802.	1825.
14	Coll. Novum. / Coll. Wadh.	1642.	1665.	1688.	1711.	1734.	1757.	1780.	1803.	1826.
15	Coll. S. Mar. Mag. / Eccl. Chriſti.	1643.	1666.	1689.	1712.	1735.	1758.	1781.	1804.	1827.
16	Coll. S. Joh. Bapt. / Coll. Merton.	1644.	1667.	1690.	1713.	1736.	1759.	1782.	1805.	1828.
17	Coll. Corp. Chriſti. / Coll. Balliolenſe.	1645.	1668.	1691.	1714.	1737.	1760.	1783.	1806.	1829.
18	Coll. Ænei-naſi. / Coll. Orielenſe.	1646.	1669.	1692.	1715.	1738.	1761.	1784.	1807.	1830.

1 Vid. Append. Pag. 56.

19	Eccl. Chriſti. / Coll. S. Mar. Mag.	1647.	1670.	1693.	1716.	1739.	1762.	1785.	1808.	1831.
20	Coll. Novum. / Coll. Omn. Anim.	1648.	1671.	1694.	1717.	1740.	1763.	1786.	1809.	1832.
21	Coll. Exonienſe. / Coll. Reginenſe.	1649.	1672.	1695.	1718.	1741.	1764.	1787.	1810.	1833.
22	Coll. S. Trinitat. / Coll. Wadhami.	1650.	1673.	1696.	1719.	1742.	1765.	1788.	1811.	1834.
23	Coll. Jeſu. / Coll. Pemb.	1651.	1674.	1697.	1720.	1743.	1766.	1789.	1812.	1835.

Quolibet anno Quarto teneatur Junior Procurator deſignare Seniorem in Comitiis Magiſtrum ex Aula aliqua.

Quolibet anno Quinto Senior Procurator ſimiliter teneatur Magiſtrum ex Aularum aliqua Scholis præficere.

Inchoanda eſt hæc Computatio anni Quarti et Quinti ab anno Domini milleſimo ſexcenteſimo viceſimo nono incluſive.

ΕΠΙΝΟΜΙΣ,

Seu explanatio Juramenti, quod de obſervandis Statutis Univerſitatis a ſingulis præſtari ſolet: Quatenus ſcilicet, ſeu quouſque, obligare jurantes cenſendum ſit.

QUONIAM aliis reſtrictior et moroſior, aliis contra laxior et diſcinctior, eſt Conſcientia; Illi leviſſimos quoſque lapſus ſuos calumniari nati ſunt, et ſeſe non ſæpius immorigeros quam perjuros eſſe arbitrantur; Hi quoſcunque Legum nexus, jurisjurandi Religionem, conſcientiæ laqueos, ſtrophis ſuis eludere ſatagunt, et ipſi ſibi palpum obtrudunt: Non abs re fore viſum eſt explicare, quatenus ſeu quouſque jurisjurandi, de Statutis Univerſitatis obſervandis præſtiti, Religione teneri ſeu obligari ſingulos cenſendum ſit; in eoque tale temperamentum ſequi, ne vel durius interpretando, illis crucem figere; vel benignius, his fibulam laxare videamur.

Qua in re, hoc imprimis attendendum eſt, verbis Statutorum, in quæ jurejurando quis adigitur, ſenſum genuinum, ut et obligationi ſive vinculo Juramenti modum ac menſuram, præſtitui ſeu præſcribi a mente et intentione, non præſtantis, ſed exigentis juramentum; ſcilicet ipſius Legiſlatoris. Neque enim ſi quis, inter jurandum, verbis in quæ jurejurando adigitur ſenſum affingat alienum ab eo quem Legiſlatori propoſitum fuiſſe ipſi juranti perſuaſum aliaſve veriſimile eſt, (hoc eſt, hujuſmodi ſenſum qui deſidiæ vel ſocordiæ faveat, quive Diſciplinæ Academicæ aut morum honeſtati repugnet) eo ipſo εὐορκεῖν illum, aut Statutis vel Jurisjurandi Religioni ſatisfacere, putandum eſt: nedum jurisjurandi religione exſolutum ut putet ſe quis, ſi ad jurandum animum afferat non obligandi ſeipſum, ſed in nudo verborum cortice ſiſtendi: neque Poeticum illud δυσορκίας remedium, ſeu verius colludium — *Lingua juravi, mentem injuratam gero* — homini Chriſtiano ſatisfacere aut poteſt aut debet, eo ipſo a perjurii crimine excuſatum reputare ſe ut debeat. Quoniam igitur menſura obligationis ſeu vinculi Juramenti ab intentione Legiſlatoris præcipue pendet, operæ pretium utique fuerit, ſingulos mentem ac intentionem Legiſlatoris perſpectam et exploratam habere; qualis ſcilicet qualiumque Statutorum

torum tranſgreſſio juratos ad omnia Statuta promiſcue obſervanda perjurio involvat.

INTENDITUR IGITUR PERJURIO SE OBLIGARE,

Primo, delinquentes contra Statuta ſub pœna perjurii ſancita, aut contra Statuta ad quæ ſpeciatim obſervanda *fide ſua data Univerſitati* obſtringuntur; ut in Juramentis aſſertoriis, affirmantes ſe aliquid per Statuta requiſitum feciſſe, quod non fecerint, vel ſcire credereve, quod non ſciverintve crediderintve.

Secundo, delinquentes contra Statuta quæcunque, nec ſubmittentes ſe pœnis per Statuta infligendis, aut (ubi nullæ ſunt) arbitrio Cancellarii vel Vice-Cancellarii irrogandis, ex poteſtate ipſis permiſſa. Siquidem omnis vera lex, etiam citra ullius jurisjurandi religionem (ac multo magis juramento firmata,) reſolvitur neceſſario in aliquam conſcientiæ obligationem ad actum præceptum aut prohibitum, vel ſimpliciter vel ſub disjunctione; ita ſcilicet ut in Conſcientia obligentur ſinguli, aut hoc facere vel omittere, aut illud pati.

Tertio, qui, non obſtante incapacitate quacunque ex tranſgreſſione alicujus Statuti contracta, ſe nihilominus actibus ratione illius incapacitatis interdictis ingerunt. Duplex autem eſt hæc incapacitas: una, quæ diſpenſationis beneficio removeri poteſt; alia, cui tali remedio ſubveniri non poteſt; in materia ſcilicet indiſpenſabili.

Quod vero hujuſmodi incapacitatem ex aliquibus delictis contrahi intendant Statuta, ex eo patet, quod Statuta paſſim ſupponant diſpenſationes quoad præterita; Diſpenſatio autem in actus præteritos minime cadit ſeu operatur (quaſi ſcilicet ipſos retro trahere, aut factum infectum reddere, valeret) ſed pœnam in delinquentibus irrogatam, ipſam remittendo vel relaxando. Clauſula enim illa in formula Juramenti, quo ſingulos præſentatos obſtringit Senior Procurator—*Niſi aliter tecum diſpenſatum fuerit*—præter mulctas ordinarias ſecundum Statuta irrogatas, ſupponit, ratione delictorum contra illa Statuta, adhuc remanere aliquam obligationem ad pœnam, diſpenſationis beneficio diſſolvendam; quæ quidem pœna non alia eſſe poteſt, quam incapacitas Gradus capeſſendi, ex hujuſmodi delictis contracta.

Qui igitur non obſtante hujuſmodi incapacitate, citra diſpenſationis beneficium, Gradus capeſſunt, Perjurium incurrunt, ac multo magis illi, qui incapacitatem contraxerunt, cui diſpenſationis remedio ſubveniri non poteſt.

Quoad

Quoad alia vero delicta; ſi Statutorum pœnarumve contemptus, et craſſa obſtinataque negligentia, abfuerit, delinquentes, ſi pœnis per Statuta ſancitis, aliaſve arbitrariis, ſe ſubmiſerint, Jurisjurandi Religionem temeraſſe minime cenſendi ſunt. Magiſtratibus denique, prout major eis debetur reverentia, quam ut pœnis paſſim intentatis coerceri ipſos et in ordinem cogi par ſit, ita major conſcientiæ obligatio incumbit; utpote qui non ſolum ea quæ ſui muneris ſunt fideliter adminiſtrare, verum etiam, ut alii omnes ſuis officiis fungantur ſedulo curare, tenentur. Neque tamen eos, ubicunque officiis ſuis defuerint, perjurii protinus ſe obligare intenditur. Verum quoniam ipſorum fidei Statutorum cuſtodia et tutela concredita eſt, ſi (quod abſit) per negligentiam aut ſocordiam ſuam Statuta quæcunque inuſu ac deſuetudine exoleſcere, et tacite quaſi abrogari, patiantur, ipſos etiam fidei violatæ ac perjurii teneri decernimus.

FINIS.

Appendix II. ad Stat. Tit. X. Sect. II. §. 7.

De Statis Delegatis pro Academiæ Privilegiis tuendis et conſervandis.

CUM ex Privilegiorum noſtrorum ignoratione multa mala ac diſpendia huic Univerſitati antehac contigerint; cumque in variis concertationibus cum Municipibus Oxonienſibus, aliiſque noſtrorum Privilegiorum adverſariis, Novos Delegatos deſignari, haud e re Academiæ eſſe, uſu compertum ſit:

Placuit Univerſitati ſtatuere et decernere ut Vice-Cancellarius, Procuratores, et Cuſtos Archivorum, pro tempore exiſtentes, cum quatuor aliis cujuſcunque Facultatis Doctoribus aut Artium Magiſtris, per Vice-Cancellarium et Procuratores, aut per majorem partem eorundem, nominandis, et deinceps a Domo Convocationis approbandis, in poſterum Privilegiorum noſtrorum curam et tutelam ſuſcipiant: qui, ut Stati Delegati, de negotiis omnibus eo ſpectantibus, cum relatione ad Domum Convocationis et approbatione ejuſdem, ſtatuant et deliberent. Quinque inſuper Delegati a Procuratoribus, in prima Convocatione poſt admiſſionem ſuam, cum approbatione Vice-Cancellarii et Domus Convocationis, quotannis nominentur; qui ut Stati Delgati, anno inſequente, cum approbatione illius Domus Convocationis, una cum prædictis aliis Delegatis perpetuis, res omnes ad Privilegia ſpectantes audiant et determinent. Ad quod munus ſuſcipiendum, et ſedulo fideliterque exequendum, ſinguli ſe fide data Univerſitati firmiter teneri noverint.

Cum autem aliquos ex hiſce Delegatis mox nominandis, aut eorum Succeſſoribus, fatis concedere, vel alias Univerſitate prorſus excedere, vel cum conſenſu Domus Convocationis officio abdicare, contigerit, alii continuo in ipſorum locum, eadem auctoritate, ut præfatum eſt, ſubrogentur.

Si vero horum major pars in Univerſitate præſens non fuerit, aut propter adverſam valetudinem præſto adeſſe non poterit, quotieſcunque ex improviſo de Privilegiis agatur, et res moram non tulerit; Procuratores, vel eorum alter, cum conſenſu Vice-Cancellarii, totidem in locum abſentium ad præſens ſubrogabunt quot ad majorem partem explendam ſuffecerint.

Hi

Hi autem Delegati bis ad minimum in anno, nempe in prima Hilarii et Trinitatis pleni termini hebdomada, aut ſæpius ſi res tulerit, die et hora a Vice-Cancellario pridie conſtituenda, in Delegatorum Camera, aut (ſi juſta de cauſa ita expedire videbitur) in alio loco idoneo conveniant, de Privilegiis et Juribus Univerſitatis tuendis et defendendis conſulturi. Quicquid vero ipſis placuerit, a Regiſtrario Univerſitatis Regiſtro peculiari inferatur.

Appendix. III. ad Statut. Tit. X. Sect. II. §. 7.

De Statis Delegatis pro curatione et elocatione Terrarum ad Univerſitatem ſpectantium.

CUM varia Negotia, ad terras et fundos Univerſitatis ſpectantia, utilius et effiecacius a quibuſdam ſtatis Delegatis, quam ab aliis pro hujuſmodi negotiis ad præſens tantum deſignatis, expediantur:

Ex matura deliberatione ordinatum eſt, ut in poſterum de aliquibus idoneis provideatur; qui, ut Stati Delegati, per ſpatium triennii ab eorum nominatione computandum, una cum Vice-Cancellario et Procuratoribus pro tempore exiſtentibus, de omnigenis ad Univerſitatem ſpectantibus Terris, Tenementis, aliiſque hujuſmodi Poſſeſſionibus metiendis, in tabulis Geodæticis deſcribendis, in libro vocato *Terrier* inſerendis, æſtimandis, et quocunque poſſint modo meliorandis, ac, quotieſcunque opus fuerit, elocandis, cum relatione ad Domum Convocationis, et approbatione ejuſdem, ſtatuant et deliberent; exceptis maneriis, prædiis, et tenementis a Rege *Carolo* I. Univerſitati fideicommiſſis, et Typographeo Clarendoniano cum libros excudendi Privilegio: quippe quia de illis jam abunde a Collegiis fructus inde percipientibus olim proviſum eſt; hoc autem a Delegatis aliis pro tempore conſtituendis, cum occaſio tulerit, æque curari poteſt. Salvo etiam Jure Profeſſorum, qui in Prædiis ſuis adminiſtrandis et elocandis, vel juxta Statuta vel Conſuetudinem antiquam, poteſtatem aliquam habuerint.

Stati autem Delegati pro negotiis prædictis deſignandi, per Vice-Cancellarium et Procuratores, aut per majorem partem eorundem, e Doctoribus cujuſcunque facultatis vel Magiſtris Regentibus vel Non-regentibus, nominentur; et deinceps a domo Convocationis approbentur.

Si autem aliquos ex hiſce Delegatis fatis concedere, vel ab Univerſitate prorſus excedere, vel cum conſenſu Domus Convocationis officio abdicare, contigerit, alii continuo in ipſorum locum, eadem auctoritate, et ſub iiſdem conditionibus, ſubrogentur.

Quod ſi præfati Delegati in eadem ſententia, a ſenatu Academico repudiata, ſemel atque iterum referenda(quod abſit) perſeveraverint; alii ſtatim in ipſorum locum pro hac vice, ne quid detrimenti capiant res noſtræ, ſubrogentur.

Hi

Hi autem Delegati, quamprimum nominati fuerint, in ipſa Convocatione (ſi præſentes fuerint) alioqui coram Vice-Cancellario, exigente ſeniore Procuratore, ſinguli juramentum præſtabunt in hæc verba; viz.

**, "Tu jurabis, quod munus et officium Delegatorum ſuper "negotiis tibi commiſſis ſedulo et fideliter pro virili exequeris."

Denique prædicta hæc Delegatio a Delegatione pro Computis in poſterum ita diſcriminetur, ut non plures quam tres Delegati Computorum ſint eodem tempore Fundorum curandorum Delegati.

Triennio autem abſoluto, vel iidem vel alii, de triennio in triennium, eadem auctoritate et ſub iiſdem conditionibus ſubrogentur.

Statutum novum de tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam Bodleianam.

QUANDOQUIDEM tempus aperiendi & claudendi Bibliothecam in Statutis Bodleianis minus aptum & congruum fuerit, placuit Academiæ, cum conſenſu Curatorum Bibliothecæ Bodleianæ, tempus aperiendi & claudendi dictam Bibliothecam in poſterum hoc modo præfinire. Scilicet ---

APERIATUR Bibliotheca à Feſto Annunciationis ad Feſtum Divi Michaelis ab horâ octavâ matutinâ ad horam ſecundam poſtmeridianam, & à tertiâ ad quintam:

A Feſto Divi Michaelis ad Feſtum Annunciationis ab horâ nonâ matutinâ ad tertiam poſtmeridianam.

Exceptis autem ſingulis Saturni Diebus, in quibus à Feſto Annunciationis ad Feſtum Divi Michaelis ab horâ octavâ matutinâ ad ſecundam poſtmeridianam: & à Feſto Divi Michaelis ad Feſtum Annunciationis ab horâ nonâ ad ſecundam poſtmeridianam:

Diebus quatuor diem Paſſionis Domini præcedentibus, in quibus ab horâ decimâ matutinâ ad ſecundam poſtmeridianam.

CLAUDATUR vero Bibliotheca Feſtis & omnibus Vigiliis à Feſto Annunciationis ad Feſtum Divi Michaelis horâ quartâ poſtmeridianâ:

Diebus omnibus dominicis, & Diebus quibuſcunque vel Jejunii vel Feſtivitatis publicâ auctoritate injunctis vel injungendis:

Vigiliis ante Nativitatem Domini, & deinceps uſque ad Feſtum Circumciſionis incluſivè:

Feſto Epiphaniæ:

Die Paſſionis Domini: Vigiliis Paſchatis & Feriis Paſcha immediatè ſequentibus:

Die Aſcenſionis, & Feriis Pentecoſten immediatè ſequentibus:

Diebus Encœniorum, Veſperiarum & Comitiorum Publicorum: Diebus Commemorationum publicarum, horis ſive antemeridianis vel poſtmeridianis huic celebritati deſtinatis:

Octo

Octo Diebus Viſitationem Bibliothecæ Bodleianæ immediatè præcedentibus.

Feſtis vero quibuſcunque (de quibus ſupra non aliter ordinatum fuerit) ſtatim poſt Conciones publicè coram Univerſitate habitas, Bibliothecam accedentibus pateat aditus.

Denique ſtatutum eſt, ut Proto-Bibliothecario propter Occupationem moramque in Bibliothecâ extraordinariam quadraginta Librarum ſummâ adjectâ annuum Stipendium augeatur, ſibi ſuiſque Vicariis, prout ipſi viſum fuerit, cum relatione ad Curatores, & eorum Approbatione, ſi forte querelæ occaſio hâc ex parte ſubminiſtretur, diſtribuendâ.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti Viceſimo Septimo Die Menſis Novembris, et in terminos convenerunt undecimo die menſis inſtantis Decembris; publicatum eſt in domo Congregationis duodecimo menſis Decembris prædicti (juxta Statuti in ea parte exigentiam) triduo ante Convocationem habendam: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, decimo quinto Decembris, Anno Domini 1769.

Statutum novum de Habitu Academico ſingulis Gradibus et Facultatibus Competente.

STATUTUM eſt, quod omnes Doctores cujuſcunque facultatis, Baccalaurei etiam in Sacrâ Theologiâ, Medicinâ, et Jure Civili, Magiſtri & Baccalaurei in Artibus, Baccalaurei itidem in Muſicâ, togas gradui & facultati competentes, hodiè uſitatas, juxta exemplar in ære incidendum, et in abaco Domûs Convocationis reponendum, gerant.

Ambo Procuratores, eorumque Deputati, et Collectores Quadrageſimales, Habitu hodiè uſitato, juxta Exemplar, induti incedant.

Baronum filii in ſuperiore Parliamenti Domo ſuffragii Jus habentium, necnon Baronum ex gente Scoticâ et Hibernicâ, Togâ talari deauratâ, ſive Togâ nigrâ laxè manicatâ ſericâ cum Epomide, et Pileo quadrato cum Apice deaurato, induti incedant. Baronetti autem Togâ talari nigrâ, deauratâ, ſive Togâ laxè manicatâ ſericâ cum Epomide, et Pileo quadrato cum Apice deaurato.

Superioris Ordinis Commenſales Togam talarem Sericam, ſive ex quovis panno nigro confectam, cum ornamentis ſecundum exemplar, et Pileum quadratum Holoſericum, Anglicè *velvet*, cum Apice; Commenſales vero ſive Communarii Togam talarem, ex quovis panno nigro, non ſerico, confectam, cum ornamentis ſecundum Exemplar, et Pileum quadratum Panno obductum cum Apice gerant.

Quod non Graduati, Quotquot alicujus Collegii Socii, Probationarii, Scholares, Capellani, Clerici, et Choriſtæ, ſi modo in Matriculam Univerſitatis ſint relati, denique quotquot de fundatione Collegii cujuſvis, fuerint, Studentes inſuper Ædis Chriſti, quoties in Publicum in Univerſitate prodeunt, Togis laxé manicatis, ita ut Manicæ Longitudo dimidiam Partem Longitudinis Togæ non excedat, et Pileis quadratis cum Apice, induti incedant.

Batellarii vero, et Servientes, Togam talarem hodiè uſitatam juxta exemplar gerant, et Pileum quadratum ſine Apice.

Studentes in Jure Civili, nondum graduati, qui ſedecim Terminos à Tempore Matriculationis compleverint, (vel etiam anteà, modo de fundatione alicujus Collegii fuerint, cujus Statuta id fieri requiſiverint) Togam talarem ſemimanicatam, juxta exemplar, gerant, et Pileum quadratum cum Apice.

Quod Artium Baccalaurei in omni Actu Scholaſtico Caputium Fimbriâ pellitâ prætextum gerant; in Tempore vero Quadrageſimali Determinantes tum in Scholis, tum in Choro Beatæ Mariæ Virginis, quoties ad celebrandas Preces convenerint, Pellem etiam lanatam, ſecundum Exemplar, adhibeant.

Graduati omnes, Togas Gradui et Facultati competentes, et Pileos quadratos cum Apice, aut rotundos (Juriſtæ ſcilicet et Medici) geſtabunt; præcipue in Concionibus, Ordinariis Prælectionibus, et Diſputationibus publicis.

In

In Concionibus vero ſolennibus, et ſingulis diebus Dominicis intra Terminum ante meridiem in Templo B. V. Mariæ, etiam in Ædc Chriſti; et in XLa, et in Dominicâ Paſchatis poſt meridem ad S. Petri in Oriente, Caputiis, ſive è Serico, ſive è Minuto-Vario, obverſis, Concionibus interſint.

Concionatores itidem Habitu Gradui ſuo competente induti (pro ratione temporis, prout ceciderit intra vel extra Terminum) ad Eccleſiam accedant, et eodem induti Conciones ſuas habeant, ſub pœna 6 s. 8 d.

Lectores etiam et Profeſſores publici, in Lectionibus ſuis ordinariis, Togis Gradui vel Facultati ſuæ competentibus, et Pileo induti, ad Scholas accedant, et eodem Habitu induti legant, ac iterum à Scholis recedant. In ſolennibus autem Lectionibus in Veſperiis, Pileis, et Caputiis, Gradui et Facultati ſuæ competentibus, induti ad Scholas accedant, legant, ac iterum recedant.

Quoties vero ad Congregationes, Convocationes, Preces publicas, et Conciones ad Clerum accedant, omnes præter Togas, Caputia Gradui congrua; Doctores etiam Capas, vel clauſas vel apertas, adhibeant.

Doctores ſingulis diebus Dominicis intra Terminum, ante meridiem, in Eccleſia B. Virginis Mariæ; et in Quadrageſima, et in Dominica Paſchatis poſt meridiem in Eccleſia S. Petri in Oriente, Capa, et Caputio coccineo induti Concionibus interſint.

Inſuper Statutum eſt quod omnes Academici cujuſcunque ordinis aut gradûs fuerint, Collari, vulgò vocato *Band*, juxta exemplar, tum in privato tum in publico ſe induant.

Si quis verò in præmiſſis delinquere deprehenſus fuerit, ſi non Graduatus fuerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum, penſo aliquo literario puniatur. Si graduatus, pro primâ vice quâ deliquerit, 20 d. Pro ſecundâ, 3 s. 4 d. Pro tertiâ, 5 s. Pro quartâ, 6 s. 8 d. et ſic toties quoties. Si quis verò ad Congregationem vel Convocationem acceſſerit, Habitu competente deſtitutus, præter mulctam prædictam, nullam omnino ſuffragandi poteſtatem eâ vice habeat. Quas mulctas ad uſum Univerſitatis exigendi Vice-Cancellarius vel Procuratores poteſtatem habeant.

Ne vero quis præ novandi libidine ab exemplaribus in hoc ſtatuto deſcriptis deſciſcere, novoſque habitus introducere moliatur, Statutum eſt quod Vice-cancellarius et Procuratores ſingulorum habituum Exemplar aliquod Ære incidendum, et in Abacum huic uſui deſtinatum, reponendum curabunt.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re maturè perpenſâ, convenerunt in terminos die nono menſis Julii; publicatum eſt in Domo Congregationis die decimo ejuſdem menſis, juxta Statuti in eâ parte exigentiam triduo ante Convocationem habendam. Tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, Julii decimo tertio, Anno Domini 1770.

FH
MVSEVM
BRITANNICVM